HORATII TURSELLINI, E SOCIETATE JESU, HISTORIARUM...

Orazio Torsellini

HORATII TURSELLINI, E SOCIETATE JESU,

Historiarum ab origine Mundi ad hæc usque tempora,

EPITOME

LIBRI XII.

Ex libris Mon.ri S.ti Stephani Cremonae

1719

LUGDUNI

Sumptibus FR. ANISSONIORUM, & JOANNIS POSÜEL.

M. DC. LXXVIII.

Cum Privilegio Regis

HORATII TURSELLINI IN SUAM EPITOMEN HISTORIARUM

PRÆFATIO AD LECTOREM.

TANTA historiarum multitudo est atque varietas, cuiusuis vt hominis non sit aut perlegere omnes, aut in ordinem redigere, aut memoriâ custodire, quò fit vt complures ab historiarum lectione abhorreant, multi epitomen aliquam, ac summam historiarum desiderent, vbi res maxime memorabiles breuiter, atque ordine comprehendantur, nam Crhonicorum scriptores ferè ita ieiunos exilésque esse dicunt, vt non sedent famem, sed augeant, si qui autem pleniores existant, vel inquinatam orationem adhibere, vel historiarum auctores omittere: vt qua fastidium afferant lectoribus, qua rebus abrogent fidem. Quare ego ab adolescentia cùm non negligenter in historiarum monumentis aliquandiù versatus essem: appositum mihi aliquod memoriale subsidium parandum putaui, fecique non inuitus tum aliorum causa, tum mea, vt hanc qualemcunque historiarum epitomen paulatim texerem, sæculorúmque omnium memoriam, obseruatis notatísque temporibus, perbreui, nec inutili, vt spero, volumine complecterer. Feci etiam, vt præcipuos cuiusque rei adscriberem auctores fontésque

fontésque indicarẽ, vnde scilicet, sicuti libitũ foret, eadẽ illa vberius liceret haurire. Eius olim epitomes pars prior cùm mihi fortè excidisset, descriptáque esset à pluribus: multi viri & prudentia, & auctoritate præstantes, qui meas aliquid putabant nugas, me denique pèpulerunt, vt quod priuatum bonum esse voluëram, paterer esse commune, & quod rude, & inchoatum circumferri dolebam, perfectum, atque absolutum ipse vulgarem. Cæterum in notandis Hebraicæ historiæ temporibus, Hebræorum auctoritatem quæ certior habetur, secuti sumus. Et quoniam inter annalium historiarúmque scriptores sæpè de vno alteróve anno, aut etiam de pluribus est controuersia: optimum factu existimaui, vt hæc, quæ memoriæ causa breuiter cursímque perstringuntur, non aurificis statera, vt dicitur sed populari trutinâ examinarem. Scitum est enim ex opinabilibus & incertis, certa & explorata excerpere. Itaque integris potius, ac solidis, quàm fractis numeris, & imminutis iusta per interualla (accommodatè videlicet ad memoriam) rerum memorabilum tempora notanda duximus, quo & memoriæ imbecillitati, & temporum veritati quàm maximè seruiremus. Porrò quò commodior libellus foret ad tot res támque varias identidem recolendas, ea forma edendum curauimus, quæ facilè & in sinu gestari, & manibus teri posset.

HORATII

HORATII TURSELINI *EPITOME* HISTORIARUM, à Mundo condito.

LIBER I.

ADAMUS

PRIMUM igitur omnium constat, condito ornatóque Mundo Adamum, humani generis principem, à Deo esse præpositum & in amœnissimis hortis diuina manu consitis, vbi vitalis poma arboris suppeterent, collocatum. Cæterùm huic Euam sociam, & adiutricem datam, ruinæ causam extitisse. Adamus quippe diuinam legem neglexit, non tam vetiti pomi specie, quam

 illecebra

illecebra inductus vxoris. Ergo vnà cum noxæ socia, beatis hortis in perpetuum expulsus, morti, cæterísque miseriis, quæ mortalem conditionem comitantur obiicitur: repete ex beato miser, & auctor hominum generis ruens, secum in eundem casum posteritatem traxit omnem. Exilij initio Adamus Caimum, & Abelem genuit, quorum ille agricola, hic pastor fuit. Sed citò domesticum malum interuenit inuidia. Abelis sacrificia Deus, igni è cœlo demisso probauit, Caimi non item. Itaque homo inuidus, fratrem interfecit. Ob eam cædem parentes diù in luctu fuerunt. Ipse, vltrice parricidij consciẽtia, profugus errauit. Et tamen homo demens vrbem condidit. Eius posteri Musicam, Ferrariam, aliasque artes vel ad vitæ commoditatem vel ad delectationem invenêre. Impia Caimi, pia Sethi qui postea Adamo natus est, progenies extitit.

ENOCHVS.

Anno à Mundo cond. propè M.

ENOCHVS Sethi trinepos, anno post Mundum conditum prope millesimo, ob summam Dei familiaritatem, diuinitùs est ex hominum cœtu, atque oculis raptus. Huius filius Mathusales, cùm annos ferè mille vixisset, nihilo faciliorem, quàm cœteri, expertus est mortem. Vulgò autem mortales, mortis obliti vitæ longitudine (plerique enim annum explebant nongentesimum) abuti cœperunt.

Sethi porro gens connubiis cum Caimi gente iunctis Gigantes progenuit; & in externos lapsa mores, omnia pudoris atque officij repagula perfregit.

git. Itaque anno post Mundum conditum M.DC. LVI. flagrans vbique libido, perpetuis quadraginta dierum imbribus terrarúmque omnium eluuione restinguitur. Animantium nihil vspiam reliquum fit præter id quod Noë vir bonus Dei monitu in arca, seu naui quadam ingenti asseruarat ad sobolem. Sub eluuionem vis, & vita hominum imminuta est. Ad subsidium imbecillitatis, carnes concessæ. Vinum quoque à Noë inuentum; sed haustum vberius ne ipsi quidem pepercit auctori. Ebrium, ac nudatum parentem Chamus ludibrio habere, aliis demonstrare cœpit: at Semus & Iaphetus auersi, iniecto pallio contegunt. Ergo pater, re postea cognita, Chami progeniem execratus, cæteris liberis bene precatur. A tribus hisce Noë filiis gentes omnes toto terrarum Orbe paulatim sunt propagatæ. Iapheto Scythia, & Europa, Chamo Syria, Ægyptus, & Africa; Semo Assyria, India, & reliqua Asia obvenerunt.

NEMBROTHVS.

Anno à Mundo cond. M.DCCC.

NEMBROTHVS Chami nepos, anno post diluuium circiter centesimo, auctor cæteris fuit, vt ante digressum summæ altitudinis turrim communiter excitarent, siue inundationis perfugium, siue conueniendi monumentum. Cæterum superbis mortalium conatibus diuinum obstitit numen: repente vna, qua tum vtebantur omnes lingua, in duas & septuaginta, quot erant familiæ, divinitùs dispertitur. Sublato igitur sermonis commercio, ædificatio abiecta est, ex eo terrarum Or-

 bis

bis frequentari cœptus, lingua, quæ communis antea fuerat, in Heberi (à Semo originem ducebat) familia ac gente mansit; inde Hebræa dicta. Turris inchoata ex linguarum confusione, Babel primùm, deinde Babylon est appellata. In ea Nembrothus (qui fortassis idem Belus fuit) imperitavit. Constat Belum in Assyria regnasse primum, anno, circiter M. DCCC. L. à Mundo condito; regnum obtinuisse annos L X V. nihil memoria dignum gessisse.

Ninus autem Beli filius impia pietate adductus, parentis sui monumentum, ac simulacrum coli iussit pro Deo. Ea idolorum, Deorúmque origo, notatur. Æque verò in homines iniuriosus Ninus extitit, atque impiùs in Deum.] Imperandi studio flagrans, pessimo exemplo, imperium armis propagare instituit. Ergo Asiam in suam redigit ditionem. Zoroastre Bactrianorum Rege, eodémque magiæ inuentore debellato, Bactris potitur. Idem Ninam seu Niniven urbem condidit, Assyriorum imperium constituit, quòd annos viguit circiter M. C C C. Ipse regnauit L I V. Nino Ægialeus, primus Sicyoniorum Rex, ferè æqualis numeratur.

Semiramis virago Nini coniux, & cupiditatis imperandi socia eluso filio regnum præstigiis quibusdam interuertit ad séque transtulit. Ne cuiquam pareret, nubere omninò noluit. Ab ea Babylon magnificentissimè extructa, Asia, Media, Persis, Ægypto ingenti cum exercitu peragrata: magna Libyæ, Æthiopiæque pars subacta. Cæterùm bellum Indis illatum feliciore principio, quàm exitu gessit. Ad vltimum imperiosa mulier libidini turpissimè seruiens, à Nino filio cuius incestos expetiuerat amplexus, necatur anno Imperij sui X L I I.

Ninus

Ninus, seu Ninias superioris Nini filius, à patre penitùs degenerauit, perinde quasi luxuria cum matre certaret Regni administrationem præfectis commisit: ipse deliciis effeminatus consenuit in cœtu mulierum. Perniciosiore etiam exemplo quam instituto. Nequitiæ suæ imitatores XXX. deinceps Assyriorum reges habuit, quorum postremus Sardanapalus fuit: horum potentissimorum regum memoriam ita luxuriosa desidia obscurauit, vt eos propemodum natos esse nesciamus, nomina verius quàm reges. Hinc regis exemplum, vt fit, populares sequebantur, luxuriâ & otio, solutâ veteri disciplinâ.

ABRAMVS.

Anno à Mundo cond. MM.

EX hâc tantâ vitiorum colluvie Deo duce, emersit Abramus, anno post mundum conditum circiter bis millesimo. Is prognatus à Semo, antiquissimâ Chaldæorum stirpe, extremis, vt Eusebio placet, Nini primi temporibus ortus est, viuo adhuc Noë. Annum deinde LXXV. natus, relictâ diuinitùs charâ vrbe Chananæorum (quò anteà, cum Tharâ patre, ex Hure Chaldæorum oppido commigrat) Deum sequens peregrinationis autorem, promissas posteris suis Palæstinæ regiones peragrauit: Verùm inopiâ coactus in Ægyptum descendit. Ægyptus enim etsi imbribus omnino caret, Nilo tamen imbrium vicem implente, agrorum vbertate cęteris ferè regionibus antecellit. Quippe Nilus à solstitio ad æquinoctium extra ripas effluens

quotannis restagnat, nouumque semper limum afferens, Ægypti campos leniter rigat, vt coloni vice fungi videatur. Itaque agri minimo agricolarum labore messes ac vindemias ferunt. Huc igitur cum venisset Abramus Pharaonis iussu (erat id Ægypti regum commune nomen) vxor, quæ viri admonitu, se sororem eius prædicabat, illi erepta confestim perducitur ad regem. At Deus, qui omnia bonis bene vertit, tantis Pharaonem calamitatibus terruit, vt Abrami coniugem illam esse sentiens, viro intactam redderet, magnis insuper cum donis atque diuitiis. Verisimile est quòd nonnulli tradunt, eo tempore, Ægypti regem, aliosque ægyptios, ab Abramo viro Chaldæo prædidicisse Astrologiam. Namque apud Babylonios Chaldæi antiquissimi habebantur, eodemque apud illos erant loco, quo apud ægyptios, sacerdotes. Nam sacris præerant, iidemque auidissimi philosophandi Astrologiæ laude præstabant. Doctrinam à parẽtibus liberi certam, atque constantem hauriebant; adeò vt nihil ab eâ, quamvis probabilis opinio animũ pepulisset, fas esset deflectere, quo fiebat, vt eos tuta philosophandi via, ad maximam doctrinæ laudem facilè, ac nullo errore perduceret.

Hanc rerum vniuersitatem censebant Dei prouidentiâ, à quo condita esset, regi gubernarique. Astra, atque in primis planetas, quæ errantes Stellæ dicuntur, itemque sidera, quæ in signifero orbe sol lustrat, tum ortu, tum occasu, tum colore futura hominibus significare. Solis quoque ac Lunæ defectiones, cometas, ventos, imbres, hiatus terræ inusitatos, eandem significandi vim habere: quamquam prædicendi capti dulcedine in temeritatem longè maximam prolapsi sunt, vt prædicerent, quid cuique euenturum, quo quisque fato natus esset. Sed

nimirùm

nimirùm veteres illi Chaldæi, cognitione astrorum excelluerunt, quam à maioribus, inde vsque ab Adamo accepisse credendi sunt. Ab Abramo igitur Chaldæo expoliri Philosophiâ Ægyptij sacerdotes, ita doctrinæ famâ eminebant, vt Orpheus, Musæus, Dædalus, Homerus, Lycurgus, Solon, Democritus, Plato, & doctissimus quisque discendi causâ è Græcia, transmiserint in ægyptum. Hinc igitur Abramus impertitâ cœlestium rerum scientiâ, gregum seruorúmque diues excessit, vna cum Lotho fratris filio; qui vt peregrinationis comes, ita bonorum socius & particeps fuit. Cæterùm disiunxit copia quos inopia copularat. Exortis vt fit inter pastores vtriusque controuersiis, iurgiisque, Abramus veritus ne fortè seruilis discordiæ contagio, ad Dominos perueniret, Lothum optione regionum datâ, ab se dimisit. Is Sodomis amœnitate loci magis, quàm ciuitatis disciplinâ exploratâ, parum stabile fortunarum suarum domicilium collocauit. At Abramus destinatos posteris suis incoluit agros; ibi repente tristis ei nuncius affertur, Lothum cum cæteris qui Sodomis habitarent à Codorlahomore Elamitarum Rege abductum esse captiuum. Codorlahomor enim rex bello persequens [illegible] Sodomorum, aliosque regulos rebellantes, [illegible]mus fusis fugatisque eorum oppida populatus e[illegible]. [illegible] Abramus vernarum suorum delectu habito, confestim noctu victores paruâ manu, de improuiso adortus, vincit ac spoliat prædâ: victoriam reportanti, Melchisedech Rex Solymæ, idemque immortalis Dei sacerdos occurrit, panem ac vinum libans, ab eoque decumas accipit. Abramus prædæ partem sibi debitam iure belli, ne ab rege Sodomorum locupletatus videretur, ei remittit. Ergo ostendens se illi Deus in quiete, hominem bono animo

esse iubet, se præsidium eius ac mercedem copiosam futurum. Petenti liberos, quos fortunarum suarum relinqueret hæredes, copiosissimam, stellarum instar, sobolem pollicetur Signum postulanti mysticum, sacrificium imperat, quod cum Abramus aduolantes abigens aues, ad noctem vsque duxisset, futurum ei Deus prædicit, vt (quoniam nondum Chananæorum cumulata sit improbitas) eius posteri CCCC. annos partim peregrinentur, partim etiam seruiant; tum demum magnis cum opibus, in promissorũ possessionem agrorum, pedem ponant. Porrò Abramus sterili coniuge vtens, eiusdem suasu liberos, ex Agare ancillâ quæsiuit. Ea simul sensit concepisse se, Dominam despicere cœpit, tantos spiritus è sobolis spe sumpserat: itaque ab illa ob contumaciam pulsata, fugam init: Erranti in solitudine obuiam fit Angelus, eamque monet domum vt redeat, hæræ pareat; Eiusq; filium affirmat maximæ gentis principem atque autorem futurum, eiusmodi, qui vnus omnibus aduersetur, omnes habeat aduersarios. Illa ergo domum reuersa, filium parit, cui Abramus Ismaëli nomen imponit. Aliquot inde annis interiectis in vigiliâ ei Deus occurrit, coram se illũ ambulare, ac perfectum esse iubens inde eum multarum gentium parentem fore prænuntians, cum eodem, eiusque posteritate fœdus init, his conditionibus, vt eis ipse Deus esset & semem promissam traderet, illi inuicem velut Deo sacri præputia circũciderent: idque fœdus in maribus infantibus octauo post ortum die in perpetuum seruarent, mox Abramũ paululùm aucto nomine Abrahamũ, Saraim eius coniugem contrà imminuto, Saram appellat, filium se eis daturum promittens, qui nationes complures regesque generaret. E vestigio igitur Abrahamus Numini obtẽperaturus

rus illo ipſo die ſe ipſum homo id ætatis, ſuoſque omnes circũcidit. Erat tũ Iſmaël annos natus xiij. quocircà, Arabes ab illo orti, id circumciſionis tẽpus obſeruant. Tantæ in obſequẽdo celeritati, diuina promiſſa celeriter reſponderunt, nõ multo poſt tres angeli vnius inſtar, ad Abrahami tabernaculum eius inuitatu diuertunt, Iſaaci ortũ clàm ridenti Saræ, Abrahamo etiam Sodomæ finitimarumque vrbium exitium, ob præpoſteræ libidinis licentiã prædicunt. Deprecante Abrahamo ne probi cũ improbis opprimerentur, omnibus ſe parcere velle confirmant, ſi vel decem bonos viros ibi repererint, vſque adeò paucorum probitas multorum improbitatem tegit. Ex hiſce angelis duo Sodomam profecti à Lotho per vim pertrahuntur ſub tectum, & perliberali hoſpitio excipiuntur: repente eius domus à cunctâ ciuitate obſidetur, & ille omni ratione nefariam ciuium libidinem ab hoſpitũ corporibus auertendam ratus, filias ſe eis virgines traditurũ promittebat: Illi tamen ſcelere, ac libidine ſtimulante, per vim in ædes irrumpere conabantur; ſtatim igitur diuinâ vi excæcati ſunt; ita vt in ipſo limine ianuam quærerent. Angeli hoſpitij memores Lothum cum coniuge ac liberis cunctantẽ à præſenti periculo per vim eripiunt, eiſque præcipiunt vt pergentes protinus, quòd retro atq; à tergo fiat ne laborent; nec vllâ de causâ oculos reflectant. His in tuto collocatis tum demum nefarias vrbes flammis cœleſtibus cremant, euertuntque. Eius incendij etiam nunc extant veſtigia; Lacus eſt (à Bituminis copia, Aſphaltites dicitur), in circuitu ſtadiorum mille, venti expers & piſcium; fauillas ac fumum vomit; halitu finitimos agros inficit. Terra nigra eſt & ſordida, picis guttas è ſaxis diſtillans. Itaque vim frugiferam perdidit: fœtus ſegetum atque ar-

 borum

borum, si qui funduntur, putrescunt; solo cœloque iuxtà graui. Locus incendio sterilis pestilensque non minus nefarij incolarũ flagitij, quàm cælestis iræ monumentum. Lothi vxor primo nusquã circumspiciens duces secuta, demùm seu vitio humani generis in vetita tendentis, seu incendij crepitu & pereuntium clamore commota, non temperauit oculis. Itaque cùm contrà angelorum præceptum respexisset, in salis statuam versa est, vt ex eius stultitia documentum alij caperent sapientiæ: duæ eiusdem filiæ extinctum hominum genus ratæ, patrem ebrium suppositis corporibus fefellerũt, adeò nihil est tam fœdum quod nõ admittat ebrietas. Iisdem temporibus Titanes extiterunt in Creta, quorum natu maximus Saturnus fuit, qui pater perhibetur Iouis.

Abrahami porrò fides (Ismaële filio cum Agare ancilla, eius matre ablegato) diuinitus tentata mirè enituit, magno suo ac suorum bono. Imperanti Deo, vt Isaacum vnicum filium stirpis, sua manu immolaret, parere nõ dubitauit. Conatus pro facto fuit. Iam impositum aræ filium ferro appetebat, cùm repente cælesti voce dextram cohibere, filio parcere iubetur. Spectata pietas, egregiáque obediendi voluntas, copiosissima sobole remuneratur, Christóque promisso.

Hæbræorum parenti Abrahamo, Iouem Deorũ patrem, Cretæ Regum, supparem facit Eusebius; vt multis hominibus iunior, ille Deorum pater inueniatur. Is propter paternam in populos charitatem deus est habitus. Eius fratres Neptunus, & Pluto, alter regiæ classis Præfectus, alter funerum inuentor in Græcia, quæ res illi maris, huic inferorum imperium ac nomen peperit apud stultam antiquitatem.

ISAACVS.

ISAACVS.

Anno à Mundo cond. MM.C.

ISAACVS primis Græciæ diis haud multò iunior, vero exorato Deo, Esaum, & Iacobum ex Rebecca vxore genuit sterili. Geraras annonæ causã profectus, Dei numine, coniugis pudicitiam Abimelechi Regis libidine intactã seruat, & rem familiarem auget vehementer. Cæterùm affecta iam ætate, cùm nihil cerneret, à Iacobo filio deceptus, Esaum illi non sine diuino consilio posthabuit.

Isaaci ferè æqualis Argiuorum Rex primus Inachus extitit, cuius filius Phoronæus vagos homines dispersos in vnum coëgisse locum, ac mœnibus legibúsque sepisse memoratur à Græcis.

IACOBVS.

Anno à Mundo cond. MM.CC.

IACOBVS Mesopotamiam petens, in quiete Dei speciem vidit, è summis scalis Christum sibi pollicentis. Inde apud Labanum auunculum maximos greges labore, atque solertia sibi parauit. Ex Lia, Rachele, aliisque vxoribus Patriarchas progenuit duodecim Tribuum auctores. In Palæstinam rediens, post nocturnam cum Angelo luctam, Israël à Deo appellatur. Hinc Israëlitis nomen factum.

In Patriarcharum ætatem Apollo, Mars, Vulcanus,

canus, Venus, Minerua Iouis filij, præcipua Græciæ numina, & superstitionum Patriarchæ inciderunt, itémque Ogyges primus Rex Atticæ, quo regnante, memorabilis illa Atticæ inundatio extitit (mortalium animis superstitione iam obrutis) annis ante Vrbem conditam circiter M L.

I O S E P H V S.

Anno à mundo cond. M M.CC.L.

IOSEPHVS vnus è Patriarchis, paulò post Ogygium diluuium ac superstitionis, vitiorúmque omnium eluuionem, præclara pudicitiæ ac moderationis documēta dedit. A fratribus in Ægyptum per inuidiā amandatus, ac venditus, tum aliis, tum suæ genti saluti fuit, quippe heræ libidine elusâ, falso crimine coniectus in vincula, ob diuinam coniiciendorum somniorum solertiam è carcere ad imperium euocatur, annonæque & Ægypto præpositus ab ipso Rege, Saluator orbis appellatur. Cæterum altitudine animi, fortunæ insolentiam superans fratribus iniuriam, vlciscendi oblata occasione, condonat. Patri persuadet, vti cum stirpe vniuersa demigret in Ægyptum. Erant Israëlitarum tum omninò capita LXXV. sed breui eorum soboles, mirum in modum propagata est, quamuis post Iosephi mortem, opprimente Rege, ærumnis vegetiorem fœcundiorémque fieri diceres.

Iosephi penè æqualem statuit Eusebius Spartum Phoronei filium, qui Spartam condidit, paucis ante annis, quàm Argus, Phoronei nepos, is qui ob prudentiam incredibilem Centoculus dictus est, Argos conderet; quamquam Pausanias Spartam à Lacædemo-

cedæmone Eurotæ Regis filio, conditam prodit eámque Spartæ vxoris eius nomine appellantam. Iobum quoque patientia nobilitatum, Iosephi supparem facit Hieronymus: alij tamen multò iuniorem. Per idem tempus Prometheus, & Atlas egregij Astrologi extiterunt, fabulosis Græcorum carminibus inclyti. Prometheus Iapeto (eî vnus è Titanibus fuit) natus, quòd rudes homines ad humanitatem informasset, hominē ex luto finxisse: quòd in Caucaso Scythiæ monte siderum cursus obseruaret assiduè, caucaso affixus: quod ignis eliciendi è silice, alendique rationem inuenisset, ignem diis subripuisse, dictus est à Poëtis. Atlas autem eius frater propter summam Astrologiæ scientiam, cælum humeris sustinuisse perhibetur: & Atlanti Mauritaniæ monti fecisse nomen.

MOSES.

Anno à Mundo cond. MM. CCCC.

MOSES Iacobi abnepos, Tribu Leui, LX. circiter annis post Iosephi mortem, difficillimo Israëlitarum tempore natus, à Pharaonis filia educatus est, & litteris excultus Ægyptiis. Octogenarius, auctore Deo, adiutore Aarone fratre, Israëlitarum gentem ab Ægyptiorum seruitute vindicare aggreditur, denique Rege plurimis, maximisque prodigiis perculso, anno post diluuium circiter DCCC. Israëlitas, Ægyptiorum spoliis onustos, educit. Phase, seu Pascha, solemnésque Azymorum ferias instituit, partæ libertatis monumentum. Censa sunt Israëlitarum ad millia sexcenta, præter pueros, fœminas, ac promiscuum vulgus.

Omnes

Omnes prospera vtentes valetudine, Mosen sequuti, duce itineris Angelo, noctu ignis specie, nubis interdiu. Cæterùm imminente cum omnibus copiis ægyptiorum Rege, Moses sublatâ virgâ, viam suis inter Erythræi maris fluctus aperit, muniteque, mari in montis speciem vtrinque cumulato. Insequentes Ægyptij, fluctibus circumuenti ad vnum obruuntur omnes, vt ne nuntius quidem tantæ cladis superesset, Israëlitis porrò vasta in solitudine commeatus diuinitùs suppetebat manna de cœlo, aquæ è saxis defluebant. Ad Sinam montem leges Hebræis per Mosem datæ. Aurea arca, & tabernaculum templi instar effectum. Sacra & ceremoniæ institutæ. Aaron summus Sacerdos consecratus. Missi deinde ex Pharan solitudine exploratores in Palæstinam, ea de incolarum proceritate renunciarunt, quibus cunctus populus animo consternatus est, sic prorsus, vt desperata regionis eius possessione, in solitudine mori præoptaret, proinde iratus Deus confirmat fore, vt præter Iosuem & Calebum, qui populum bono animo esse iusserant, ex omni multitudine, quæ censa in solitudine erat, ad promissam sedem perueniat nemo. Itaque eos Moses Dei iussu, annos XL. per solitudinem longissimo circuitu circumduxit, quoad scilicet quicunque Dei numen offenderant, interiissent. Nec verò interitus causæ defuerunt. Chore, Dathan, & Abiron, Moysi, & Aaroni obtrectantes, vnà cum familiis, vasto terræ hiatu absorpti sunt CCL. eorum sectatores, thus incendentes, cælestis ignis incendio hausti. Millia hominum quindecim, qui illorum interitum Mosi vitio verterant, dira clade mactata. Aaron ipse summus Sacerdos qui in elicienda aqua è silice addubitasset, extinctus, Eleazaro filio in eius locum suffecto.

Complures

Complures alij vitæ, ac laboris tædio de Moyſe quæſti igneis ſerpentibus diuinitùs immiſſis, inconſtantiæ, ac temeritatis ſuæ pœnas dederunt. Cæterum ipſe Moyſes propitiato precibus Deo, eius monitu æneum in me[illegible]ſtatuit, ac myſticum ſerpentem, cuius aſpectu [illegible] ſanabantur. Haud ita multo poſt Balaam ariolus, primo Angeli admonitu, fauit Iſraëlitis, execratione in fauſtam precationem verſa: inde reuerſus ad ingenium, indigenas puellas obiecit, vt eos in fraudem illiceret. Haud facile aliàs magis cuiuſquam enituit religionis ardor, quàm tum Phineæ: is quippe libidinis auctoribus in omnium conſpectu transfixis, ipſóque Balaa, cum quinque Regibus indigenis, obtruncato, Iſmaëlitici nominis maculam aboleuit. XL. inde libertatis, & peregrinationis anno ad Iordanem cenſu habito, ſumma eorum, qui arma ferre poſſent, amplius DC. millium fuit, in quibus nemo omninò ex iis, qui antea cenſi fuerant, præter Ioſuem, Calebúmque: nam Moſes ex Abari monte promiſſam ſedem cum proſpexiſſet, interiit, Ioſuë ſucceſſore deſignato.

Eodem ferme tempore ſacra & cæremonias Moſes tradidit Hebræis, & Cecrops Athenarum conditor (diabolo videlicet Deum æmulante) ſimulachra & ſacrificia induxit in Græciam. Cecrope regnante Mercurius, Atlantis nepos, Iouis & Maiæ filius, idémque eloquentiæ, & multarum rerum inuentor extitit. Deucalion, obruta eluuione Theſſalia, mortales complures in Parnaſſi iugis, vbi imperitabat, conſeruauit, eóſque Pyrrhæ coniugis opera, à dura agreſtique vita ad humanum cultum, ciuilémque traduxit. Hinc locus multiplici fabulæ datus. Eadem tempeſtate perinde ac ſi ad hominum perniciem ignis cum aqua coniuraſ-

ſet,

ſet, Phaëtonte Rege, maximum in Italia ad Eridanum flumen exarſit incendium, Poëtarum licentiæ haud parua fingendi materies. Oenotrus porro Lycaone prognatus, quaſi id detrimentum ſarcire vellet, Arcadum coloniâ in Italiam deductâ ad mare Inferum conſedit; Vn[illegible]e indigenis repulſis, frequentauit Italiam. Hi Aborigenes primùm ab incerta origine; inde ab Italo Rege Itali appellati, regioni Italiæ nomen fecere.

IOSVÈS.

Anno à Mundo cond. MMD.

IOSVES, alter Hebręorum Dux, paulo ſeriùs quam Oenotrus, ſed glorioſiùs multo ad deſtinatam ſedem ſuos perduxit: Iordane flumine diuinitus pauliſper ſiccato, traduxit exercitum. Hiericontis inde oppidi muros, Arca fœderis ſepties circumlata, tubarum clangore, atque exercitus clamore diſturbat. Amorrhæos Gabaonem ſociam Hebræis vrbem obſidentes adortus, Sole ac Luna eius iuſſu per vnius diei ſpatium, tanquam ſpectatoribus victoriæ ſubſiſtentibus, occidione occidit. Denium XXX. Regibus, omnibúſque Palęſtinæ gentibus debellatis. Iſraëlitas in promiſſa maioribus ſede collocauit. Agrum, & oppida CXV. bello capta, tributim diuiſit anno poſt Mundum conditum circiter MMD.

Iudæa Tribus inde principatum tenuit. Hęc Adonibezecum Chananęorum Regem, acie victum cepit, capto pręcidit manus, pedéſque. Nec dubia Dei vltoris ira fuit, ipſo Rege prodente, LXX. olim Reges ab ſe captos, pari ſupplicio eſſe mactatos. Exin

Exin Hierosolyma alięque ab aliis tribubus captæ ciuitates, & vectigales factæ. Deo haudquaquam id probante, qui feriri cum iis fœdus vetuerat.

Dum Iosues Hebræos in destinata sede constituit, Danaus, quinquaginta generis per totidem filias contrucidatis, Ægypti regno potitur; sed à Lino genero pulsus, Argos occupat. Orcus, Molossorum Rex, Proserpinam Cereris filiam è Sicilia abripit. Triptolemus subinde longa naui frumentum à Cerere acceptum, Eleusinam (Atticæ ea vrbs erat) primùm inuexit. Europa ab Ioue rapta Minoem, ac Rhadamanthum, tertiæque Orbis terrarum parti nomen peperit, ingens poëtis materies fabularum. Per eadem ferè tempora Athenis concilium Areopagitarum extitit, ex eo dictum; quod in ea vrbis regione, quæ Areopagus appellabatur, Mars capitis causam dixisset. Busiris quoque Neptuni, & Libyæ filius, ad Nilum, per speciem hospitalitatis, in hospites sæuisse dicitur, sanctissimo hospitij iure violato. Haud multò humanius sub ea tempora ab rege Mesopotamiæ accepti sunt domi suæ Israëlitæ, quippe deserta auita religione, deserti ipsi à Deo sunt, & finitimo Regi traditi in seruitutem, quod idem illis postea sæpius vsuuenit: nimirum, vt quem secundis rebus ignorárent, aduersis agnoscerent Deum. Ad eos deinceps liberandos, Iudices diuino munere concessi.

IVDICES HEBRÆORVM.

OTHONIEL.

Anno à Mundo cond. MMDXXX.

OTHONIEL primus Hebræorum Iudex populum resipiscentem, Mesopotamiæ Rege cælo

cæſo in libertatem vendicat : Othonieli Eudus ambidexter, idémque Eglonis Moabitarum Regis interfector; Eudo Debora ſucceſſit mulier virtute pluſquam virili. Hæc Barachum ducem exercitus ad bellum comitata, inſignem de hoſtibus victoriam peperit, muliebris victoriæ Iahel mulier particeps fuit, quæ Siſaram hoſtium imperatorem ex fuga receptum, lacte pro aqua dato, conſopiuit:dormienti tempora trabali traiecit clauo, hoſtiúmque cladem ducis cæde cumulauit.

Dum in Palæſtina etiam mulieres bellicis laudibus florent, apud cæteras nationes viri pacis ferè artibus viguerunt. Triſmegiſtus Mercurij nepos, in Ægypto doctrinæ gloria præſtitit. Ianus in Latio imperitauit. Cadmus, Europæ frater, litteras è Phœnicia deportauit in Græciam; Thebas in Bœotia condidit. Rhadamanthus in Lycia, Minos in Creta inſula ſumma cum ſeueritatis laude regnarunt. Acriſius Argiuorum Rex Amphictyonas, grauiſſimum Græciæ concilium inſtituit: Apollinis Delphici ædem, & oraculum excitauit. Interim Amphion, Lini æqualis, Cadmo eiecto, Thebanáque arce per conciliatos blanda oratione agreſtes homines, extructa, magnam Poëtis mentiendi licentiam fecit. Liber Dionyſius, ſeu Bacchus Nyſam vrbem prope Indum flumen condidit. Indiam muliebri Baccharum exercitu ſubegit. Perſeus Danæ, & Ioue natus, ingens Poëtarum argumentum. Gorgoni meretrici eximia ſpecie, caput dempſit, exin celeberrima Bellerophontis naui traiecit in Aſiam: Barbaros domuit: victos ſuo nomine Perſas appellauit. Pelops quoque Tantali filius, Piſæ Rex, deductis colonis, Peloponneſo nomen fecit, quæ ob amiſſos liberos ex mœrore ſtupefacta, Poëtarum mendacio locum

dedit.

dedit. Dardanus Ioue genitus, Teucri gener, Dardaniæ; eius filius ac successor Tros, Troadi regioni nomen fecerunt. Iano Saturnus successit in Latio, quo Rege omnia communia, omnes liberos fuisse perhibent. Inde Aureum sæculum appellatum. Idem Saturnus agros colere, domos ædificare, vineas ponere, fruges colligere docuit. Neque agrorum modo, sed etiam ingeniorum culturam per id tempus à Græcis accepit Italia. Pelasgi, maritimâ Italiæ orâ, quæ Siciliæ est proxima, occupatâ, literas in Italiam attulerunt, Ab his regio Magna Græcia nominata. Siculus Itali filius: Italia pulsus à Pelasgis, in proximam traiecit insulam, quam olim Cyclopes tenuerant, tum Sicani incolebant. Ab Siculo Rege Siculi: ab his insula Sicilia dicta. Haud ita multis ætatibus post Græcas litteras in Italiam inuectas vernaculæ in Latio litteræ extiterunt. Ab Saturno Picus, à Pico Faunus quartus ab Iano, regnum per manus accepit. Fauni vxor, eadémque Latini Regis mater. Latinas litteras reperisse memoratur. Ita eadē fermè ætate hæc Latinis literas; Debora victoriam peperit Hebræis.

GEDEON.

Anno à Mundo cond. MM. DCC.

GEDEON porro Iudex Hebræorum IV. facinus edidit omnium gentium litteris celebrandum. Roris ac velleris miraculo confirmatus, Dei monitu viros ex omni exercitu trecentos delegit. Hos tubis, ac lampadibus armauit. Tum lagenas, quibus inclusæ lampades erant, complodi, inflarique

que tubas omnes imperat vno tẽpore. Insolita pugnæ species vsq;eo Madianitarum castra turbauit, vt mutua se cæde conficerent. Sentires vtiq:diuina potius, quàm humana ope libertatem Hebræis, & otium partum. Gedeonis filius patri dissimlis Abimelechus fuit: is fratribus cæsis numero ad LXX. tyrannidẽ occupauit minimè diuturnã. Intra triennium, memori diuini Numinis ira, dum turri Thebeti (oppidi nomen est) ignem subdit, molæ fragmine capiti incusso prostratur à fœmina: moribundus armigero se necandum præbet, ne cæsus mulieris dicatur manu.

Extremam Gedeonis diuini Hebræorum Ducis ætatem, Græcorum heroës attigere, haud exigua materia fabularum. Hercules, Orpheus, Castro, Pollux, cæterique Myniæ siue Argonautæ, Argo naui ædificata, Iasone Duce, è Thessalia Colchos (ea Ponti regio est) nauigarunt. Ibi Medeæ Colchorum Regis filiæ opera, custodes feros, ac barbaros deliniunt. Thesauros eò à Phryxo è Thessalia deportatos auferunt. In reditu Laomedontem, Ili filium, Troiæ Regem, ob pactam mercedẽ negatam, violatámq; iurisiurandi religionẽ, obtruncant: regnum Priamo, eius filio tradunt. Theseus Ægei filius, Dædali ope, cum Taurum quendam Minois Regis assleclam in certamine superasset, grauissimo tributo Athenas, patriam suam liberauit: easdémque, compulsis Atticæ incolis è vicis frequentauit. At Minos Dædalum fugientem classe insecutus, in Sicilia à Corcalo Rege necatur in balneo. Theseus inde cum Centauris, Thessalis equitibus benè pugnauit, séque Herculi comitem adiunxit. Bellicosis hominibus bella non defuere. Amazones, mulieres è Scythia oriundæ, amissis in bello viris, cum armis animum.

mum virilem sumpserant, occuparant Asiam, Ephesum condiderant. His Hercules, ac Theseus intulere bellum, easque praelio vicerunt, maiore victarum gloria quàm sua; quippe & mulieres cum talibus viris fortiter depugnarunt, & captiuae, caesis custodibus aufugerunt. Hercules porrò Olympicos ludos, Theseus Isthmios fertur instituisse: Foeda iisque ferè temporibus spectacula edidit Graecia. Atreus, & Thyestes Pelope nati plusquam fraterna intra se odia exercuerunt. Thyestes enim fratris vxori stuprum intulit: Atreus illi vicissim filios epulando apposuit: Oedipus à Laio patre expositus, cum deinde in rixa ignarus occidit; agrumque Thebanum, Sphinge insidiosa muliere elusa occisáque, pacatum reddidit. Ita paternum regnum adeptus, Iocastam matrem inscius ducit vxorem. Caeterùm re omni ex Tyresia vate cognita, sibi ipse eruit oculos; regnum Etheocli, & Polynici filiis relinquit, sed breui intellectum est, quàm infida esset regni societas. Polynices regno à fratre pulsus, ad Adrastum Argiuorum Regem confugit: eius opibus subnixus, fratri bellum infert, comite Amphiarao vate, qui ab Eriphyle coniuge auro corrupta proditus, Alcmeoni filio, matrem vt necaret imperauit, hoc sceleratior vxore, quod filium fecit parricidam. Eo bello Amphiaraus hiatu terrae absorptus: Polynices & frater mutuis vulneribus periere.

IEPHTES.

IEPHTES VII. Hebraeorum Iudex, his, atque ipso Hercule paulò minor natu virtute ac religio

religione, longè maior extitit : is signa cum hoste collaturus vouit, si vicisset se Deo immolaturum quicquid reuertenti primum occurrisset. Confligit cum hoste : victoriam refert : voti damnatur: domum redeundi filia, quam vnicam habebat, prima omnium obuiam venit, victoriam, quam gratulabatur, funestatura. Quare ille filia se vnica orbauit, vt suo dolore iurisiurandi religionem sanciret.

Multo grauior sub idem tempus Priamo Troiano Regi casus euenit, qui cum Helenam à Paride filio suo raptam Græcis reddere noluisset; diuturno bello conflictatus, liberis, regno, vita orbatur à Græcis. Troia euersa anno à Mūdo condito circiter MM. DCCC. ante primā Olympiadem CCCCVI. ante Romam conditam CCCCXXXII. Labdone Hebræorum Iudice (vt Eusebio placet) qui Samsonem proximè antecessit Æneas Troiâ profugus in Italiam venit. Ibi cum Latino, Latinorum Rege (ab Iano is quintus erat) fœdus, affinitatémque iungit; oppidum ab se conditum, ab vxoris nomine, Lauinium appellat; Turnum Rutulorum Regem prælio fundit, fugátque; florentes inde Hetruscorum opes fregit; Latinóque in acie mortuo ipse omnem tulit victoriæ fructum. Ad firmandas opes, Troianis Latinorum leges ab eo, ac nomen impositum. Latinorum ipse Rex dictus. Cùm regnatum esset in Latio à Regibus quinque, annos circiter CL. paucis interiectis mensibus, Æneas aduersus Hetruscos benè pugnans interiit, Cùm exanimum eius corpus nusquam appareret, Deus indiges habitus.

SAMSON

SAMSON.

SAMSON ab heroïcis recens temporibus, Æneæ tempore ſuppar fuit, ſuperior robore. Leonem inermis necauit: Philiſtæos domuit: ſitiens ex aſini maxilla qua hoſtes trucidarat, fuſis ad Deum precibus, fontem elicuit? Cæterum inuictam bello virtutem, in pace mulier vicit. Dalila, quam deperibat, prodente, amiſſis cum coma viribus, in hoſtium poteſtatem peruenit: quibus, orbatus luminibus, diu ludibrio fuit. Demum receptis cum capillo viribus, turpis ſeruitutis honeſtum quæſiuit exitum. Domus eius, vnde Philiſthæi ludentem ipſum ſpectabant, columnas concutit: quibus confractis, ædium ruina hoſtium victor opprimitur.

Quietæ interea res in Latio fuere. Aſcanius Æneæ filius, Lauinio nouercæ relicto. Albam longam condit. Syluio inde Æneæ filio poſthumo regnum à populo delatum eſt, à quo Albani Reges, Syluii appellati, Iulo Aſcanij filio ſacerdotium datum, quod gens Iulia ab Iulo orta hæreditarium habuit: Turbis interim, ac bellis Palæſtina non caruit.

Benjaminia Tribus quod nefarium Gabaïtarum, flagitium defenderet, à cęteris Tribubus bello illato, penè deleta eſt. Ciuili bello hoſtile ſucceſſit. Hebræi aduerſus Philiſthæos cum malè pugnaſſent; Arcam fœderis in caſtra deferri iubent, ſed irato Deo, Diuinum præſidium detrimento magis quàm adiumento fuit. Commiſſo prælio, maximã cladem accipiunt. Arca ipſa in hoſtium peruenit Manus, quo nuncio perculſus Heli Sacerdos, ac Iudex,

dex, è ſella corruit, fractiſque ceruicibus expirauit. Arca apud hoſtes captiua breui diſſimulatum Dei numen oſtendit: maximas quippe hoſtium diis, corporibus, agris intulit clades. Itaque menſe ſeptimo, quàm capta fuerat, cum donis vltrò remittitur, plauſtróque impoſita nouo, à bobus ipſis nullo rectore, in Hebræos fines deuehitur. E Bethſamitis qui Arcam curioſè introſpexerant, millia amplius quinquaginta diuinitùs illata clade perierunt.

SAMVEL.

SAMVEL porrò Iudex poſtremus, hebræis Regem poſtulantibus, Saülem è Tribu Benjaminia, paternas aſinas quæritantem, Dei admonitu conſecrat Regem ſeptenario, antequam Æneæ nepos, regnare occœpit in Latio. Adminiſtrata res Hebræa eſt à Iudicibus annos circiter CCCC.

REGES HEBRÆORVM

SAVL.

Anno à Mundo cond. MM. DCCCC.

SAVL Iſraëlitarum Rex primus, cum regno regium accepit animum, anno poſt Mundum cõditum propè MM. DCCCC. Is Iabenſes, Natha Rege deuicto; qui dextros illis oculos, ſi deditionem facerent effodere conſtituerat, obſidione liberat. Philiſtæos, diuina Ionathæ filij virtute perterre

perterrefactos, cædit, fugátque. Cæterùm Ionatham, qui paternæ ignarus execrationis, è summa virga mel siluestre gustasset morti iuratus addicit. Sed recenti iuuenis merito discussum periculum, & insontis supplicium, deprecanti populo condonatum. Rex porrò re primùm benè gesta, deinde grauiter offendit. Amalecitis cæsis, eorum Regem, ac prædam, contra diuinum imperium seruauit. Quocirca reiicitur à Deo, in eius locum Dauid, è Iudæa Tribu, efficitur. Hic Golia Philistæo gigante, ex prouocatione interfecto, regius euasit gener. Sed magna illi Regis affinitas stetit. A socero primùm clam insidiis petitus, deinde palàm armis exagitatus est. Cæterùm patientia, ac mansuetudine soceri furorem fregit. Bis eum interficere cùm posset, impunè, noluit. Proinde ipse diuini Numinis beneficio, è præsentibus periculis non semel est ereptus. At Saül x x. regni anno aduersus Philistæos pugnans clade accepta, Deo, ac Dauidi pœnas dedit. Eius corpus ab hostibus suspenditur mœnibus: caput in fano Dagonis affigitur. Dauid, inimici soceri morte deplorata, regno iamdiu debito potitur, Rege Latinorum Latino Syluio, Æneę Syluij filio.

DAVID.

DAVID Rex, homo eximia erga inimicos mansuetudine, hostium perpetuò victor extitit. Hierosolymæ artem vi captam, muniuit, eámque suo nomine, Dauidis vrbem dixit. Ibi cum & sibi, & Deo sedem, ac domicilium collocasset, sacrum Tabernaculum, & Arcam fœderis, incredibili apparatu, ac lætitia statuit. Idem porrò

libidine lapſus, documentum dedit imbecillitatis humanæ. Adulterium homicidio cumulauit. Sed à Natha propheta obiurgatus, agnouit culpam, lacrymiſque deleuit, propè honeſtiùs poſt caſum ſurgens, quàm antè ſtetiſſet, Culpam tamen pœna eſt ſecuta. Qui vxori Vriæ ſtuprum obtuliſſet ipsúmque interficiendum curaſſet, regno ab Abſalone filio pellitur. In vxoribus ſuis id probri accipit, quod coniugi intulerat alienæ. Cæterùm diuino Numine demiſſione placato, Abſalonem acie ſuperat, regnum amiſſum recipit. Illuſtre vel irati, vel, placati Dei documentum.

Eodem fermè tempore Abſalon, impietatis in patrem pœnas luit, & Codrus Athenienſium Rex poſtremus, laudem tulit egregiæ in patriam pietatis. Bello Peloponeſiaco ſeu Dorienſi, cùm ex oraculo cognouiſſet, ſuperiores fore hoſtes, niſi Athenienſium Rex cecidiſſet: caput ſuum pro patriæ ſalute deuouit atque idipſum præcauentes fefellit hoſtes. Ruſtico veſtitu indutus, gregarium militem Dorienſem ex iurgio ſauciat, ab eo, vt optabat, interemptus, hoſtium obſidione patriam eximit, Pater patriæ, re magis quàm nomine. Eius morte Athenarum adminiſtratio ad Magiſtratus deuenit, qui Archontes ſunt appellati. Eorum primus Medon fuit filius Codri. Annis circiter L X. poſt extinctum Athenienſe regnum. Hebraicum labefactatum eſt ab eo, à quo vel optimè conſtitutum oportuit.

SALOMON.

SALOMON.

SALOMON Hebræorum III. simul cum diuina sapientia bonorum omnium copiam acceptat. Templum à Dauide patre destinatum magnificentissimè exædificarat, instruxeratque anno post Mundum conditum propè MMM. Alba Syluio Rege Latinorum: in eius dedicatione boum XX. ouium C. millia, eóque ampliùs immolarat. Propter egregiam sapientiæ famam, donis Regum, ac nationum egregiè cultus, perpetuam Palæstinæ pacem, rerúmque omnium pepererat copiam. Sed res nimium secundæ eum pessumdederunt. Ad extremum otij & bonorum abundantia talem virum sui dissimillimum fecit, sapientiam in amentiam vertente luxurie. Ille omnium mortalium sapientissimus, vxoribus DCC. concubinis CCC. iisque alienigenis impleuit regiam, ab his iam senex perducitur ad cultum Deorum, aris quidem ac templis dicatis. Vsque eò difficilè est amare, ac sapere etiam sapienti. Ergo iratus Deus per vatem præsignificauit fore, vt eius regnum distraheretur. Itaque anno regni sui XL. moriens, Roboam filium reliquit regni labentis hæredem. Salomone, senior aliquanto Homerus fuit; siquidem extitit vt Herodotus perhibet, anno C[illegible]II. post bellum Troianum.

ROBOAS.

ROBOAS, nutans paterna culpa imperium, sua stultitia euertit. A populo rogabatur, vt

B 2 de

de oneribus à patre impositis, remitteret, suadebant senes consiliarij, vt æquis populi postulatis obsequeretur, iuuenes contra dissuadebant. Ille æqualium vsus consilio, acerbè admodum respondet populo, eiúsque iusta postulata reiicit. Ergo auctore Ieroboa, exorta seditione, duæ duntaxat Tribus Iudæa, & Beniaminia in fide manserunt, reliquæ regnum Ieroboæ detulerunt: sic duo ex vno regna facta, alterum Iudæ, seu Hierosolymæ: alterum Israëlitis, siue Samariæ dictum est. Iudæa Tribus ac Beniamin Roboæ, ac stirpi deinceps paruerunt Dauidicæ, cæteræ Tribus à Ieroboa primo Rege (ne Hierosolymitani templi religio eas ad Iudææ Regem reuocaret,) ad deorum simulacra traductæ, deprauatæque, diuersissimarum stirpium Reges habuere. Quippe Samariæ Reges omnes ad vnum impij fuerunt, cultorésque idolorum: Hierosolymæ Reges non item: Et hæc duo regna perpetuis inter se bellis ferè contenderunt. Neutris tamen diuini vates defuerunt. Ieroboam Regem Israëlitarum thus aureo vitulo incendentem. Propheta grauiter accusauit. Extemplo Rex irâ furens comprehendi hominem manu porrecta, iubet: ecce tibi manus, ita vt erat, exaruit. Tum verò Rex suum scelus agnoscere, diuino supplicare vati, ita illo deprecante manum incolumem recipit. Propheta in reditu ab alio Propheta per mendacium deceptus, apud eum contra Dei cœnauit imperium, non tamen impunè. Ab eo digressum leo diuinitùs immissus interficit, Asinum, quo is vehebatur, dimittit incolumem. Roboas quoque Rex Hierosolymæ paulatim Ieroboæ impietatem æmulatus auitam interim religionem neglexerat: aras, statuas, lucos in collibus instituerat. Itaque à Sesaco Ægypti Rege Hierosolyma obside

obsidetur. Accedit Semeiæ prophetæ, denunciatio, Iudæos desertos à Deo, quòd ipsi ante Deum deseruissent. Illi resipiscere: pacem à Deo ac veniam suppliciter orare. Nec spes eos fefellit. Sesacus pacem, omni sacra supellectili pactus, dedit. Execrandæ tamen illæ religiones diu collibus hæsere, Roboas XVII. regni anno excedens è vita, Abiæ filio regnum legat, Syluio Athy Rege Latinorum.

ABIAS.

ABIAS vt paternæ impietatis labem elueret; religionis causa Ieroboæ intulit bellum. Cæterum illius copiis circumuentus, Dei fidem implorat. Ecce autem sacerdotalium tubarum clangore, & Iudæi clamore exercitus, tantus repentè timor incessit hostes, vt effusa fuga palantes cęderentur. Constat eo prælio L. Israëlitarum millia desiderata: Ieroboam ipsum diuinitùs percussum non diu fuisse superstitem. Abiæ III. regni anno Asa filius successit.

ASA.

ASA summa Rex pietate, expiata Hierosolyma, & fœdissimo Priapi simulacro ad Cedronem torrentem exusto templum adornauit. Zarem Æthiopem innumerabilibus copiis Hierosolymitanum agrum vastantem, diuino auxilio implorato, prælio vicit: inde cùm Benadabum Damasci Regem in Baasam Regem Israëlitarum magnis muneribus incitasset; ab Hanano Propheta Dei verbis obiurgatur, quòd Syriæ potiùs

Regem imploraſſet, quàm Deum; cuius nuper maiore in periculo præſentem ſenſiſſet opem. Ibi tum ille obiurgationis impatiens, diuinum vatem in vincula coniici iuber. Itaque ipſe haud dubia ira diuini numinis, pedibus æger, cæleſti ope neglecta, medicorum arte fretus interiit: documentóque fuit medicamenta parum prodeſſe corporibus eorum, qui diuinam animo reſpuunt medicinam. Regnauit annos X L I. eius buſtum nimio luxu factum, vnguentis odoribúſque exquiſitiſſimis adhibitis: quaſi vnguentorum odor arrogantiæ infamiam poſſet obruere

Hoc regnante, Capys regnum tenuit in Latio, Amrius Iſraëlitarum Rex Samariã vrbem regiam.

IOSAPHATVS.

Anno à Mundo cond. propè MMML.

IOSAPHATVS Rex VI. à Dauide pietate Dauid alter fuit, ſucciſis lucis, collibúſque expiatis, aſſeclarum primores vnà cum Sacerdotibus, ad ſuæ ditionis homines oppidatim erudiendos dimiſit. Ea re finitimos ita fregit hoſtes, vt ei munera mitterent, & vectigal ſponte penderent. At Achabus Samariæ Rex Iezabele, Sidoniorum Regis filia in matrimonium ducta, perinde quaſi impietate cum Ioſaphati pietate certaret, Baali fanum Samariæ dicat: aras & lucos inſtituit, Huius magiſtra inſaniæ coniux Iezabel fuit, cuius furori in ſacros vates ſæuienti Elias Theſbites reſtitit: imbres per annos tres, & eo amplius ab eorum ditione prohibuit: cùm voluit reddidit: Pſeudoprophetas in certamine religionis victos, numero ad

ad CCCCL. obtruncauit. Iosaphatus inde cum Achabo amicitiam & affinitatem iunxit, magno & periculo suo, & pernicie liberorum. Bello, quod Achabus gessit contra Syros, Iosaphatus belli socius à Syris circumuentus, in pugna occidisset vtique, nisi cæleste auxilium implorasset. Dei tectus præsidio, auersisque aliò hostibus euadit incolumis. At Achabus, qui alieno vestitu inierat prælium, casu, aut diuinitùs potiùs sagitta transfixus cadit. Iosaphatum porrò è bello reuersum Iehus propheta vehementer incusat, quod cum homine impio societatem inierit; meruisse quidem ipsum vt socius calamitatis foret; sed eius pietati Deum pepercisse: haud leue documentum, quam exitialis sit societas improborum. Syris porrò & Moabitis arma inferentibus, Iosaphatus ieiunio & supplicationibus cœleste Numen placat, diuinaque pugnandi ratione hostibus occurrens cantores præire diuinas laudes canentes iubet: vix cani cœptum erat, cùm repente hostes mutuis se vulneribus concidunt. Itaque ipse Deo pro se pugnante, spectator otiosus hostilis calamitatis fuit. Dispar Ochoziam Achabi filium excepit exitus. E cœnaculo delapsus, cum grauiter ægrotaret, misit qui de morbi euentu Beelzebubem consulerent, his Elias obuiam factus denunciat, Regem, qui Deos consulendos putarit, eo ipso morbo moriturum, Regios satellites ad se comprehendendum missos, cœlesti comburit igni. Ipse Regi eadem prædicit, & prædictionem res ipsa comprobauit. Denique Elias igneo curru sublimis cum raperetur in cœlum, Eliseo discipulo spectanti reliquit pallium. Hoc ille pallio Iordanem cùm percussisset, diuisis vndis transiit. Ex eo cognitum Eliæ spiritum in Eliseo resedisse; quod idem postea

multæ prædictiones, & miracula declararunt, Nec ita multo post Iosaphatus XXX. regni sui anno excedens è vita. Ioræ filio regnum per manus tradit.

Eodem ferè tempore, Tiberinus Capeti filius, Capys nepos, Rex Albanorum ab Ascanio nonus, in traiectu Albulæ annis submersus, flumini nomen dedit.

IORAS.

IORAS Iudeæ Rex Achabi Regis gener, impietatem soceri secutus, & vxoris à paterna pietate degenerauit: quippe dominandi instinctus rabie, fratres omnes de medio sustulit. Ergo, vltore tanti sceleris Deo, populi plerique ab eo deficiunt, & Philistæi, Arabésque Iudæam populari, Hierosolymam ipsam, domumque regiam diripiunt. Regia stirps omnis abducitur in seruitutem, vno Ochozia natu minimo relicto. Ioras ipse insanabili alui morbo misere (vt etiam intestina egereret) consumptus; exequiis, & sepulchro caruit regio.

OCHOSIAS.

OCHOSIAS Hierosólymæ Rex impius ex paterna maternaque disciplina annum regnauit omnino vnum, Iehus à Propheta quodam, Elisei iussu Rex Samariæ consecratus ad Achabi stirpem funditus delendam, Rex à cæteris Ducibus, vniuersóque exercitu consalutatur. Inde Samariam infesto agmine contendit. Ioram Samariæ Regem, simulque Ochoziam, qui ad eum venerat, sibi.

sibi occurrentes interficit. Iezabelem de fenestra, vnde spectabat præcipitari iubet, ea simul & præcipitata, & à canibus, (vti Elias prædixerat) deuorata est. Sacerdotes Baalis, ac pseudo prophetæ per solemnis sacrificij simulationem coactis in ipso Baalis fano ad vnum mactantur omnes. Idolum eodem impetu comminutum est, templumque funditus euersum. Hisce rebus gestis meritus est Iehus, vt eius posteri ad quartam vsque ætatem regno potirentur, etsi ipse deinde à germana religione deflexerat. Dum Iehus Samariam expiat, Athalia Ochoziæ mater nefarias religiones induxit Hierosolymam. Hæc stirpe regia interfecta, dominatum occupauerat: paternis, hoc est, impiis & execrandis sacris vrbem, templumque polluerat, Cæterum VII. anno Ioiadas Pontifex, idémque Ochoziæ affinis (eius quippè sororem habebat in matrimonio) Ioam Ochosiæ filium septennem, vxoris opera à cæde seruatum, atque in templo ipso altum educatúmque centurionibus, ac populo adiuuantibus, producit, insignitum diademate Regem appellat: Athaliam interuenientem è templo abripi, necarique imperat: Hierosolymam expiat, Agrippa Rege Latinorum.

IOAS.

Anno à Mundo cond. MMMC.

IOAS decimus à Dauide Rex Iudæorum gazophylacium pro templi valuis statuit. Templum ab Athalia spoliatum, collectitia pecunia instauratum decorauit. Sed cum bonum magister faciebat, Ioiada mortuo, Principum adulationibus

deprauatur desertáque auita religione, lucos, ac Deos sequitur: Zachariam prophetam, eundémque Ioiadæ filium nefariis religionibus aduersantem æquè ingratus atque impius; in ipso templi vestibulo lapidibus obruit. Ergo vertente anno Iudæa regio à non magna Syrorum manu direpta est. Regni primores ad vnum occisi. Rex ipse ignominiosè tractatus, auro omni tum sacro, tum profano sese redemit. Nec ita multo post à suis in ipso lectulo necatus anno regni XL. regiæ sepulturæ expers fuit. Eius morte regnum ad Amasiam filium peruenit.

Miseriorem etiam exitum Romulus Syluius XII. Albanorum Rex habuit quòd esset arrogantia maiore: is supra humanum fastigium elatus pro Deo se gerens, tonitrua, ac fulgura imitabatur. Quare cùm cœleste Numen irritasset, vero fulmine ictus deflagrauit, Auentinus deinde obtinuit regnum qui colli, vbi sepultus est, cognomen dedit.

AMASIAS.

AMasias Rex Iudææ, vt Idumæam omnibus viribus adoriretur; delectu habito, centum Israëlitarum millia conduxerat. Repentè à Propheta, Dei verbis monetur vti stipendiarios dimittat milites, diuináque magis ope, quàm militum multitudine confidat. Paret ille vel vati, vel Deo, nulla habita persoluti iam stipendij ratione. Confligit cum hoste: victoriam ac prædam ingentem reportat. Sed prædæ ipse suæ præda fuit: captiua ac prædatitia Deorum simulachra demens colere, venerarique cœpit. Quocirca obiurgantis Prophe-

ta-

tæ vocem surdis respuens auribus, ab Ioa rege Samariæ, quem temerè lacessiuerat, amisso exercitu, capitur: muri Hierosolymitani diruuntur: templum auro argentoque spoliatur: gaza regia, atque obsides asportantur: Rex ipse paulo post necatur à suis. At Ioas Rex Samariæ, Eliseum morientem cùm inuisisset, ex eius vaticinatione, Benadadum Syriæ Regem tribus attriuit cladibus. Eliseus porrò morte obita, publico funere celebratus est, & virtus etiam sepulti diuinitus honorata. In eius sepulchrum mortuus quidam fortè coniectus, sanctorum ossium contactu reuixit.

Elisei ferè æqualem Eusebius Lycurgum perhibet, qui Lacedæmoniorum regnum à fratre relictum, cùm aliquandiu administrasset, nato fratris filio posthumo Charilao, sua sponte regno se abdicauit, non minore laude fidei, quàm prudentiæ. Inde Optimatibus auctoribus, ipsóque Charilao, rempubl. constituit: agrum Laconicum viritim æqualiter diuisit: auri argentíque vsum sustulit, ferreo numo inducto: leges non litteris, sed disciplinæ mandauit. In legibus, quas ille Rhetras appellauit, fuit, ne leges scriberentur, nimirum vt moribus custodirentur. Alcandrum, qui ei oculum in turba effoderat, ad supplicium sibi à Populo datum, clementia ac facilitate ex inimico amicissimum reddidit. Ciues inde sacramento cùm adegisset, nihil de legibus immutaturos, quoad ipse à consulendo Delphico reuertisset oraculo, exul voluntarius in Creta obiit, sub necem Iudæorum Regis Amasiæ.

OZIAS.

OZIAS.

OZIAS, qui etiam Azarias dictus est, amasiæ filius ac successor fuit XII. Rex Hierosolymæ. Is Zacharia Propheta est vsus ita, vt Ieroboamus Rex Samariæ Iona. Ozias igitur Deo ob singularem religionem charus Philisthæos domuit, deuicit Arabes, Moabitas stipendiarios fecit. Cæterùm victorem hostium vicit superbia. Victoria elatus sacerdotale munus inuadit, Sacerdotibus nequicquam reclamantibus: thus incendit in templo, nec impunè: mox lepra diuinitus affectus à Sacerdotibus eiicitur. Itaque à cœtu hominum submotus, Ioathæ filio regni administrationem reliquit is, qui per arrogantiam sacerdotale sibi munus adsciuerat.

Nihilo honestior per eadem tempora aut Amulij Latinorum Regis causa aut Sardanapali, postremi Assyriorum Regis, exitus fuit. Amulius, Numitore maiore fratre pulso, regnum occupauit: id tutò vt teneret, scelus scelere cumulat: virilem fratris stirpem interficit: Rheam Syluiam filiam eius vnicam, Vastalem virginem legit, quò spem sobolis ei præcidat omnem.

Sardanapalus autem à Nino XXXV. (per tot enim Reges posteritati suæ Ninus imperium propagauit) homo planè effœminatus, cum fœminis muliebri viuebat ritu: parietibus, ac tectis nequitiam occultabat, quasi quicquam tam tectum esse possit quod non dies proferat in lucem. Hunc igitur Arbaces Medorum præfectus, purpuram in puellarum choro nentem conspicatus, populis persuadet, vt fœminæ sibi non ferendum imperium putent,

tent, Arma contra Regem capit; minimè paratum ad resistendum, iámque luxurie victum sua. Itaque Rex prælio superatus, se concubinasque suas & quicquid in vita charum fuerat coniicit in rogum, idoneo sanè libidinis supplicio quæsito.

Arbaces annis ante primam Olympiadem propè L. post Mundum conditum propè MMMM. CL. regno occupato imperium ab Assyriis transtulit ad Medos, cùm stetisset imperium Assyriorum annos circiter M. & CCC. auctore Iustino. Mansit tamen apud Assyrios species quædam imperij: neque enim regnum, neque Reges omninò defecerunt.

Paucis annis interiectis Elisa, quæ etiam Dido appellabatur Pygmalionem fratrem Sichæi viri sui, interfectorem exosa, omnem viri gazam clam imponit in naues: cum multis primariis ciuibus consilij, ac vitæ sociis Tyro soluit. Ad Lybiam appulsa vrbem condit quæ Byrsa primùm, inde opibus aucta, Carthago dicta est. Hæc non minus vrbe condita, quam conseruata pudicitia illustris fuit. Cùm enim à multis expeteretur procis, ne Hyarbæ Mantusiorum Regi finitimo nubere cogeretur; sibi manus intulit. Ob egregium pudicitiæ studium, quamdiu stetit Carthago, Dea numerata. Condita Carthago est, vt Dionysio placet, annis ante primam Olympiadem XXXVIII. ante Romam conditam circiter LXX. post captam Troiam circiter CCCLXX. Sub idem tempus Bocchorus, seu Bocchorides Rex Ægypti, & iura constituit, haud multis annis ante primam Olympiadem, & Regnum Ioathæ Regis Iudæorum.

IOATHAS.

IOATHAS.

IOathas Oziæ filius, vir pius, & Deo charus, Ammonitis debellatis tributum imposuit. Hoc Rege primam Olympiadem actam, scribit Africanus, quæ ab Iphito Elæo magistratu instituta est: quinquennali Olympicorum ludorum celebritate, apud Olympiam. Peloponnesi vrbem inducta. Ex eo tempore Græci ad tempora distinguenda Olympiadas, Romanis lustris pares, adhibere cœperunt. Ante id tempus fabulæ viguere. Ex eo Græcorum initium ducit historia. In auspiciis primæ Olympiadis, si Herodoto credimus, Hesiodus obiit Homero iunior annis circiter C X L. Ioathas autem X V I. regni anno moriens, regnum Achæ filio legat.

ACHAS.

ACHAS parenti dissimillimus ab auita religione abhorruit: aras, ac statuas Baali posuit. Liberos lustrauit igni. Itaque ab Regibus Samariæ ac Syriæ magnam cladem accepit; ab Idumæis Philistæisque vexatus est, maxime verò ab Rege Assyriorum: eò demum dementiæ venit, vt Damascenos sibi placandos censeret Deos, & clauso templo aras Diis passim excitaret.

Eadem tempestate Theopompus Lacedæmoniorum Rex, quò regnum communicata cum populo potestate, efficeret diuturnius; Ephoros quinque (hi Tribunis plebis apud Romanos persimiles fuerunt) creauit, anno post Lycurgum CXXX.

In Latio autem Romulus, & Remus Ilia Vestali Numitoris

Numitoris filia nati, ab Amulio maiore auunculo expositi, à Faustulo Pastore regio educati sunt. Confirmata inde ætate, Numitorem auum agnoscunt, eúmque Amulio obtruncato restituunt in regnum. Ipsi coacta pastorum, & conuenarum, manu nouam in Palatio, vbi educati fuerant, condunt vrbem, cui destinabatur imperium Orbis terræ.

LIBER II.

ROMVLVS.

Anno à Mundo cond. MMMCCXXV.

ROMA condita est (vt Dionysio placet) Olympiade VII. ineunte, anno post Troiam euersam CCCCXXXII. post Mundum cond. circiter MMMCCXXV. Vrbi Romulus augurio superior nomen dedit, muro circumdedit. Remum fratrem verbo quòd per contumeliam muros nouos transiliisset, re vera quod regni socium habere nollet, morte mulctauit. Asylum deinde in Capitolio aperuit, magnámque perfugarum mulitudinem coëgit. Ex tam paruis initiis tanta vrbs extitit, ne viribus consilium deesset, centum Senatores legit. Patres ab honore, atque ætate, Patriciique eorum progenies appellati. Connubia nouo populo cùm à finitimis non impetrasset, extorsit. Consualibus ludis Sabinas, aliásque Virgines, quæ Romam spectandi studio confluxerant, rapi iubent. Itaque finitimi populi Romanis inferunt bellum.

Romulus

Romulus Cæninis fugatis, eorumque Rege obtruncato. Ioui Feretrio, cui tum ædem in Capitolio dicauit, optima spolia tulit. De Antemnatibus triumphauit. Inde à Tatio Sabinorum Rege aciem suam fugari videns; Ioui Statori templum vouet in foro, Mox redintegrato Bello victores vicissim fundit, fugatque. Ibi tum Sabinæ in aciem ex transuerso irrumpentes prælium sua causa commissum precibus dirimunt. Percutitur inter Duces fœdus & regno consociato. Sabini commigrant Romam. Romulus ciuitate in curias xxx. diuisa, curiis nomina imposuit Sabinarum. Populum in tres distribuit partes quas Tribus appellauit. Tenuiorum clientelas patrocinio commisit locupletum. Ita plebem Patribus deuinxit Bello, à Fidenatibus, & Veientibus illato, Fidenas cepit. Veientes Victos agri parte mulctauit. Denique exercitum extra pomœrium ad Capreæ paludem cùm recenseret, subita coorta tempestate nusquam apparuit. Regnauit annos XXXVIII.

Dum Romana res efflorescit, Hebræa afflicta magna ex parte concidit. Paucis annis post Vrbem conditam, Samaria, à Salmanassere Assyriorum Rege capta, & euersa est Olympiade VIII. Tribus decem cum Osea Rege in Assyrios adductæ. Vnus à captiuis Tobias fuit cui libertatem in ipsa seruitute pietas conseruauit. Hierosolyma quoque deinde à Sennacheribo Salmassaris filio obsessa. Rex tum erat Hierosolymæ Ezechias Acha Rege natus, homo singulari pietate. Is vrbem paternis superstitionibus expiarat: sustulerat lucos: templum ornarat, cærimonias restituerat. Quare insultante hoste, & prædicante Hierosolymitanos, à Deo suo liberari non posse, confirmatur Ezechias oratione Isaiæ vaticinantis, fore vt breui hostis obsidionem soluerct.

neret. Insecuta igitur nocte contrucidantur ab Angelo millia hostium CLXXXV. Rex summo cum dedecore Niniuem reuersus, in captiuos Israëlitas furorem conuertit suum. Eam procellam Tobiæ benignitas fecit leuiorem: is quippe mortuos sepultura, viuos omni ope iuuit. Cæterum satis iam in alienis malis spectata, in suo casu longè magis enituit virtus nidificantis hirundinis stercore obcæcatus singularis patientiæ documentum dedit. Tandem Raphaëlis Archangeli beneficio peropportuno, vt filium reducem intueretur, lumen recepit. At Ezechias hostium metu liberatus, grauem in morbum incidit: quo morbo cùm eum Isaias denuntiasset moriturum, ille Deum cum lacrimis orauit pariter exorauítque. Valetudinis signum vmbram decem in horologio lineas regredientem accepit. Tertio die valens templum adiit, annis XV. ad vitam additis.

NVMA POMPILIVS.

Anno ab Vrbe cond. XXXIX.

NVMA POMPILIVS Romanorum Rex II. extrema Ezechiæ tempora attigit. Is propter sapientiæ famam, ad regnum è Curibus Sabinorum oppido vocatus, eo admirabilior Rex fuit, quod recusauit diu regnum. Romam armis ferocem, religione, vel potius superstitione mansuefecit. Sacra Sacerdotésque instituit, simulatis cum Dea Ægeria nocturnis congressibus, eius se monitu sacra, ac cætera instituere præ se ferens. Iani dein templum

templum extruxit, eiúsque valuas pacis bellique indices clausit: annum qui mensibus Martio, & Decembri, Romuli instituto claudebatur; Ianuario, ac Frebruario additis expleuit. Anni initium Ianuarium esse voluit; fastos nefastóque dies notauit. Regnauit annos XLII.

Haudminus Manasses ab Ezechia patre, quàm Numa à Romulo, diversus fuit. Lucos aráſque Baali restituit, liberos igni expiavit; somnia auguriáque observavit: magicis artibus inservivit, Hierosolymam innocentium sanguine implevit. Accessit in scelerum cumulum cædes Isaiæ, quem, exitium, & iram diuini Numinis denunciantem lignea serra dissecari imperauit. Itaque Assyriis armis opprimitur, amissoque regno, Babylonem catenis vinctus abstrahitur. Ibi ærumnis quasi expergefactus, cum scelerum suorum veniam suppliciter petiisset à Deo; etiam ab hoste impetrauit. Proinde diuini Numinis magis, quàm barbari hostis beneficio, in regnum restituitur. Mutata inde vitæ ratione, Deorum simulachra, lucos, arasque sustulit; Deum piè, sanctéque coluit.

Sunt qui sub id tempus Iuditham extitisse velint, eam à qua Holofernes Assyriorũ dux fuit obtruncatus. Ac sanè illa historia cum his temporibus planè congruere videtur. Gyges quoque (vt tradit Eusebuis) in eadem tempora incidit, qui intimus Candaulis Lydorum Regis fuisse assecla dicitur, ab eoque coactus, vt clam nudæ Reginæ speciem contemplaretur. Re deinde patefacta Reginę, iussu Regem obtruncasse, ipsumque regnum inuasisse.

TVLLVS.

TVLLVS HOSTILIVS.

Anno ab Vrbe cond. C.

TVllus Hoſtilius interea poſt Numam Rex creatus neglecta religione, ipſum Romulum ferocia ſuperauit. Bellum Albanis intulit. Eo bello placuit vtriſque paucorum certamine decerni, vtri vtris imperarent. Tres Horatij Romani, cum tribus Curiatiis Albanis compoſiti. Victoria penes Romanos fuit. Albani in populi Romani ditionem redacti, cùm rebellaſſent, Tullus Metium Suffetium Albanorum Dictatorem, qui defectionis auctor fuerat, quadrigis illigatum diſtrahit. Albanos, Albâ euersâ, Romam demigrare iubet: Diruta Alba eſt anno propè D. poſtquam fuerat ab Aſcanio condita. Roma Albæ ruinis aucta. Duplicato ciuium numero, Cælius mons, Vrbi additus. Primores Albanorum in Patres lecti. Ordine aucto, curia extructa, quæ Hoſtilia dicta eſt. Ad vltimum Rex diuturno implicatus morbo, nullam non ſuſcepit ſuperſtitionem. Sed dum valetudinem malis artibus recuperare ſtudet, vitam amiſit. Sacra Ioui Elicio cùm non ritè feciſſet (vt profanæ hiſtoriæ produnt) fulmine ictus cum domo conflagrauit, anno regni ſui XXXII.

Nihilo lætior Amonis Hieroſolymorum Regis exitus: is cùm primos illos Manaſſæ parentis furores ſuperaſſet, II. regni anno domi à famulis ſuis interficitur.

ANCVS.

ANCVS MARTIVS.

ANcvs Martivs Numæ aui instituta studiosè retinens, religionem ac pacem coluit. Sed Latinorum armis lacessitus per Feciales (quos Sacerdotes iusti belli arbitros fecerat) eis bellum indicit. Multis Latinorum oppidis expugnatis, multa Latinorum millia in ciuitatem ascifcit. Auentinum nouis ciuibus datum. Ianiculum inde munitum, & vrbi sublicio ponte coniunctum. Carcer in media vrbe imminens foro ædificatus. Exin Sylua Mæsia Veientibus adempta, vsque ad mare Romanum imperium propagauit. Ostiam vrbem in ore Tyberis condidit. Anno regni XXIII. moriens, Tarquinium Priscum liberorum suorum tutorem reliquit, apud quem plus imperandi cupiditas, quàm fides valuit. Ablegatis venatum regiis pueris, cùm comitia haberentur, Priscus effecit vt ipse Rex crearetur.

Anci æqualis Iosias numeratur, Ezechiæ nepos; is à puero religionem amplexus Hierosolymâ expiatâ, populares ad auitam pietatem reuocauit. Verùm egregiam eius virtutem parum consulta quædam fiducia afflixit perdidítque, Necaoni Ægyptiorum Regi in Assyrios exercitum ducenti cum infestis copiis occurrit. Dei verbis ab illo admonitus, vti prælio abstineret, nihilominus acie decernit. Itaque re malè gesta, in prælio sauciatur: ex eo vulnere paucis post diebus moritur anno regni sui XXXIII. Eum cunctus populus luxit: Ieremias lamentationibus prosecutus est eiusmodi, quæ deinceps canerentur.

TARQVI-

TARQVINIVS PRISCVS.

TARQVINIVS PRISCVS regnum fraude partum vt firmaret, centum in Patres legit, qui minorum gentium sunt appellati. Circo, qui postea Maximus dictus est, inter Palatinum, & Auentinum locum designauit. Solemnes inde annuique mansere ludi. Circenses à Circe appellati. Hetruscorum deinde opes cùm fregisset, ab his principatum vltro deferentibus, coronam auream, sellam eburneam, togam purpuream pictam, sceptrum, regia insignia accepit, quibus vsi sunt deinceps Reges Romani. Latinorum nomen omnibus propè eorum oppidis captis, domat. Sabinis deuictis Collatiam adimit. Infima vrbis loca, cloacis è fastigio in Tiberim ductis, regio planè opere siccat. Ad eum Sibylla Cumana carminum libros attulisse dicitur, qui libri Sibyllini dicti, & XV. viris commissi. Demum Tarquinius inchoata Iouis Capitolini æde, filiorum Anci opera grauiter vulneratus, excessit è vita cùm annos regnasset XXXVII. & Vrbem muro lapideo cingere instituisset.

Dispar omninò fuit Romanorum conditio, & Iudæorum, qui deserta auita religione patriam, templum, regnum, libertatem iisdem temporibus amiserunt. Ioachas, Iosia natus, patri dissimillimus, tertio mense regno spoliatus, Nechaoni Ægyptiorũ Regi diuinitus traditur in seruitutem. Eliacimus inde Ioachæ frater, cui versum nomen Ioacimus, postea & Ioachimus (qui & Iechonias dictus est) Eliacimo genitus regni atque impietatis successor à Nabuchodonosore Chaldæorum Rege, pari ratione cum Daniele, omníque nobilitate in seruitutẽ adducitur. Ex captiuorum numero Mardochæus fuit

fuit, seu potius Cis, atauus Mardochæi, de quo posterius dicturi sumus.

Grauiore conditione Athenæ liberæ vsæ sunt, quàm Hierosolyma captiua. Dracon atrocissimas Atheniensibus leges imposuit, quibus æquè minima peccata (vt pomorum atque olerum furta) ac maxima scelera, capitalia erant. Breui tamen cum Iudæi diuina patientia abuterentur, exitialis Hierosolymæ exitus est consecutus.

Sedechias Rex Iudæorum postremus, ob defectionem ab Rege Babylonis, filiis atque oculis orbatus est, & in catenas, ac seruitutem redactus. Templum quoque ac Hierosolyma incensa, Ciues Babylonem traducti Olympiade XLVII. anno post templum conditum circiter CCCC XL. Regnatũ est Hierosolymis à Regibus XXX. annos circiter D.

Eadem verò ætate Nabuchodonosor Hierosolymam Syriæ, & Cyaxares Niniuem Assyriæ lumen extinxit. Cyaxares Medorum Rex Phraortem patrem, vt vlcisceretur, qui ad Niniuem cum exercitu ceciderat; Niniuem obsidione captam solo æquauit.

Dum Palæstina, & Syria barbarorum armis deuastantur, Græcia sapientum institutis extollitur. Septem illi Græciæ sapientes vno tempore extitere, ex quorum numero Solon, abrogatis Draconis legibus, commodiores Atheniensibus leges tulit.

SERVIVS TVLLIVS.

Anno ab Vrbe cond. CC.

SERVIVS TVLLIVS. VI. Romanorum Rex, Sapientum suppar ætati, vir prudens, ac sapiens in

in primis fuit. Is Hetruscis, ac Veientibus debellatis, censum instituit: lustrum induxit, vt quinto quoque anno populus Romanus ceneretur. Populum ex censu in classes quinque, classes in centurias ex ætate descripsit. Senatum deinde supplet: Vrbi Quirinalem, Viminalem, Exquilinum montem adiungit. Vrbem septem impositam montibus aggere, fossis, muróque circundat, paucis annis post Hierosolymam euersam. Ipse à L. Tarquinio genero ante Curiam ipsam regno, vitáque spoliatur anno regni sui XLIV. Quo cæso, Tarquinius Romæ tyrannidem occupauit.

Id malum multo etiam antè senserat Græcia, vbi Tyranni complures per eadem ferè tempora extitere. Nam velut ex composito Periander (is qui supplicium de nautis sumpsit, à quibus Arion Methymnæus coactus fuerat in mare desilire) principatum occupauit Corinthi. Pisistratus Athenis, nequicquam obsistente Solone. Thrasibulus Meliti. Polycrates homo fortunatissimus in Samo insula. Agrogentinus Phalaris tyrannorum immanissimus in Sicilia.

Eadem ætas & Tyrannorum feracissima fuit, & Sapientum. Nam præter septem illos Græciæ sapientes, & Æsopum sapientissimum, fabularum architectum, Pytagoras, qui se primus Philosophum nominauit, in ea ora Italiæ, quæ Magna Græcia dicebatur, discipulis floruit Rege Seruio. Huic Tyrannorum ac Sapientum ætati, vberrimus Lyricorum Poëtarum fœtus successit in Græcia. Sappho enim, Alcæus, Stesichorus, Simonides, Anachreon, Pindarus, eodem omnes sæculo illustres fuere.

Cyrus persa interea Seruio Regi Rom. ætate suppar, virtute superior, Harpagi Ducis copiis auctus, Astyagem auum, postremum Medorum Regem

gem, à quo ipse infans fuerat expositus, bello periit, debellatum in honore habuit. Imperium Medorum transiit ad Persas, cum stetisset annos circiter CCC.

Cyrus inde Assyria, Cappadocia, Arabia, ac tota propè Asia potitus, capit Babylonem: ibi Danielem complexus est. Iudæos anno seruitutis LXX. liberat. Crœsum opulentissimum Lydorum Regem, bello lacessentem prælio superat: expugnatísque Sardibus, vrbe regia viuum capit, & quod sine causa contra se arma sumpsisset, ardentem in pyram iniici iubet. Tum verò ille, Solonis paulò antè demortui vocem, *Mortalem ante mortem beatum dicendum neminem*, veram esse intelligere, Solonem magna voce inclamare. Itaque Cyrus de rerum humanarum vicissitudine admonitus, hominem supplicio liberatum, apud se liberaliter habuit.

Ipse porrò infinito propagandi imperij studio longiùs prouectus in fœdam calamitatem incidit. Bactrianis, Cilicibus, Paphlagonibus subactis, bellum Scythis intulit principio lætiore, quàm exitu. Tomyris Reginæ filium fugæ simulatione, & vini, epularúmque illecebra deceptum cum exercitu cædit. Breuis & fallax fuit fructus victoriæ. Victoria elatus Cyrus in iniquum locum progreditur, vbi insidiis hostium, locorúmque angustiis circumuentus, cum omnibus copiis conciditur. Fertur Tomyris Cyri caput in vtrem, humano plenum sanguine coniecisse cum exprobratione crudelitatis: *Satia te sanguine, quem sitisti.* Obiit Cyrus, cùm regnasset annos XXX. Cambyse filio hærede imperij relicto.

Is paterno regno Ægyptum adiecit. Smerden fratrem, quem post se regnaturum ex oraculo cognorat,

gnorat, clam per Magnum familiarem necandum curauit. Sed breui necis fraternæ pœnas dedit. Nam cum equum ascenderet, gladio è vagina delapso, grauiter vulneratus interiit. Magus igitur ille priusquam de Smerdis nece fama emanaret, pro eo fratrem suppofuit suum, qui Smerdem oris similitudine, & amictu regio fretus se simulans, regno potitur. Sed nulla simulatio diuturna; fraude patefacta, Pseudorex cum fratre à Persarum Principibus confoditur. Eodem ferè tempore Tyrannus à Persis interfectus est, & à Romanis eiectus.

TARQVINIVS SVPERBVS.

TARQVINIVS SVPERBVS cognomen traxit ex factis. Senatus auctoritatem in administranda Republica negligebat. Senatores per calumniam morte, exilióve mulctabat. Latomias, compedes, catenas Romæ primus vsurpabat. Idem quasi caligine abstersa fanum Iouis Latialis in Albano monte condidit: Ferias Latinas instituit; Iouis Capitolini templum à patre inchoatum extruxit; Volscos armis domuit: Gabios cùm vi non posset, Sexti filij dolo cepit. Cæterùm eiusdem flagitio regnum amisit anno XXXV. Ardeam Rex obsidebat, cùm ab eodem Sexto stuprum Lucretiæ fœminæ nobilissimæ illatum est. Itaque populus Romanus indignitate, & L. Bruti, qui Regis metu ad eam diem insaniam simularat, oratione permotus Reges exigit, seséque in libertatem vindicat. Regnatum est Romæ à septem Regibus annos propè CCXLV. Roma liberata Olymp. LXVIII. Inde bini quotannis Consules creari cœpti. Primi Consules L. Iunius Brutus

C &

& Tarquinius Collatinus creati. Sed Collatino propter Tarquiniæ gentis inuidiam abdicare coacto, in eius locum P. Valerius Publicola subrogatus est, qui legem de prouocatione ad populum tulit; fasces populo submittere instituit. Brutus, coniuratione contra libertatem patefacta, de coniuratis in quibus erant filij eius duo, supplicium sumpsit: ipse in prælio, quod cum Tarquiniis commissum est, fortissimè pugnans cecidit. Vir planè amantissimus Patriæ, cui & liberorum charitatem, & vitæ amorem posthabuerit.

Athenienses per idem tempus par causa tyrannide liberauit, pari liberatoris gloria. Hipparchus seu Diocles Pisistrato natus Harmodij sororem violarat. Itaque Harmodius Aristegitone adiutore Tyrannum obtruncat. Ab Hippia Tyranni fratre nominare cædis conscios tormentis coactus, omnes Tyranni amicos nominat: quibus interfectis, quærenti Tyranno ecquis superesset? Nemo, inquit, superest, quem mori cupiam, præter Tyrannum. Hac virtute excitata ciuitas, Hippia pulso, se in libertatem asserit. Harmodio, & Aristogitoni statuas ponit. Præclarius ex simili facinore, Dario Hystaspis filio præmium in Perside obuenit: is vnus è coniuratis erat, qui Magum illum Tyrannum necauerat: huius equus cùm ante Solis ortum primus hinnitum edidisset, regnum Domino (sic enim inter Persarum Principes conuenerat) peperit.

Darius ergo, Rex Persarum creatus, potestatem Iudæis facit templi absoluend, Babylonem quæ à Persis desciuerat, Zopyri amici dolo recepit, quippe is naso sibi & auribus desectis, fidem fecerat Babyloniis, se à Dario crudeliter tractatum ad eos confugisse. Itaque vrbem, suæ fidei ab illis creditam, Regi prodit. Darius tamen malle se dixit

Zopyrum

Zopyrum illius fœditatis expertem esse, quàm centum Babylonas habere. Ad huius Darij opes Hippias Atheniensis Tyrannide eiectus, confugit eadem ferè tempestate, qua Tarquinius Superbus Porsenæ Hetruscorum Regis auxilium implorauit.

Porsena igitur bello, vt Tarquinios restitueret, Romanis illato, Ianiculum occupat. Hetrusci subitò ad Vrbem decurrunt. Hostium impetum Horatius Cocles tamdiu sustinet in sublicio ponte solus, quoad pons à tergo rescindatur. Inde in Tiberim desilit, atque inter hostium tela incolumis tranat ad suos. Mutius porrò qui Scæuola postea dictus est (quod dextra exusta, sinistra vteretur) vt patriam obsidione hostium eximeret, in eorum castra se insinuat: deceptus similitudine, Scribam pro Rege obtruncat, ad tribunal Regis retractus dexteram foculo iniicit, atque exurit inspectante Rege, simúlque illi trecentos iuuentutis Romanæ principes eadem ratione in caput eius coniurasse denunciat. Itaque Porsena, ne capitis discrimen in horas singulas adiret, pacis conditiones vltrò Romanis tulit.

Nec virorum eo bello propria virtus fuit. Clœlia virgo Romana vna ex obsidibus, dux agminis Virginum, elusis custodibus, Tiberim inter Hetruscorum tela tranauit. Tarquinius Hetrusca spe frustratus, Tusculum se ad Manilium Octauium generum suum contulit. Cum triginta populos coniurasse Manilio concitante constaret, T. Largius primus Dictator dicitur: is Sp. Melium Magistrum equitum sibi adsciscit: hoc metu bellum sopitur. Aulo inde Posthumio Dictatore, in agro Tusculano ad lacum Regillum aduersus Tarquiniorum copias benè pugnatum est. In ea pugna Tarquinij spes omnis cum Manilio concidit.

Haud abſimili euentu Darius Perſarũ Rex Hippiam in priſtinum regnum armis reſtituere eſt conatus. Athenis bellum maximis copiis intulit. Venienti Miltiades Athenienſium Dux, ad Marathonem cum parua manu celeriter occurrit: cum ſexcentis Perſarum millibus, decem Athenienſium millia ita dimicarunt, vt hos viros, illos pecudes diceres. Conſtat C C. hoſtium millia eo prælio cæſa, Regem cum reliquo exercitu fugatum. In ea pugna Themiſtocles adoleſcens ſuæ virtutis ſpecimen dedit: Cynegirus miraculo fuit, qui onuſtam hoſtium nauim manibus primùm, denique his præciſis, mordicùs retinuiſſe dicitur. Miltiades, patria præſenti periculo liberata, de Perſis trophæa conſtituit. Maioribus inde periculis minori cum gloria Romani perfuncti ſunt.

Liberata vrbs externis hoſtibus, inteſtinis diſcordiis penè concidit. Plebs à Patribus, ac fœneratoribus vexata in Sacrum montem trans Anienem ſeceſſit, Olym. LXXI. Sed Menenij Agrippæ oratione delinitur,& Tribunorum Plebis, ac Sacratæ legis Præſidio aduersùs Patres accepto, in Vrbem remigrat. Mox aliud ex alio periculum. M. Coriolanus Tribunorum inuidia ab Vrbe pulſus, Volſcorum armis omnem penè ditionem Romanis ademit, eorúmque opes adeò fregit, vt Veturia matre ad eum allegata pacem petere cogerentur: ita ille non armis, ſed pietate victus, receſſit.

Diſſimili animo, & euentu Ariſtides cognomento Iuſtus Athenis exulauit: breui enim reſtitutus Themiſtoclem, cuius opera eiectus fuerat, bello Perſico adiuuit, priuatis iniuriis patriæ condonatis.

Nec minor civium Romanorum, quàm Græcorum

rum extitit amor in patriam. Sp. Melium largitione periculosas libertati opes quærentem, pater ipse pro patriæ salute morte mulctauit. Fabia gens, vt patriam molestia liberaret, bellum sibi Veientinum ipsa depoposcit. Veientes sæpè vicit: iam victrix ab hostibus per insidias penè deleta est: amplius CCC. Fabij vna die ceciderunt.

Longè grauior Persarum clades fuit in Græcia. Xerxes Darij Hystaspis filius paterni regni, atque odij in Græcos hæres, iuncto nauibus Hellesponto, Athóque monte perfosso, Græciam cum M. armatorum millibus inuaserat. Ei Leonidas Rex Spartiatarum, parua manu ad Thermopylarum angustias primum, deinde in ipsis castris maximam intulit cladem, donec cædendi defatigatione super stragem hostium corrueret victor, Athenienses interim relicta Vrbe, classem CC. nauium adornarant. Xerxes igitur Athenas vacuas nactus incendit. Cæterùm Themistoclis Atheniensium Duci dolo, ac virtute ad Salamina victus, fugatúsque discessit. In fuga solutum tempestate pontem, quem ad Abidum fecerat, offendit: piscatoriáque scapha trepidus traiecit, qui tanto fastu Hellespontum nauibus iunxerat.

Hoc Rege floruit historiæ pater Herodotus, annis propè D C. iunior Homero. Compertum est eodem tempore, Græcos de Xerxe, & Gelonem in Sicilia de Carthaginensibus victoriam reportasse. Himerenses ab Amilcare Pœnorum Duce cùm premerentur, legatos ad Gelonem Syracusarum Regem, rogatum auxilium miserant: at ille interceptis Amilcaris ad Selinuntios litteris, in quibus erat, vt certa die equitatum mitterent; equites suos Selinuntiorum mittit ornatu, qui vbi in hostium castra venerunt pro sociis, accepti, Amilcarem sacri-

ficantem obtruncant: classem incendunt. Gelon perturbatos Ducis, & classis interitu hostes, ex composito adortus concidit: eo prælio amplius C L. Pœnorum millia cæsa traduntur.

Haud melior Persarum conditio fuit in Græcia. Mardonius cum CCC. armatorum millibus à Xerxe ad persequendum bellum relictus, magnam ad Plateas calamitatem accepit à Græcis, Aristide Atheniensium, & Pausania Laconum Ducibus. At Themistocles elusa Lacedæmoniorum, penes quos Græciæ imperium erat, insolentia, Athenas reficiendas, & Pyræo nauali addito, amplificandas curauit. Denique ille defensor, atque amplificator patriæ, primo per Ostracismum ob nimiam potentiam amandatus; deinde tanquam Pausanianæ proditionis conscius fuisse, damnatus, ad Xerxem se cōfert. Ab eo honorificè exceptus ad bellum Atheniensibus inferendum incitatur. At ille, ne aut in Regem ingratus, aut in patriam impius esset, mori statuit, Atque vt moriens patriæ, quamvis ingratæ consuleret, Regem obstringit iureiurando bellum Græcis non illaturum sine Themistocle: inde taurino cruore hausto excidit è vita.

Quinctius Cincinnatus Themistocli vt ætate, sic virtute suppar perhibetur; qui ab aratro ad Dictaturam vocatus, Q. Minutium Consulem ad Algidum obsessum ab Æquis, circumuento vicissim, circumsessoque hoste, liberauit. Par virtus in dispari bello, eodem propè tempore, Hieronis extitit. Is Gelonis frater, & Syracusani regni hæres, Cumanis auxilium petentibus salutem attulit. Tyrrheni tum mari potiebantur. Cumas ingenti classe, cinctas tenebant, cum his Hieronis classis ita conflixit, vt victrix Cumanos ex belli eriperet faucibus. Cimon quoque Miltiadis filius, Xerxis

xis copiis ad Cyprum pari virtute deuictis, ac Persarum opibus accisis, Græcas Asiæ vrbes in libertatem asseruit. Crotoniatæ verò, Duce Milone athleta nobili, Sybaritas prælio victos deleuerunt: Sybarim solo æquarunt. Eius loco Thuria condita est.

Nec verò Imperatoribus modò, sed etiam Philosophis Græcia floruit: eadem ætas Heraclitum, Democritum, Anaxagoram aliósque complures effudit in ipsa Græcia. in Italia autem Charondam, qui Thuriis; & Zaleucum Pythagoræ discipulum, qui Locrensibus leges ac iura descripsit. Roma quoque per id tempus leges adsciuit è Græcia.

Romæ anno post Vrbem conditam circiter CCC. pro duobus consulibus Decemuiri sine prouocatione, legum ferendarum causa creati. Hi leges è Græcia, potissimum Athenis per legatos petitas conscripsere: hæ, quoniam tabulis duodecim mandatæ sunt, leges XII. tabularum appellatæ. Paucis annis, propter Appij Claudij libidinem, Collegarúmque impotentiam, res ad Consules rediit.

Iam Roma legibus erat constituta, cùm Hierosolyma denuò cingi mœnibus cœpta est. Artaxerces Longimanus, Artabano regni insidiatore per insidias interfecto, receptáque Ægypto, Neemiæ pincernæ suo potestatem muros Hierosolymæ reficiendi fecit, Olymp. LXXXIII. paucis post annis, quàm Esdras Sacerdos sacros Libros, qui interciderant, immutatis Hebræis literis, in lucem protulit.

Artaxerxe regnante, Empedocles, & Parmenides physici; Hypocrates medicus; Polycletus, Phydias statuarij; Zeuxis, Parrasius, Timantes pictores clari fuerunt. Romæ autem sub nouas leges, noui Magistratus extitere.

Decennio ferè post Decemuiros creatos, ne consulatus cum plebe communicaretur, Tribuni militum consulari Potestate Romæ creati cœpti: primùm terni, deinde quaterni, vsque ad senos, idque per annos circiter L X X. binis Consulibus rarò interiectis, Censores quoque tum primùm ad censum agendum creati. Sp. Cassius, qui in suspicionem venisset regni appetendi, à C. Seruilio Ala, Magistro equitum, L. Quintij Dictatoris iussu interfectus est. At Cornelius Cossus Tribunus militum Tolumnio Veientium Rege necato, spolia optima Ioui Feretrio alter ab Romulo tulit.

Eodem anno quo primùm Tribuni militum Romæ creati sunt, bellum Peloponnesiacum exarsit in Græcia, quod Periclis opera excitatum; totáque peruagatum Græcia annos durauit XXVII. cum communi pernicie Græcorum. Id bellum Thucydides à Pericle eiectus in exilium, historiæ mandauit. Eo bello Brasidæ Spartani virtus, & Periclis prudentia maximè spectata est: Lacedæmoniis Atticam populantibus, Pericles cùm hærentem agris hostem nullo posset modo depellere; classem ad Peloponnesios agros vicissim vastandos immittit. Sic hostes domestico periculo domum aduocantur. Denique multis vltrò citróque cladibus illatis, cùm belli vtrosque tæderet pax inter Athenienses & Lacedæmonios facta est, vt belli vulneribus mederentur.

Paucis interiectis annis, bellum in Siciliam transiit. Athenienses, Catanensibus opem implorantibus, bellum aduersus Syracusanos susceperunt Olymp. X C. Dario Notho Rege Persarum, annis post Troiam captam D C C C. cuius belli præclara initia, exitus calamitosissimus fuit. Lamachus, & Nicias Atheniensium Duces, primò aliquot ad-

versùs

versùs Syracusanos prælia secunda fecerunt, sed Gylippus Lacedæmoniorum Dux Syracusanis subsidio missus, exploratam eis victoriam ademit. In Syracusarum portum cùm penetrassent Athenienses, primam cladem à Gylippo accepere, Lamachúmque alterum ducem amisere. Deinde portus aditu ab hostibus incluso, ducibus Nicia, & Demosthene circumueniuntur, ita maxima classe, atque exercitu amisso, Atheniensium opes conciderunt. Sed armis cessantibus Athenis, bonarum artium studia viguere. Aristophanes, Cratinus, & Eupolis comici Poëtæ: Sophocles, & Euripides tragici: Praxiteles statuarius insignis: Gorgias aliique sophistæ quàm plurimi, & Socrates Philosophorum parens tum vel maximè floruerunt. Diagoras autem, Deos esse negans Athenis exulauit præmio publicè proposito, si quis eum occidisset. Dum Athenienses amissis opibus ingenia excolunt, Romanorum bellica gloria, opésque creuere.

M. Furius Camillus Dictator. Veios decimum iam annum obsessos, actis cuniculis capit, diripitque. Faliscos inde circumsedens, magistrum qui è Faliscis principum liberos in castra deduxerat; nudatum ac vinctum, cum pueris eum verberantibus in Vrbem remisit. Hac fide iustitiáque victi hostes, qui armis restiterant, deditionem faciunt. Sed minus Camilli fides apud ciues, quàm apud hostes valuit. Ob prædam Veientanam, quam in votiuo Apollinis dono consumpsisse arguebatur, damnatus, Ardeam exlulatum abiit, damno patriæ maiore, quàm suo.

Galli Senones Tarquinio Prisco regnante, Italiæ partem, quæ Gallia Cisalpina postea dicta est, Tuscis expulsis, occuparant. Hi in oppugnatione Clusij, (Hetruscorum id oppidum est) à Q.

C 5 Fabio

Fabio legato populi Rom. irritati, in Romanos arma verterunt. Eorum copiis ad Aliam flumen cæsis, Vrbem Brenno Duce inuadunt: captam ferro, flammáque populantur. Roma incensa, anno postquam condita est CCCLXV. Capitolium, quò sessos ciuitatis receperat, obsident. Nec defuerant insidiæ, sed parum profecere. Nocturna eorum irruptio ab anseribus patefacta, à M. Manlio, qui postea Capitolinus dictus est, manu repulsa. In angusto Romana res erat: nec vlla auxilij spes ostendebatur. Ibi tum Camillus exul, vt gratia cum ingrata patria certaret, Dictator absens creatus, exercitum comparat. Gallos pactum pro soluenda obsidione aurum ad iniqua pondera exigentes ferro domat. Hostes primo concursu fusi, inde iusto prælio omnes ad vnum cæsi, vt ne testis quidem cladis relinqueretur. Ergo Camillus triumphans Vrbem init. Romulus, ac Pater patriæ appellatur. Populum Romanum Veios demigrare cogitantem, Romæ retinet, atque ad Vrbem recreandam quibuscumque rebus potest, iuuat.

Consimilis per ea tempora Athenas casus excepit. Lysander Lacedæmoniorum Dux opibus Persicis adiutus, Cononem Atheniensis exercitus Ducem cùm fregisset, omnem Atheniensium ditionem ipsásque Athenas cepit, muros diruit. Triginta ex ipsis Reip. imposuit; qui breui tyrannidem occuparunt, Dionysio Tyranno dudum Syracusis dominãte Sed Thrasibulus exul, Tyrannis acie victis, ac de medio sublatis, legem obliuiscendarum iniuriarum tulit, Rémque publicam constituit. Paucis interiectis annis Conon item exul, Artaxerxis Mnemonis Persarum Regis classe instructus, Lysandrum nauali prælio vincit; & Epaminonda Thebanorum Duce, belli socio, in Spartam mouet. Actum erat

de-

de Sparta, nisi Agesilaus Rex Lacedæmoniorum reuocatus ab Asia interuenisset: is certam hostibus exploratámque victoriam eripuit. Peropportunè etiam Artaxerxes cognomento Mnemon Rex Persarum, Cyro fratre acie victo, interfectóque, Ægyptio bello implicitus omnes in Græcia discedere ab armis iussit. Hic Artaxerxes Mnemon (vt Eusebio videtur) Assuerus ab Hebræis dicitur, is Estherem captiuam duxit vxorem, quæ consilio vsa Mardochæi natu â patrui, adoptione patris, perniciem ab Amano Satrapa Iudæis cōparatam in ipsius machinatoris caput, exorato Rege, conuertit. Mardochæus autem pro suis erga Regem meritis, regiis ornatus honoribus secundus ab Rege numeratus est. Huius æqualis Ctesias Gnidius fuit, qui bello Cyri contra Artaxerxem captus, propter medendi scientiā magno in honore ab Rege est habitus, & Persarum scripsit historiam. Conon igitur Lacedæmoniorum agros populatus Athenas reuertitur: Vrbis muros eorundē qui diruerant, manubiis reficit. Eadem tempestate Architas Tarentinus, itemque Antisthenes, Aristippus, Xenophon, Plato, & Isocrates Socratis discipuli floruerunt, Græciæ imperio à Lacedœmoniis ad Athenienses reuocato, Olymp. circiter C.

LIBER III.

ROMA pari vicissitudine rerum perfuncta, intra annum Camilli beneficio noua vrbs stetit. Breui etiā opibus, atq; animis aucta Capitolium saxo quadrato substructum opus vel in magnificentia Vrbis suspiciendum. M. Man-

lius

lius, qui plebem in Patres concitarat, ex Capitolij arce quàm à nocturno Gallorum impetu defenderat, deturbatus, adiecta nota, ne quis M. Manlius vocaretur. L. Sextius post longum certamen primus è plebe Consul factus, finem Tribunis militum creandis attulit. Prætor Vrbanus, qui ius diceret; Ædiles curules duo, qui ludos facerent, creari cœpti. M. Curtius, vt ex oraculo patriæ consuleret, in fori hiatum equo insidens, & armatus insiluit.

Gloriosior Epaminondæ mors obtigit: is Lacedæmoniorum Rege Cleombroto cum exercitu ad Leuctram cæso, ad Mantinæam cum Agesilao fortiter pugnans cecidit, saluo scuto, partáque victoria. Cum eo Thebanorum virtus occidit, amisso Duce, itemque Atheniensium gloriæ æmulo extincto. Lacedæmoniorum quoque disciplina & laus bellica concidit, inuecta à Lysandro Duce cum auro auaritia.

A Græcis ad Carthaginenses bellica virtus transit, qui Sardiniam armis d[illegible]nuerunt; & Dionysio Syracusarum Tyranno supe[illegible]o, multa Siculis oppida ademerunt. Haud ita multo pòst Dionysius interfectus à suis, tyrannidem Dionysio filio reliquit. Is ob singularem nequitiam, demùm à Dione Syracusano Platonis auditore eiectus Syracusis, ludum aperuit Corinthi, docente etiam tum Athenis Rhetoricam Isocrate Magistro Demosthenis.

Dum studia optimarum artium Athenis vigent, Romæ artes bellicæ enituere. T. Manlius, is qui patrem à vexatione Tribunitia vindicarat, bello Gallico, Gallum eximię proceritatis, in oculis vtriusque exercitus ex prouocatione occidit, torquem sibi, & cognomen induit. Ex eo Torquatus dictus. M. item Valerius Gallum pari magnitudine

tudine, item ex prouocatione obtruncauit, corui præsidio, qui in eius galea insidens, hostem alis, rostróque terruerat. Inde cognomen illi Corui, seu Coruini factum, anno post vrbem conditam propè quadringentesimo, Olympiade C V J. quo tempore Alexander Magnus natus est, cuius pater Philippus Rex Macedonum phalange consertis scutis instituta Illyricos subegit; multas de Atheniensibus, aliisque Græcis vrbes cepit, totáque Græcia potitus esset, nisi Demosthenem Oratorem aduersarium habuisset. Numos aureos suo nomine Philippos appellauit. Denique ad bellum Persicum administrandum Græciæ Dux creatus à Pausania sui corporis satellite, cuius iniuriam vindicare neglexerat, interficitur, Artaxerxe Ocho Rege Persarum, qui Ægypto recepta, Memphim, cæterásque vrbes muris nudauit, templa diripuit, cùm Artemisia Carum Regina Mausolo viro mortuo magnificentissimũ sepulchrum conderet, quod Mausoleum est nominatum.

Nec verò per id tempus dum Ægyptij, & Græci bellis exercerentur, otium Romanis fuit, Samniticum interim bellum exritit sanè graue, ac diuturnum. Pro Campanis, qui se, suáque Populo Romano tradiderant, bellum Samnitibus indictum, ac variè gestum est. Latinum bellum accessit, quo bello T. Manlius Torquatus Consul filium, quòd contra edictum cum hoste pugnasset, quamuis victorem securi percussit, ac militarem disciplinam suo dolore sanciuit. Eodem bello P. Decius Mus inclinata acie Romana se pro exercitu devovit. Naues Antiatum bello captæ partim Romam in naualia subductæ, partim incensæ. Earum rostris suggestum in foro extructum adornari placuit; Rostráque id templũ appellatum. Verùm T. Veturius,

Veturius, & Spur. Posthumius Coss. magnam nomini Rom. labem aspersere. Apud Caudinas furcas, deducto in locum iniquum exercitu, sub iugum à Samnitibus missi sunt cum omnibus copiis. Sed breui per Papyrium Cursorem Samnitibus victis, & vicissim sub iugum vnà cum Pontio ipso eorum Imperatore, & dedecoris auctore missis, eam Romani maculam eluerunt, Diogene Cynico, Antisthene, Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Platonis auditoribus docentibus in Græcia.

Multo felicius interea bella gessit Alexander Magnus Philippi filius. Is cum puer Aristoteli operam dedisset; adolescentulus Illyricos, Thracésque perdomuit. Thebas euertit. Athenas in deditionem accepit. Inde Thessalorum, Græcorumque sociorum armis adiutus ad Persicum bellum traiicit in Asiam. Parua, sed firma manu (veteranorum millia XXX. equitum quatuor millia in eius exercitu erant) innumerabilem hostium multitudinem delet. Dario Persarum Rege tribus præliis debellato Asiam subigit: Regnum à Persis ad Macedonas traducit anno circiter CCCXXX. Olym. CXII.

Alexander porrò capta Tyro, Iudæam inuadit. Sed Hierosolymis ab Iaddo summo Sacerdote amice acceptus in templo victimas immolat. Ægypto potitus Alexandriam vrbem ab se conditam ex suo nomine appellat. Denique Indis subactis Babylonem reuertitur. Ibi omnium ferè nationum pacem petentium legati præsto fuere, præterquam Romanorum. Hi deleuerant iam Caudinam maculam, aut inibi res erat. Samniticum bellum magna ex parte confecerãt. Habebant maximas, ac firmissimas copias, T. Manlium Torquatum, Valerium Coruinum, Fabium Max. L. Papyrium Cursorem egregios Imperatores, quos Alexandro opponerent, si

in Italiam arma vertisset. Itaque Alexander intacta Italia, annos XXXIII. natus (cum XII. annos imperasset) excessit è vita, Perdica parui filij curatore relicto. Eo regnante Theopompus Chius, & Mergasthenes Persa, & Hecatæus Abderita historici floruerunt.

Alexandro mortuo multi pro vno Reges extitere. Ptolemæus Lagi filius in Ægypto, Eumenes in Cappadocia, Antigonus in Asia, Lysimachus in Thracia, Seleucus in Babylone regnarunt. Cassander, Alexandri filio, ac matre Olympiade interfectis, regnum Macedoniæ occupauit. Eadem tempestate Menander comicus Poëta, Crantor Xenocratis, Crat. Thebanus, Diogenis Cynici discipulus, Epicurus, Zeno Citticus Cratis auditor, itémque Stoïcorum parens, itemque Theophrastus Aristotelis auditor nomen habuerunt.

Romæ sub Alexandri mortem Appius, qui postea cæcus factus est, Censor Appiam viam muniuit. Collegium Augurum quinque additis, ad nouem peruenit. Fabius Max. Hetruscorum opes multis præliis fregit. Decius filius patris exemplum XL. anno post secutus, bello Samnitico se pro exercitu Populi Romani deuouit. L. Papyrius Cursor Samnitum copias iureiurando obstrictas fudit, ac fugauit sic, vt religione absolutas diceres.

Nondum erat Samniticum bellum extinctum, cùm Tarētinum ob legatos Populi Romani violatos, excitatum est anno post vrbem cond. circiter CCCCL. Quo bello aduersùs Pyrrhum Epirotarum Regem, qui Tarentinis auxilio venerat, Curij & Fabritij Coss. integritas, ac virtus enituit. Papyrius denique Pyrrhum deuictum Italia expulit. Tarentino ad deditionem compulit. Samnites, qui cum Tarentinis bella coniunxerant, debellauit. Samnium

deleuit;

deleuit sic vt ne appareret quidem materia XXX. triumphorum. Apuli, Brutij, Lucani eius belli contagione subiecti sunt.

Lōgè dissimili ratione Iudæi in Ptolemæi regis ditionem venerunt. Dum Alexandri Magni successores inter se de Imperio decertant, Ptolemæus Lagi filius amicitiæ simulatione Iudæam occupat: captiuos in Ægyptum quamplurimos adducit. At Agathocles Syracusarum Tyrannus à Pœnis obsessus, occultè cum classe traiicit in Africam. Ita hostes ad defendendam patriam aduocat. Pace cum Carthaginensibus facta, Siciliæ imperio potitur. Huic Hiero successit, qui propter summam moderationem Rex à Syracusanis appellatus est. Hic primi belli Punici occasionem Romanis dedit.

Populus Romanus anno post Vrbem conditam circiter CCCCLXXX. Olymp. CXVI. domita subactáque tota pene Italia, vt Mamertinis sociis contra Hieronem, & Carthaginenses auxilium ferret, transmisit in Siciliam. Vnde gradum fecit ad Imperium Orbis terræ. Sed cum annos propè D. in Italia subigenda laborasset: annorum CC. spatio totum pene terrarum Orbem in suam ditionem redegit. Romani igitur, Appio Claudio duce Hieronem vincunt: victo pacem petenti dant, Pœnis profligatis, oppida Siciliæ complura in deditionem accipiunt. C. inde Duilius victoriam, triumphúmque naualem de Pœnis primus reportauit. Mox Attilio Regulo Imperatore bellum in Africam transit. Is Tuneto, aliisque Pœnorum oppidis vi captis, Carthaginem obsidet. Verum à Xantippo Lacedæmoniorum Duce, qui Pœnis subsidio venerat, victus in potestatem hostium venit. Eius virtus egregia in calamitate magis, quam in victoria enituit.

enituit. Romam missus de redimendis captiuis, rem sibi, ac suis salutarem, inutilem patriæ dissuasit. Ipse ne datam hosti fidem falleret Carthaginem reuersus, omni cruciatu necatur, non minore fortitudinis laude, quàm fidei. Lutatius denique Consul nauali prælio Carthaginensium opes fregit. Pacem his conditionibus dedit, vt Sicilia, Sardinia, cæterísque insulis excederent, certum tributum per annos xx. Populo Romano penderent. Ita bellum primum Punicum vigesimo anno post vrbem cond. circiter D. Sed Liguribus, Illyricis, Insubribus Gallis bellum mouentibus paulo pòst apertus. Omnes debellati, & subacti. M. Marcellus Consul Virodomaro Insubrum Rege interfecto, tertius à Romulo spolia Ioui Feretrio opima tulit. Flaminius Censor viam Flaminiam muniuit, & circum extruxit.

At in Græcia Aratus, Cleanthes, & Chrysippus Zenonis auditores, Arcesilas, mediæ Academiæ auctor, Demetrius Phalereus Theophrasti discipulus præclara ingeniorum ac doctrinæ monumenta reliquerunt, regnante in Ægypto Ptolemæo Philadelpho, qui pace cum Antiocho Sothere Seleuci filio facta, celeberrimam Alexandriæ Bibliothecam instruxit opera Demetrij Phalerei. Quæ vt esset cumulatior, Iudæis captiuis gratis Hierosolymam remissis, ab Eleazaro summo Pont. sacros libros, & seniores LXX. qui eos Græcè interpretarentur, impetrauit. Hinc septuaginta Interpretum monumenta manarunt. Interea dum in Ægypto Bibliotheca instruitur, primúmque bellum Punicum in Africa geritur, Parthi à Macedonum imperio defecerunt, primúsque in Parthia regnauit Arsaces vnde cæteri Parthorum Reges Arsacidæ dicti

Regnare

Regnare occepit Arſaces efflorescente Annibale, qui bellũ Punicum ſecundum conflauit

Romæ poſt primum bellũ Punicũ vix XIV. annorum requies. Saguntus, vrbs amica Populo Rom. ab Annibale Pœnorum Duce deleta, ſecundi belli Punici Principium fuit Annibal, Aſdrubale fratre cum exercitus parte relicto in Hiſpania, per Alpes viam ſibi primus muniuit, atque in Italiam deſcendit. Ei P. Cornelius Scipio Conſ. ad Ticinum occurrit. Sed amiſſo exercitu, ipſe à Scipione filio adoleſcentulo, cui Africani cognomen debebatur, ægrè ſeruatus euadit. C. Flaminius deteriore exitu ab Annibale ad lacum Thraſymentum cum exercitu cæditur. Itaque Q. Fabius maximus Dictator hoſtem victoriis exultantem cunctando reprimere inſtitit. Quippe ita eius tergo hærebat, vt neque pugnandi poteſtatem faceret, & populandi adimeret facultatem. Ex eo Cunctator appellatus. Sed C. Terentij Varronis Conſ. temeritate, nobilis ad Caunas Apuliæ vicum, clade accepta, amplius X L V. ciuium Romanorum millia cæſa. In his Æmilius Paulus Conſ. & Senatores L X X X. Equitum multitudo tanta vt aureorum annulorum modius Carthaginem mitteretur. Actum erat de vrbe, ſi Annibal ſciſſet vti victoria. Romæ quidem etiam prætextatos, ac ſeruos neceſſitas armauit. Capua, & magna Italiæ pars ad Annibalem defecit. Sed Capuæ ille Cannas inuenit. Itaque vbi Annibalis virtus Campanis deliciis emollita eſt; M. Claudius Marcellus ad Nolam ſecundo prælio facto, docuit Annibalem poſſe ſuperari.

Nouum inde bellum è bello exortum. Hierone Syracuſarum Rege mortuo, Hieronymus regni, non fidei hæres ad Annibalem deſciuerat. Quare Marcellus Conſ. Syracuſanis bellum infert. Vrbem Syracuſas.

Syracusas non minus Archimedis ingenio, quàm ciuium armis defensam, cùm frustrà oppugnasset, tandem securitate, & luxuria victam, noctu de improuiso capit. Victoriæ gloriam auxit moderatio victoris. Vrbi, & ciuitati pepercit. Archimedi, qui in prima militum irruptione ceciderat, quoniam viuo non potuit, honorem habuit mortuo, propinquis eius pecunia adiutis. Læuinus deinde, Siculis pacatis, Siciliam primam populi Romani Prouinciam fecit.

Sed Romanæ res non vbique lætæ. In Hispania duo Scipiones, sæpe re bene gesta, denique ab Asdrubale Annibalis fratre cæsi sunt. Nunquam tamen populus Rom. fortior. Annibal propè ad portas Vrbis erat, cùm P. Cornelius Scipio adhuc adolescentulus patris, ac patrui vltor in Hispaniam mittitur. Is Carthaginem nouam, vbi totius Hispaniæ obsides asseruabantur, Magonem item Pœnorum Ducem capit. Plus tamen temperantia profecit, quàm victoria. Egregia forma puellam nobilem sibi adductam sponso reddidit intactam. Tantæ virtutis & integritatis fama Hispanos illis mirè conciliauit. Ergo Asdrubalem fugat ex Hispania: eam primam in continenti Prouinciam facit; fœdus cum Massinissa Masæsulorum Rege ferit.

Nec minus lætæ res in Italia. Q. Fuluius Flaccus Proconf. interim repulso ab Vrbe Annibale, Capuam in deditionem accepit. De Senatu supplicium sumptum. Capua præfectura facta, Fabius quoque Max. complures Italiæ vrbes atque in his Tarentum recepit, lætis rebus tristes interuenere. Marcellus Conf. ad Vennusiam, speculandi causa egressus è castris, ab hostibus circumuenitur: eius corpus ab Annibale humatur, vincente hostile odium humanitate ac virtute viri.

At M. Claudius Nero Asdrubalem in Italiam ad coniungendas cum Annibale fratre vires, & copias venientem, ad Metaurum flumen oppressit, clade tanta, vt Cannensis hosti reddita videretur. Asdrubalis caput ante stationes Annibalis proiecit, qua ille specie perculsus; in Italiæ Angulum ad Brutios se recepit. P. autem Scipio vt hærentem Italiæ hostem abstraheret, transmittit in Africam: Annonem Pænorum Ducem dum exercitu cædit: Syphacem Numidiæ Regem eorumdem socium acie victum capit. Quare Annibal à Carthaginensibus XVI. belli anno in Africam reuocantur. Signa cum Scipione confert, victus è prælio fugit. Rebus desperatis profugit in Asiam. Carthago domita, & subacta anno post Vrbem cond. propè D. L. Scipio ex Africa cum triumpho, Africani cognomen deportauit, primus nomine deuictæ ab se gentis nobilitatus. Is Ennium Poëtam Epicum in honore habuit, cui Næuius, Cæcilius, Plautus comici fere æquales numerantur.

Pacem Punicam bellum Macedonicum excepit, quod pro Atheniensibus amicis paulo antè susceptum renouatum, & per decem annos variè gestum est. Denique à T. Quintio Flaminio confectum, Philippo Macedoniæ rege debellato. Ei pax ita data, vt Græciæ ciuitatibus excederet. Nabidi quoque Lacedæmoniorum Tyranno deuicto, eadem conditione pax data, Græciæ vniuersæ libertas restituta, sola Sparta serua relicta.

Sed pacata Græcia pax & otium Romanis ipsis non fuit. Antiochus cognomento Magnus Rex Asiæ ac Syriæ Annibalis impulsu bellum Romanis intulit: verùm L. Scipione Africani Germano Imperatore, & Africani eiusdem legati consilio ac vir-

tute

tute, terra marique superatus pacem petiit. His conditionibus data, vt Asia excederet, Annibalem dederet, qui ne in potestatem hostium veniret, denique hausto veneno interiit. In summis vtique Imperatoribus numerandus, nisi fidei violator, bellique in pace concitator fuisset. L. Scipio ex Asia cognomen Asiatici retulit. Cæterùm cum triumpho Asiaticam deportauit luxuriem, quæ breui bellicosam gentem effœminauit.

Nec ita multo post in Scipionum familia, magna rerum est facta conuersio. Asiaticus enim peculatus crimine damnatus excessit è vita. Africanus, qui eo bello fratris legatus, ac magna victoriæ pars extiterat, à Tribuno pleb. eodem crimine accersitus Linternum concessit, ibique exulauit, humanæ vicissitudinis documentum, cùm quidam illis temporibus Liuius Tragœdiarum scriptor clarus haberetur. Nec verò clarissimis hisce Imperatoribus amissis, Imperatores egregij Romanis defuere. Fuluius capta Ambraciia Pyrrhi Regis Epirotarum sede, Ætolos domuit. Cephalenia, Zacynthus, cæteræque adiacentes insulæ in victoriæ cumulum accessere. L. Posthumus Albinus Procons. Lusitanos, Appius Pulcher Istros subegit. L. Æmilius Paulus Persen Macedonum Regem rebellantem debellauit, atque in triumpho duxit. Q. porrò Metellus Pseudo-Philippum, qui Macedoniæ regnum inuaserat, vicit ac cepit. Ita Macedonia tribus bellis perdomita, sub imperium Populi Rom. redacta est anno post Vrbem cond. circiter D L X X X.

Dum floret res Romana, Iudæa vehementer afflicta est. Seleucus Philometor Magni Antiochi filius Rex Syriæ, Olymp. CXL. Hierosolymitanum templum spoliare cum statuisset, rem conatur per

Helio

Heliodorum: is in ipso sacrilegij conatu ab Angelis malè acceptus, Regem à consilio deterret. Iudæorum calamitatem paulisper dilatam effecit mora grauiorem. Seleuco mortuo, Antiochus Epiphanes fraterno regno potitur. Is Ægypto, quam occupare conabatur repulsus, Hierosolymam inuadit. Summum Sacerdotium Oniæ viro sanctissimo adimit. Iasoni homini nefario tradit Hierosolymam, ac templum euertit Olympiad. CXLIII. Sede religionis euersa religiosos viros insectatur. Magna eorum cædes facta. In tormentis cruciatibúsq; pro religione perferendis, Eleazari principis viri, & septem Machabæorum virtus enituit. Impij Regis furori sese Mathathias opposuit, collecta piorum manu. Mathathiæ Iudas Machabæus filius successit; qui inter duorum Africanorum ætates interiectus, bellica gloria cum vtroque certauit. Is parua manu regios exercitus maximos, diuina ope fretus sæpè deleuit. Tandem hostibus Palæstina pulsis, templũ, Hierosolymámque restituit. Societatem cum Populo Rom. iniit. Itaque Antiochus ex mœrore, malus malè periit, inusitatis viscerum torminibus, vermibúsque consumptus. Eius tamen regni, ac furoris hæres Demetrius Seleuci filius, qui Romæ obses fuerat, successit. Huius ducem Nicanorum cum exercitu, Iudas diuino Numine inuocato, ad internecionem cædit. Cæterum cum Bacchide, regio item Duce pugnaturus, Dei opem implorare oblitus, suis pugnauit viribus. Itaque multitudine hostium obrutus in acie cadit. Eius mortem Ionathas frater, ac successor vltus est, Bacchide magnis cladibus affecto. Idem summo sacerdotio præfuit, & Demetrij Regis concessu purpura vti cœpit: societatem cum Romanis renouauit: paulo post à Triphone regio Duce per insidias circumuentus occidit.

dit. Eius locum Simon frater occupat, ac tertiò amicitia cum Romanis renouata, otio fruitur. Sed opportunum insidiis securitas fecit. Amicorum fraude interfectus hæredem Ioannem filium reliquit: paucis antè annis Hierosolyma à Machabæo refecta, quàm Carthago à Scipione minore deleta est.

Carthaginenses, neglectis fœderibus, bellóque Massinissæ illato, tertij belli Punici occasionem dedere. Itaque eis suasore M. Catone Censorio, bellum infertur. Quarto demum anno à P. Scipione Æmiliano (qui Paulo Æmilio genitus, ab Africani filio fuerat adoptatus) debellati, deditionem faciunt. Carthago solo æquatur. Scipio ex ea Africani nomen, quod hæreditarium habebat, per se partum reportat anno post Vrb. condi. circiter DCVII. Olymp. CLVIII. Idem Scipio Panætium Philosophum, Polybium historicum, Terentium Comicum Poëtam, familiares habuit. His senibus successere Pacuuius, & Accius Tragici Poëtæ, & Aristarchus Grammaticus.

Corinthum sub ea tempora idem, qui Carthaginem, exitus excepit. Corinthij legatos Populi Rom. pulsauerant, & Achæos sibi belli socios adiunxerant. Itaque L. Mummius Cons. Achaia in deditionem accepta, Corinthum deleuit. Æris varij quod incendio confluxerat, massa vasorum Corinthiorum materiam dedit. Eiusdem belli contagione Thessalia, Epirus Imperio Romano adiuncta. Q. Fabius Lusitaniam à Viriato latrone occupatam, & aduersùs Romanos exercitus egregiè defensam magna ex parte recepit, pacem æquis conditionibus cum Viriato fecit. Scipio Africanus XVI. anno post Carthaginem euersam, Numantiam in Hispania euertit eodem exercitu, qui propter luxuriem à Numantinis sæpiùs fugatus anteà fuerat: tantùm

tantùm valuit Dux, & disciplina.

Dum foris bella Romanus feliciter gerit, domi turbis non vacauit. Tib. Sempronius Gracchus Agraria lege lata Rempublicam turbauit: Itaque à Scipione Nasica in Capitolio cæditur cum suis. Eum iure cæsum cum iudicasset Africanus, ipse domi suæ repertus est mortuus. Nec multò pòst C. Gracchus Tiberij frater, idem eodem euentu conatus à Lucio Opimio Consule in Auentino obtruncatur, vigente satyrico Poëta Lucilio.

Neque à liberis modò, sed etiam à seruis periculum fuit. Eunus quidam Syrus, effractis in Sicilia ergastulis, contractáque agrestium seruitiorum manu, iustum exercitum effecit. Clades Imperatori. Populi Rom. multas, & magnas intulit. Ad vltimum à P. Rupilio Coss. ad Ennam obsessus, latronum supplicio, fame, & cruce mulctatur. Seruile tamen bellum paucis interiectis annis ab Athenione pastore maioribus opibus, atque animis instauratum. Is interfecto domino; familiáque ergastulo liberata, purpuram, argenteúmque baculum Rex voluntarius assumit. Conflato exercitu, vicos, castella, oppida diripit. Ab eo Prætorij exercitus duo cæsi, totidem castra capta. Sed eum Aquilius Imperator ita commeatibus interclusit, vt suppliciorum metu ipsi de se supplicium sumerent, Dux ipse comprehendentium, manibus discerperetur, dum rapitur ad supplicium.

Bella iisdem temporibus cum seruis, cum sociis, cum hostibus gesta sunt. Iugurtha Numidiæ Rex, Massinissæ nepos, Micipsæ per adoptionem filius ex eodem genitos fratres regno eiecerat. Hi populi Rom. tutoris fidem implorant. Itaque Iugurthæ bellum infertur, qui denique accisis oppibus, ac regno pulsus à C. Mario, ad Bocchum Mauritaniæ

Regem,

Regem, belli socium confugit, parum commodum nactus perfugium. Ab eo L. Syllæ Quæstori Marij vinctus traditur. Itaque à Mario in triumpho ductus necatur in carcere, eodem ferè tempore, quo natus est Cicero, anno post Vrb. condit. circiter DC. L. Marius continuato ob Cimbrorum metum, per complures annos Consulatu, Cimbros, Teutonas, aliásque barbaras nationes in Italiam irrumpentes deleuit.

Dum res militiæ bene geritur, turbæ sunt exortæ domi. L. Apuleius Saturninus Trib. plebis, homo turbulentus agraria lege Per vim lata, Optimatibus aliquot exilio, ac morte mulctatis, Senatum in se concitauit. Igitur concursu in eum Optimatum facto, vnà cum Glaucia Prætore furoris socio necatur. Eadem paulò pòst M. Livius Drusus Trib. plebis maioribus opibus conatus est. Senatus enim auctoritate, & Italiæ consensu fretus, Metellio, & Rutilio, qui legibus adversarentur, exilio mulctatis, Philippo Cos. perterrito, leges Agrarias per vim pertulit, quibus nihil vsquam ad largitionem relinquebat, nisi si quis aut cœnum diuidere vellet, aut cœlum. Verùm cùm Italicis populis promissa persoluere non posset; Italia tumultuante, domi suæ occisus est.

Seditione domestica sedata, sociali bello ardere cœpit Italia. Marsi, Picentes, Peligini, Samnites, Lucani, aliique populi Italiæ cum ciuitatem à M. Druso Tribuno plebis ostentatam non impetrassent, armis extorquere conati sunt. Denique à Cn. Pompeio Strabone, L. Sylla, aliisque populi Rom. Imperatoribus domiti, pacem petierunt Ciuitas vltrò cum pace data. Id bellum Marsicum, Italicum, & Sociale dictum. Pax, & otium per id tempus in Iudæa fuit. Aristobulus, Ioannis

Hyrcani filius, Simonis eius, qui Iudæ Machabæi germanus fuit nepos, Pontifex Maximus regia insignia recepit. Olymp. CLXV. anno post Sedeciam vltimum Iudææ Regem propè D.

Romæ autem à Sociali bello, ad Ciuile ventum est, cuius occasio Mithridaticum bellum fuit. Mithridates Rex Ponti Ariobarzanem Cappadociæ, & Nicomedem Bithiniæ, Reges amicos populi Rom. regnis suis exturbauerat. Ei bellum indictum duce L. Sylla. Ex eo ciuile bellum inuidiæ facibus excitatum est. C. Marius tantam gloriæ segetem Syllæ, legato olim suo, inuidens, egit per Sulpitium Trib. 1. plebis, vt id bellum sibi mandaretur. Eam ob rem vrbe pulsus ab Sylla, secedit in Africam. Sylla in Asiam profectus, adversùs Mithridatem bene pugnauit. Bithyniam, Cappadociam, Asiam recepit Interea Marius L. Cinna Consule adiuuante, Romam cum copiis irrumpit. Cn. Octavium consulem, M. Antonium Oratorem, aliósque Syllanos obtruncat. Septimum consulatum occupat. Ecce tibi Sylla victorem exercitum transportat ex Asia, & profligatis Marianis, Vrbem & Italiam stragibus complet, proscriptione ciuium tum primum inducta. Constat præter innumerabilem aliorum ciuium multitudinem, ex ipso equestris ordinis flore, ac Senatu, ad duo millia proscripta. Et tamen homo infelix Felicis nomen optauit: Cn. Pompeio Strabonis filio, qui Carbonem Marianum Consulem in Sicilia oppressum necauerat, Hiarbam Mauritaniæ Regem, Marianarum partium, suo Marte debellarat; Magni cognomen dedit: permisitque, vt de Africa novo exemplo Eques Romanus, ac privatus triumpharet. Ipse Dictator factus (cuius honoris vsurpatio amplius annos C. intermissa fuerat) cum fascibus XXIV. processit,

processit, Rempubl. præclaris legibus constituit. Sed nihil tam mirum, quàm quòd tot, tantísque stragibus editis ciuium; Dictatura sponte se abdicavit, privatúsque vixit incolumis. Sed pœnas à mortalibus condonatas, cælesti Numine repente Felix ille pediculari morbo confectus interiit. Cæterùm moderatio animi in summo imperio deponendo, haud exiguum gloriæ fructum tulit. Abdicatio Dictaturæ ita grata populo Romano accidit, vt eius funus incredibili pompa ac frequentia celebraret.

Ciuilis belli scintilla non paruum in Hispania excitauit incendium. Sertorius Marianarum partium Dux, ex fuga Hispanias occuparat, societatémque cum Mithridate coierat. Contra hunc Qu. Metellus, & Cn. Pompeius vario euentu pugnarunt. Quippe Sertorius Dux nulli secundus, Imperatoribus duobus populi Romani sæpè par, interdum etiam superior extitit. Sed homo magis adversùs externos hostes paratus, quàm contra domesticos cautus, Perpenna coniurationis auctore, à suis occiditur. Breui Perpenna interfecto, Hispani recipiuntur. Non cum exulibus modò, sed etiam cum servis ac piratis eadem tempestate dimicandum fuit.

Spartacus cum amplius LXX. gladiatoribus Capua ex ludo elapsus magnis copiis contractis, mirificos populo Rom. ludos, & clades reddidit. Ad extremum cùm de invadenda vrbe cogitasset, à M. Crasso repellitur, & in angulo Brutio opprimitur. P. autem Servilius Cilices piratas in latebras vsque Ciliciæ persecutus, Ciliciam domuit, & ab Isauro Ciliciæ arce, Isaurici cognomen adamavit. Rursus cùm piratæ toto mari impunè prædarentur, à Cn. Pompeio quadraginta diebus deleti sunt. Neque intereà otium à iustis hostibus fuit. Mithri-

D 2 dates

dates novis copiis instructus bellum in Asia renovarat. Eum L. Lucullus multis præliis fractum in Pontum compulit. Eodem tempore Quint. Metellus, Creta insula vastata, & in ditionem populi Romani redacta, Creticus appellatus. Cn. indè Pompeius Mithridatem debellatum regno spoliavit. Tigranem belli socium in deditionem accepit, eíque Syriam, ac Phœnicem ademit. Pontum in Provinciæ formam redegit. Mithridates XL. regni anno à Pharnace filio obsessus, frustrà tentatam veneno animam, gladio expulit. At Pompeius Aristobulo, & Hircano Alexandri Regis Iudæorum filiis, de regno dissidentibus; in Iudæam ad eorum controversias tollendas arbiter venit. Sed ab Aristobulo irritatus, Hierosolymam vi capit, muros diruit, in templi adyta cum paucis ingressus, sacri nihil attigit. Hyrcano sacerdotium à parentibus legatum, reddidit. Cæterùm Iudæam stipendiariam Populo Romano facit: Aristobulum Romam ad triumphum ducit, Antipatrum Procuratorem Iudææ relinquit, qui deinde Pompeio mortuo, Cæsaris permissu, muros Hierosolymæ refecit.

Dum imperium Rom. tota Asia propagatur, Roma ipsa intestino bello penè deleta est. L. Catilina Senator populi Romani exercitu in Hetruria comparato, cum Lentulo Prætore, Cethego, aliisque Senatoribus, de cæde Consulum, ac Senatus, déque inflammanda vrbe coniuraverat Ea coniuratio à M. Tullio. Cic. Cos. patefacta, & oppressa est. Catilina vrbe eiectus: de reliquis coniuratis supplicium sumptum. Catilina à C. Antonio Procos. cum exercitu cæsus. Cicero *pater Patriæ* à Catone Trib. plebis appellatus. Præclarum tamen, ac salutare factum fraudi M. Tullio, ac pesti fuit. Triennio post à P. Clodio Trib. plebis ob suppli-

cium

cium coniuratorum, eiicitur in exilium. Sed mense XVI. summa cum gloria reducitur. Idem eloquentiæ gloria floruit, cùm M. Varro Philosophus, Sallustius Historicus, Lucretius, & Catullus Poëtæ Romæ in honore essent. Liberata M. Tullij consilio Vrbe, nova semina iacta sunt opprimendæ Reipubl.

C. Iulius Cæsar Cos. invito Senatu, & M. Bibulo Collega, leges Agrarias cùm pertulisset, Capuámque coloniam deduxisset, Cn. Pompeium, Iulia filia in matrimonium data, affinitate sibi devinxit. M. Crassum cognomento Divitem, & Pompeio, & sibi conciliavit: ita trium Principum ciuitatis conspiratio facta; vti omnia illorum arbitratu gererentur. Ergo Cæsari vtraque Gallia, Cisalpina videlicet, & Narbonensis in quinquennium; Pompeio Hispania item in quinquennium decernitur. Crasso bellum Parthicum mandatur. Cæsar in Provinciam profectus Heluetios, qui exustis oppidis suis iter per Provinciam facere conarentur, victos domũ compulit. Arionistum Germanorum Regem, vexatorem Galliæ profligavit. Aquitanos, Gallos, Belgas bellum facientes subegit. Crassus Hierosolymitano templo sacra pecunia spoliato non impunè sacrilegium tulit. Adversùs Parthos malè pugnavit. Exercitum cum filio amisit. Demum ipse per speciem colloquij ab hoste circumventus occiditur. Cn. Pompeius ad seditiones vrbanas comprimendas Consul sine collega (quod nunquam anteà factum erat) creatus cum dictatoria potestate, motus vrbis sedavit, iudicio præfuit, quo Milo propter cædem Clodij exilio damnatus est. Cæsar porrò, Provincia in alterum quinquennium prorogata, Galliam pacavit, Britanniam domuit, Germaniam magnis cladibus attrivit. Itaque haud ægrè

à populo Rom. vt in petitione Consulatus absentis ratio haberetur, impetrauit. Antequam è Prouincia decederet, Iuliæ eius filiæ mors affinitatem, quæ illi cum Pompeio intercesserat, amicitiámque dissoluit. Quare Pompeio, & Coss. Aduersantibus quòd nimia Cæsaris potentia videretur periculosa Reipublicæ, Senatus neque rationem eius absentiæ proximis comitiis haberi sinit, & ipse ante certam diem exercitum dimittere iubetur. Aduersùs. M. Antonium Tribunum pleb. Senatus auctoritati pertinaciter intercedentem, extremo illo S. C. Consules armantur.

Ex hisce initiis coortum est bellum ciuile anno post vrbem cond. circiter DCC. Cæsar Reip. opprimendæ causam nactus, Romam infesto agmine contendit. Flaminia, Piceno, Marcis, Pelignis, Samnitibus potitus, in Vrbem nobilitate vacuam ingressus, se dictatorem dicendum curat. Ærarium sanctius compilat. Inde Pompeianis, ipsóque Pompeio Italia pulso, Afranium, & Petreium eius legatos expellit Hispania. Massiliam per Decimum Brutum legatum in deditionem recipit. Dictator absens à M. Lepido Prætore factus Romam reuertitur, ac Dictaturam init: mox Pompeium bello persequens transmisit in Græciam. Sed ad Dyrrhachium eundem Pompeium obsidens, magnam accepit cladem. Debellatus fuisset (vt ipse fassus est) si Pompeius sciisset vti victoria. Bello ad Pharsaliam delato, Pompeius interclusum commeatu hostem fame potiùs, quàm ferro vincere statuerat. Sed nobilitatis vocibus coactus cum hoste conflixit, amissóque exercitu, victus aufugit in Ægyptum ex fuga profectus, Ptolemæi Regis, ad quem confugiebat, iussu negatur.

Cæsar victor Ciceroni, qui Imperator è Cilicia decedens

decedens Pompeij, ac Reip. partes secutus erat, itemque Pompeianis, quicunque permiserant se potestati victoris ignouit maiore clementiæ laude, quàm victoriæ. Is Alexandriam quoque cum appulisset & Ptolemæi atque Cleopatræ eius sororis controuersas componere conaretur, ab eodem Rege penè oppressus est. Sed classem suam, ne veniret in hostium potestatem, incendit: quo incendio nobilissima illa Alexandriæ Bibliotheca à Philadelpho Ptolemæo instructa conflagrauit. At victo tandem, extinctóque Ptolemæo, regnum Cleopatræ tradit. Pharnacem inde Mithridatis filium qui in populi Rom. fines irruperat, primo impetu debellauit, propè vt antè vicisse hostem quàm vidisse videretur. Iubam etiam Mauritaniæ Regem L. Scipione, & Catone auctoribus, ciuile bellum in Africa instaurantem deuicit. Afranium, alióśque ad CCC. Senatores interfici iussit. At Cato ne in potestatem Cæsaris veniret. Vticæ mortem sibi ipse consciuit, ex quo Vticensis est appellatus.

Dum Cæsar ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, & Africa quatuor vno tempore triumphos ageret à Cn. & Sexto Pompeij Magni filiis, bellum in Hispania apparabatur, vt quintus ex Hispania triumphus accederet. Eò Cæsar cum exercitu contendit, aciem decernit, Pompeius ad Mundam Hispaniæ vrbem victus vincit. Cohortes enim quædam Pompeianæ prætereuntur, cùm fugæ fortè speciem præbuissent, fecerunt, vt victores, dum fugere putant suos, ipsi quoque fugerent, victi dum se vincere arbitrantur, vincerent: tantum in bellis valet opinio. Cneius ex fuga retractus occiditur. Sextus fuga elapsus ad alia bella reseruatur. Ciuile bellum pariter cum reipubl. ruina restinctum est.

Oppreſſa Rep. Pacatóque Populi Rom. imperio, Cæſar Dictor perpetuus nouo more appellatus à Senatu, ſalutares tulit leges; ſed Curiam obſcuris, ac barbaris Senatoribus inquinauit. Pomœrium protulit. Carthaginem, Corinthum colonias deduxit. Anni deſcriptionem à Numa introductum, de Mathematicorum ſententia intercalatis diebus ſex & ſexaginta, atque intercalari die poſt quartum quemque annum inſtituto correxit. Ei ampliſſimi, ac diuini honores à Senatu decreti. In his vt Quinctilem menſem ſuo nomine Iulium appellaret, vt faſtigium, templum, Flaminem tamquam Deus haberet. Proinde inſolentia elatus Senatum contemnere, ac regnum affectare cœpit. Ergo quinto Dictaturæ anno à Bruto Caſſio, cæteriſque coniuratis in Curia apud Cn. Pompeij theatrum vulneribus confectus interiit, C. Octauio ſororis nepote adoptato, atque hærede inſtituto. Cæterùm Tyranno ſublato, tyrannis manſit. M. Antonius Conſul repentinus tyrannus exortus eſt. Is in funere Cæſaris plebe in patriæ liberatores concitata, turbauit omnia: armis Senatum oppreſſit: nefarias leges per vim tulit: Galliam Ciſalpinam inuaſit: D. Brutum Galliæ Prætorem obſedit. Itaque bellum contra eum à Senatu, Cicerone auctore decernitur. Hircius, & Panſa Coſſ. itémque C. Octauius cum exercitibus ad Mutinam proficiſcuntur: ſignis cum Antonio collatis, victoriam referunt. Magno ea victoria populo Romano ſtetit. Conſulibus mortuis, exercitus tres vni Octauio paruerunt, qui copiis Romam adductis, conſulatum à Senatu adoleſcens annos x x. natus extorſit. Antonius in Galliam Tranſalpinam ad M. Lepidum magiſtrum equitum, magnis inſtructum copiis confugit: equitatum, in quo

quo erat ad x x x. equitum millia, incolumen ex acie deducit. Ita cum lepido societatem init. At Octauius bello contra Lepidum, & Antonium à Senatu præpositus, fidem, ac patriam prodit: amicitiam cum vtroque iungit.

Triumuiratu igitur instituto, c x x x. Senatores à Triumuiris proscripti. Ex horum numero. M. Cicero fuit, qui ab Antonianis obtruncatus cũ Rep. pariter concidit. Eius caput, ac manus pro rostris affixæ spectaculo fuerunt, vbi miraculo fuerat eloquentia. Orbis terrarum quasi patrimonium à triumuiris diuisus. Oriens, & Græcia Antonio, Africa Lepido, Italia, & Occidens Octauio obuenit; Sexto Pompeio Magni filio, qui classe plurimùm valebat, Sicilia assignata, Diodoro Siculo iam dudum, vigente.

Octauius lege Curiata in familiam Cæsaris adoptatus, more Romano C. Iulius Cæsar Octauianus dictus est. Cæsaris inde interfectores, die dicta, damnãdos curauit. Ea noua belli ciuilis origo fuit. Cæsar Octauius, & Antonius cùm se Iulij Cæsaris Dictatoris vltores profiterentur, M. Brutum & C. Cassium bello persequi cœperunt. Ad Philippos Thessaliæ vrbem vario Marte pugnatum est. Cassius ab Antonio, Cæsar vicissim à Bruto fractus, castris exuitur. Parem cladẽ error imparem fecit. Cassius victus Brutum quoque eadem vsum fortuna ratus, sibi necem consciuit. Brutus tamen vnus duobus Imperatoribus egregiè restitit. Is laborantibus rerum inopia hostibus, exploratam habebat victoriam, si bellum duceret: sed (vti olim Pompeius) ducum efflagitatu coactus prælio dimicauit: iam victor ob Cassianarum copiarum fugam vincitur, clade accepta, vt manus hostium vitaret sibimet manus attulit. Cum eo omnis Rei-

publicæ ſpes occidit. Breui vniuerſum Imperium Rom. ad vnum pervenit, quod tres Soles per id temporis exorti, qui paulatim vnum in orbem coierunt, portendiſſe putati ſunt.

Sext. Pompeius cum Cæſare contendens, à M. Agrippa eius duce denique nauali prælio ſuperatus, in Aſiam profugit, vbi paulò pòſt mortem obiit, Herode Iudææ Rege, qui Antipatra Aſcalonita natus Antonij, & Cæſaris opera primus alienigena Iudææ Rex appellatus eſt.

De Sicilia Sexto adempta inter Triumviros certamen exortum. M. Lepidus xx. legionum fiducia bellum in Sicilia movens ſine armis opprimitur. Eius copiæ ſolicitatæ, ſigna ad Cæſarem transferunt. Lepidus ipſe à Cæſare in ordinem cogitur. M. Antonius Octavia Cæſaris ſorore repudiata, Cleopatram Ægypti Reginam in matrimonium duxerat, quàm vt Orbis terræ Dominam conſtitueret, Cæſari bellum intulit. Commiſſo apud Actium prælio navali, cùm æquo Marte pugnaretur ſubitò refugientem temerè Cleopatram homo vxorius proſequitur, pugna deſerta, iniqua de Orbis terræ imperio dimicabat: vſque eò amor animum obcæcarat. Itaque Cæſar, partâ victoriâ hoſtem inſecutus Alexandriam obſidet. Antonius rebus deſperatis, ſibi manus affert. Eum imitata Cleopatra, ne videlicet in triumpho duceretur à Cæſare mammæ aſpidem admouet, ita demum ad vnum Imperij Romani ſumma pervenit, paucis annis poſtquam Ventidius Baſſus Antonij legatus de Parthis primus victoriam reportauit.

CÆSAR

CÆSAR OCTAVIANVS.

CÆSAR OCTAVIANVS anno post Triumviratum institutum XII. rerum potitus est. Ob sanctitatem, siue ob auctum imperium Augustus à Senatu primus appellatus, Augusto mensi, qui antea Sextilis dicebatur, nomen dedit. Ægyptum prouinciam fecit. Cantabriam, Dalmatiam, Pannoniam, Illyricum, Rhœtiam, Vindelicos per Drusum & Tiberium priuignos Roman. imperio adiunxit. Armeniam à Parthis, & signa Crassi recepit, Scythas etiam, & Indos fama dumtaxat cognitos ad suam, populique Romani amicitiam per legatos vltrò petendam allexit. Pomœrium protulit. Ianum tertio clausit, pace, terra, marique parta. Virgilium, & Horatium Poëtas complexus est. T. Liuium, & Strabonem historicos (quo tempore & Pompeius Trogus vixit) in honore habuit. Ouidium in Pontum relegauit. Horum æquales Q. Curtius historicus, Tibullus, ac Propertius Poëtæ fuerunt, itémque M. Agrippa Augusti gener, qui Romæ Pantheon condidit, Aquam virginem duxit.

Nec verò vsquequaque felix ille Augustus fuit. Stirpem virilem, cui tantum imperium legaret, nullam habuit. Marcellum etiam sororis filium, Lucium, & Caium ex Iulia filia nepotes propè continuatis funeribus extulit. Iuliam filiam probris, ac flagitiis infamem, Agrippam Posthumum nepotem, ingenio præferocem relegare coactus est. Itaque Druso priuigno mortuo, Tiberium Neronem item priuignum adoptat, eíque Liuiæ vxoris impulsu imperium legat. Germanicum Cæsarem

Druso

Druſo, ortum octo apud Rhenum legionibus præpoſuit, adſciſcique per adoptionem à Tiberio iuſſit. Annos regnauit cum Triumuiris XII. ſolus XLIV. Mortem obiit Nolæ, Romam (vt ipſe gloriabatur) è lateritia marmoream relinquens. Mortuo diuini honores decreti à Senatu, CHRISTO Dei filio iam XV. annos nato.

LIBER IV.

ANNO ante exceſſum Auguſti XV. IESVS CHRISTVS æternus Dei Filius ex Maria Virgine genitus eſt, cælo miſſus piaculum cœleſtis iræ, magiſter ac vindex generis humani. Itaque XXXIII. annos natus à Iudæis in crucem actus ſuo ſanguine ſcelus humanum luit: Ac Petro in terris vicario relicto, ſuis ſectatoribus viam muniuit in cælum anno Tiberij Cæſaris XVIII.

TIBERIVS NERO.

TIBERIVS NERO priuignus idem, ac gener, hæréſque Auguſti, totus ab illo diuerſus fuit, ingenio non ſolùm arroganti, trucíque, ſed etiam occultò fingendíſque virtutibus ſubdolo. Principia eius imperij moderata Germanici Cæſaris metu. Conſulibus aſſurgere ſolitus, ac decedere de via. Quorumdam illuſtrium virorum exequias ad rogum vſque celebrauit. Præſidibus Prouinciarum ſuadentibus, vt tributa Prouinciarum augeret, reſcripſit, *Boni paſtoris eſſe tondere pecus non*

non deglubere. Nec superbos titulos à Senatu accepit; nec templa, aut aras, aut simulacra à ciuitatibus sibi statui facilè permisit, quantò plùs adeptus foret, tantò magis se in lubrico versari dictitans. Asylis, templorúmque perfugiis, quibus plerique ad licentiam abutebantur, præscriptus ab eo modus. Duodecim Asiæ vrbibus, in quibus Ephesus fuit, nocturno terræ motu collapsis ex ærario subuentum, & tributa in quinquennium remissa. Compluribus Romæ in monte Cælio, ac rursus in Auentino, incendio absumptis ædibus, ad eas reficiendas pecuniæ dominis pro damni modo ex publico attributæ. Ita ciuium calamitas in gloriam Principis versa. Germaniæ modus per Germanicum composuit, Varianam cladem vltus. Et Pilati admonitu ad Senatum retulit, vt IESVS CHRISTVS miraculis clarus in diuos referretur. Cæterum Germanico veneficiis extincto, metu solutus mores soluit: sed eius petulantiæ, à Liuia matre, quã reuerebatur, nonnihil obstitũ. Rege Cappadociæ per speciem amicitiæ euocato, retentóque, eius regnum in prouinciam redegit. Herodem Agrippam Ascalonitæ Herodis nepotem, qui Romam Herodis Antipæ accusator venerat, in custodiam tradidit, quia publicè precatus erat, vt Caium Germanici filium videret Augustum. Inter hæc Liuia matre demortua, in omne ruit crudelitatis genus Drusum Cæsarem ex se genitum affectati regni suspectum veneno sustulit. Neronem, ac Drusum, Germanici filios, nepotes suos, fame necauit. Seiani Præfecti prætorij instinctu, Romam Primorum ciuitatis cædibus polluit. Sed tandem ira Principis in ipsum vertit crudelitatis auctorem. In Capream insulam cùm secessisset, eam infamem reddidit sua nequitia, luxu-

que

que. Dúmque oblitus imperij, Veneri intemperanter indulget, Armenia à Parthis, Mœsia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, à Germanis Gallia est depopulata. Ad vltimum delitiis confectus, ad Misenum extinguitur, principatus sui anno XXIII. Reliquit in ærario vicies ac septies millies HS. abse illatum, ingentem successoris luxui materiam.

Eo imperante, Velleius Paterculus, Valerius Maximus, Columella, Pomponius Mela floruere. Ioan. Baptista capite mulctatus. Stephanus saxis obrutus. Paulus Christo se adiunxit. Petrus Antiochenam fundauit Ecclesiam, vbi septem annos obtinuit sedem.

CAIVS CALIGVLA.

A Christo nato anno XXXIX.

CAIVS CALIGVLA Germanico, & Agrippina genitus, in castris militari habitu educatus, ex eóque Caligula eiectus est. Is primò quidem haud indignum se Germanico patre, ac populi Romani fauore præbuit. Sed breui tyrannus extitit Tiberio immanior. Omnium primum Aprippam Herodem Ascalonitæ nepotem à Tiberio vinctum soluit, eíque Herodis Antipæ tetrarchiam cum regni titulo concessit vltrò. Antipam porrò Lugdunum in Galliam relegauit, qui inde fugitans in Hispaniam vnà cum Herodiade incesta coniuge, & parricidio sacri Vatis infami, tandem periit mœrore consumptus. Hic exitus illum Ioan. Baptistæ carnificem, Christíque illusorem excepit. Nec melior Pilati fuit, qui item à Caio relegatus in Galliam, ærumnarum finem voluntaria

voluntaria morte quæsiuit. Caius porrò in sæuitiam, ac luxuriam preceps, neque proximorum cæde, neque amicorum coniugibus, nec dictu nefas germanis sororibus suis temperauit. Insigne eius in Romanos odium vecors illa vox satis ostendit: *Vtinam Pop. Romanus vnam ceruicem haberet*. In extructionibus nihil magis efficere moliebatur, quàm quod negaretur effici posse. Ergo in montium, valliúmque æquationes atque eiusmodi opera immensas opes, totúmque illud vicies ac septies millies HS. quod Tiberius Cæsar reliquerat, non toto vertente anno absumpsit: inde in rapinam versa profusio. Ad extremum eò processit dementiæ, vt diuinos sibi honores arrogaret. Romæ, totóque Orbe terrarum templis dicatis. Cæterum nouus Deus IV. imperij anno necatur à suis, ferro quidem per obscœna adacto, vt causa cædis extaret.

CLAVDIVS NERO

A Christo nato anno XLIII.

CLAVDIVS NERO Caligulæ patruus, ab eo ad ludibrium reseruatus imperij successor fuit, bonus Princeps magis, quàm sapiens. Publicis operibus immortalitatem nominis quæsiuit. Auentinum Vrbi inclusit. Aquam Claudiam duxit. Fucinum siccauit lacum, Romanum portum extraxit. Britanniam, & Orcades insulas, sine prælio, ac sanguine subegit. In amicos adeò effusus, vt A. Plautium ob res in Britannia prosperè gestas, triumphantem Cæsar ipse prosequeretur, eique Capitolium conscendenti læuum tegeret latus. Illud dementer, quòd prætertito Britannico filio, Neronem

priuignum

priuignum hæredem imperij fecit. Itaque priuigni fraude pater cum filio extinguitur. Tenet fama venenum Claudio ab Agrippina coniuge in boleto datum. Annos imperauit XIV.

Inter principatus eius initia Herodes Agrippa Rex Iacobum Apostolum, Ioannis Evangelistæ germanum fratrem morte mulctavit. Petro Apostolorum principi ad supplicium catenas iniecit: at ille divinitus Herodiana custodia elapsus, altero Claudij Imperatoris anno, Romam, Deo ducente, venit, ibique Christi vicario æternam posuit sedem. Subinde Herodes Agrippa Rex, cùm pro concione verba faceret ad populum, quà splendore vestis insolito, quà adulatione multitudinis Deum succlamantis, supra humanum fastigium elatus, manifesta ira divini Numinis, fœda vermium conficitur tabe, illustre non inultæ superbiæ documentum. Ei Agrippa filius à Claudio subrogatus.

Per eadem tempora Philo Iudæus, Dionysius Areopagita, Dionysius item Halicarnasseus, & Persius Poëta viguerunt, Deipara quoque Virgo cum redivivo corpore in cælum migravit, cælestiũ Regina pariter, ac Patrona mortalium constituta.

NERO.

A Christo nato anno LVII.

NERO Germanici ex filia nepos, Caligulæ auunculo magis, quàm avo se similem præbuit. Quamdiu eodem, quo erectus erat, adminiculo, Seneca magistro stetit, optimus Princeps habitus: illo sublato in omnia probra, ac dedeco-

ra

ra ruit: quippe maiestatis immemor in scœnam non tragœdus modò, sed etiam citharœdus prodiit. Luxus eius incredibilis: nullam vestem bis induit: piscabatur rete aureo, nunquam carrucis minus mille iter fecit, soleis quidam mulorum argenteis. Auiditas luxui par. Argumento est illa plusquam tyrannica vox: *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Neroniana porro crudelitas etiam prouerbio celebratur. Etenim Agrippinam matrem, Octauiam coniugem, Antoniam Amitam; aliósque cognatione proximos, Senecam quoque præceptorem, Lucani Poëtæ patruum, ipsúmque Lucanum necavit. Ad hæc magnam vrbis partem obscuris ædibus informem per ludum incendit, vt Troiæ repræsentaret incendium. Aream à Palatio ad Exquilias immenso ædificio occupavit. Incendij culpam, pœnamque in Christianos transtulit, quos Romæ insectatus est primus; vt Christianorum causam satis probaret insectatoris improbitas. Itaque Petrum, & Paulum, Apostolorum principes, Simonis Magi interitu accensus, morte mulctavit. Nec ita multò pòst ipse mortalibus iuxta, cælestibúsque ob immanem crudelitatem inuisus, cùm à Senatu, populóque Rom. ad necem quæreretur, in semet carnificis officium occupavit. Obiit anno post initum imperium XIV. tanta civium lætitia, vt plebs pileata, velut servitio exempta, triumpharet. Exin ab eius Ducibus de principatu disceptatum est armis.

SERGIVS

SERGIVS GALBA.
OTHO SYLVIVS.
VITELLIVS.

A Christo nato anno LXXI.

SERGIVS GALBA Cæſar ab exercitu creatus, Neroni ſucceſſit. Sed nimia ſeueritas, breue eius imperium fecit. Othonis inſidiis menſe ſeptimo iugulatur.

OTHO SYLVIVS, invaſo imperio, haud diuturnior eo, quem ſuſtulerat, Cæſar fuit: quippe à Vitellio, qui à Germanicis legionibus imperium acceperat, ad Cremonam levi prælio victus voluntariam mortem oppetiit, menſe imperij quarto.

VITELLIVS à Veſpaſiani Ducibus multò cum dedecore captus, per vrbem raptatur nudus, Tandem iugulatus præcipitatur in Tiberim menſe principatus octauo. Vix alia ætas magis oſtendit in ſummo Orbis terrarum imperio fragilitatem felicitatis humanæ. Quatuor Imperatores populi Rom. intra biennium per ludibrium periere.

FLAVIVS VESPASIANVS.

A Christo nato anno LXXII.

FLAVIVS VESPASIANVS à Nerone ad pacandos Iudææ motus cum valida manu miſſus, multa Iudæorum oppida, vrbéſque, quà armis, quà conſilio ceperat. Nerone mortuo, Imperator ab exercitu

exercitu ſalutatus, bellum, copiáſque Tito filio tradit. Romam profectus rerum potitur, vir obſcuro quidem loco natus, ſed bellicis operibus clarus. Altero eius principatus anno, qui annus à Christi morte XL. fuit, Hieroſolyma à Tito eius filio capta, ac deleta eſt. Auctor eſt Ioſephus ipſis feriis Paſchatis, in ſumma hominum celebritate vrbem repentè obſeſſam, atque exitiali illa obſidione ampliùs quingentos captiuorum Iudæorum quotidie crucibus affixos ab hoſtibus, vt iam ſpatium crucibus deeſſet, corporibus cruces. Vndecies centena millia, quâ fame, quâ ferro abſumpta, ac demùm vrbe iam capta, centum millia ſub corona vendita, & in ſervitutem abducta. Ita Dei Filio eorum, ad quos tanti parricidij contagio pertinebat, ſanguine parentatum eſt. Per idem tempus Achaia, Thracia, Lycia, Samus, Rhodus, quæ regiones anteà liberæ, aut amicis Regibus ſubiectæ erant, in ditionem populi Rom. redactæ. Coloſſus erectus in altitudinem pedum CVIII. Veſpaſinus porrò pace parta, templum Pacis condidit, ornavítque. Amphitheatrum ab Auguſto deſtinatum inchoavit. Sed ex omnibus eius monumentis facilitas in audiendo maximè memoranda, quæ tanta fuit, vt quamvis gravi, ac difficili morbo implicitus, vulgò adeuntes audiret cubans. Tandem alvo ad defectionem ſoluta conſurgens ait, *Imperatorem ſtantem mori oportere.* Extinctus eſt anno, quàm imperare cœperat, X.

Ab eo Aſconius Pædianus, Plinius ſenior in honore habiti, quorum ferè æquales extitêre Fabius Quintilianus à Galba Romam ex Hiſpania deductus, & Ioſephus Iudæus Iudaici belli non narrator ſolùm, ſed etiam adiutor. Per idem tempus Silius Italicus Poëta viguit. Apollonius Tya-

næus

næus Magus vnicus Romam venit, qui fictis miraculis à Philostrato nobilitatus, pro Deo coli cœptus est.

TITVS.

A Christo nato anno LXXXI.

TITVS vltæ Christi necis titulo inclytus in optimis Imperatoribus numeratur. Amphitheatrum velut hæreditarium monumentum perfecit, dicauitque. Præcipuè facilitas eius, ac liberalitas commendantur: Nihil cuiquam, quod concedi fas esset, abnuebat; negans *oportere quenquam à Principe tristem discedere.* Cùm verò aliquando inter cœnam eum diem beneficio vacuum abiisse meminisset, conuersus ad amicos, *Hunc* inquit, *diem, sodales, perdidi.* Adeò vitam Principibus ad benè de mortalibus merendum datam putabat. Proinde vsque eò charus summis æquè, atque infimis fuit: vt humani generis deliciæ diceretur. Sed breuitas tantum bonum illustrius fecit. Anno principatus III. decessit miro sui desiderio omnibus relicto.

Eo imperante exortum Vesuuij montis incendium, cuius cinis affatim effusus Plinium seniorem, improuidum nouæ rei spectatorem obruit, vrbésque duas Herculanum, & Pompeios pumicibus oppressit.

DOMITIA-

DOMITIANVS.

A Christo nato anno LXXXIV.

DOMITIANVS, Titi frater, Imperator variis virtutibus, vitiisque; ad extremum Neroni similior, quàm Tito fuit. Inter principatus rudimenta parum memor maiestatis, sepositum quotidie habebat tempus, quo muscas captans, stylo configeret. Cæterùm fraternæ laudis æmulator popularem se, & iustitiæ tenacem præbuit. Spectacula assiduè sumptuosa dedit, siue in Circo Maximo, siue in Amphitheatro, vbi etiam certamen nauale commisit. Edidit quoque nauales pugnas iustarum penè classium, effosso, & circumducto circa Tiberim lacu, vbi & Naumachiam fecit. Verùm in ludos effusus, bella parum prosperè gessit. De Dacis tamen, Cattisque duplicem egit triumphum, magnis vtrumque emptum cladibus. Magistratus vrbanos, & prouinciarum Præsides adeò in officio continuit, vt neque modestiores vnquam, neque iustiores extiterint. Calumniatores maximis repressit pœnis, ferebatúrque eius vox: *Princeps delatores non castigans irritat*. Probrosis fœminis lecticæ vsum, & capiendi legata ius ademit, Senatorem, qui saltandi studio teneretur, Senatu mouit. Martialem assentatorem veriùs, quàm Poëtam, in deliciis habuit, cuius æquales Statius, & Iuuenalis fuere. Ad vltimum humano fastigio non contentus fuit. Primus Imperatorum Dominum se, Deúmque appellari iussit, inde in rabiem, crudelitatémque versus, tū Senatorū complures leuissimis de causis interemit, tum Christianum nomen afflixit.

Qua

Qua tempestate Ioannes Evangelista in Pathmum insulam relegatus, Cletus & Anacletus, Rom. Pontifices pro religione extincti. At Cæsar XV. principatus anno à suis interemptus, etiam humanis caruit honoribus, qui arrogauerat diuinos.

NERVA COCCEIVS

A Christo nato anno XCIX.

NERVA COCCEIVS affecta iam ætate à Domitiani interfectoribus delatum accepit imperium. Bonus, sed breuis Imperator extitit. Actis Domitiani rescissis, adempta per iniuriam bona restituit. Tanta porrò eius ab integritate vitæ fiducia, palàm vt dictitaret, ita se imperasse, vt abrogato imperio, priuatam securus vitam esset acturus. Extinctus est altero anno, quàm ad principatus fastigium ascenderat, nulla re memorabilior, quàm quòd Traianum adoptione ad imperium adsciuit, virum non alienum modò, sed etiam alienigenam ob eximiam virtutem proximis præferens.

VLPIVS TRAIANVS.

A Christo nato anno C.

VLPIVS TRAIANVS natus in Hispania, ipso anno à Virginis partu centesimo est adeptus imperium: quod ita gessit, vt omnibus propè Romanis Imperatoribus præferatur. Iræ potens adeò, vt numquam ab ea vinceretur. Militaris disciplinæ

disciplinæ custos comiter seuerus: benignitate in milites singulari. Cùm fasciæ ad obliganda militum vulnera, deessent, ne sibuculæ quidem suæ parcebat. Pedibus plerunque præibat exercitum, vt pedites alacriùs sequerentur. Itaque miles imperatori non defuit. Daciam subegit, Armeniam recepit de Parthis: Persidem, Seleuciam, Babyloniam, maximamque Asiæ partem Rom. adiunxit imperio. Exin ad Indiæ fines progressus tres nouas in itinere prouincias fecit. Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam. His Arabiam adiecit. Et bellicam gloriam vrbanis artibus vicit comitate, moderatione, liberalitate inter omnes eminens. Omninò vt ipse dicere solitus erat, talem se præbebat Imperatorem priuatis, qualem erga se esse Imperatorē priuatus optasset. Doctorum hominum consuetudine delectabatur. Cornelium Tacitum, L. Florum, Solinum, & Plinium iuniorem complexus est, à quo de Christianorum moribus edoctus, conquiri eos vetuit, puniri iussit oblatos. Tandem ingenti rerum gestarum fama ad Vrbem remigrans apud Seleuciam Isauriæ, alui profluuio extinguitur. Imperium obtinuit annos XX. Vni ex omnibus & triumphus mortuo, & sepulcrum intra Vrbem datum. Eius cineres Romam triumphali pompa, inuecti, & in foro Traiano conditi. Columna ingens pedum CXL. in altitudinem eminens monumento est: egregium sanè, nec altitudine magis, quàm cælatis rebus à Traiano gestis visendū opus.

Hoc imperante, Clemens Rom. Pontifex pro Christi fide mortem oppetiit. Lucianus, deserto Christo factus est Atheus. Ignatius Antiochenus Episcopus pro religione discerptus à leonibus, sub cuius necem Antiochia horribili terræ motu corruit cum ingenti ciuium, assectarúmque Imperatoris

toris clade, ipſo tantæ ruinæ ſpectatore Traiano, qui ægrè periculum euaſit.

ÆLIVS ADRIANVS.

A Christo nato, anno C X X.

ÆLIVS ADRIANVS in Hiſpania quoque natus, Traiani propinquus: vir fuit litteris, boniſque artibus, maximè verò Mathematicis eruditus: idémque doctorum hominum irriſor pariter, fautorque. Plutarchum familiarem, Suetonium ab epiſtolis habuit. Comis in amicos adeò, vt & inuiſeret ægrotantes, & conuiuas ſupra ſe iuberet accumbere. Ægrè patiebatur à ſe quicquam peti, obuia benignitate præces anteuertere geſtiens. Admoneri ſe etiam ab infimæ ſortis hominibus, æquo ferebat animo. Obuia mulier cùm eum rogaret, vt ſe audiret: neganti Cæſari, ſibi vacare, ſucclamauit; *Noli igitur regnare.* Ea vox ita Principem mouit, vt eam aniculam audiret ſtatim, ſedulóque. Pacis auidus tres prouincias, quas in Aſia Traianus Rom. imperio adiecerat, dimiſit. Bellum nullum mouit, & motum ab aliis extemplò compoſuit. Romanum orbem ferme pedibus obiit, arces muniens, & populorum commodis ſeruiens. Patriam tamen, quamuis multis auctam muneribus, nunquam reuiſit. In ſolos Iudæos arma cepit, quos tota Palæſtina rebellantes maximis obtriuit cladibus. Hieroſolymam ab ſe inſtauratam ſuo nomine Æliam appellauit. Coluariæ montem mœnibus incluſit, Iudæis non modò acceſſu vrbis, ſed etiam proſpectu prohibitis. Chriſtianæ rei illum fauiſſe credas, niſi Chriſtianorum complures extremo ſupplicio

plicio affecisset. Ad vltimum, gravi diutinóque implicitus morbo, expertus est, quàm miserum esset, cupientem mori non posse. Tandem moriens tritum illud Græcorum proverbium vsurpauit: *Multi Medici Regem perdidere.* Imperitauit annos xx. sepultus prope Tiberim: & sepulchro ab Antonino adoptiuo filio, qui ex eo Pius appellatus est, moles imposita, quæ Adriani dicitur.

Per id tempus Pausanias, & Pompeius Trogus Historici floruêre, Sabina Romana, Symphorosa Tiburtina cum filiis septem, Faustinus, & Iouita Brixiani pro religione cæsi. Alexander Roman. Pontifex lustralem induxit aquam. Carpocrates Gnosticorum, (hi Epicureis ipsis nequiores erant) auctor & Prodicus Adamitarum parens extiterunt, quorum probra, ac dedecora Christianum nomen traduxêre.

M. ANTONINVS PIVS.

A Christo nato anno CXL.

MARCVS ANTONINVS PIVS ab Adriano adoptatus, alter Numa, imperium pace refouere, quàm bello proferre maluit. Æquissimos viros ad Reipub. administrationem deligebat, bonis honorem habens, improbos sine acerbitate castigans. Quæ res illi Pij cognomen, quod ei pietas in Adrianum patrem, & ægrum, & mortuum fecerat, affirmauit. Amicis Regibus venerabilem magis se præbebat, quam formidabilem. Ergo iustitiæ eius fama Bactrianos, Hyrcanos, Indos, aliásque barbaras nationes compulit, vt depositis armis, eum arbitrum sumerent. Huius illa vox Imperatore digna: *Malo vnum ciuem seruare, quàm mille*

hostes perdere Huic Iustinus Philosophus Christianorum Apologiam scripsit. Itaque Pius, siue huius oratione motus, seu magnis quibusdam Rom. Imperij cladibus, legem tulit, vt si quis hoc solo nomine, quòd Christianus esset, postularetur, in accusatorem supplicium verteretur. Rei Romanæ Imperium tenuit annos XXXIII. Quo regnante Telesphorus Pontifex, Quadragenarij ieiunij morem, ab Apostolis introductum, lege sanxit. Hyginius item Pontifex, is qui sacrosancto Paschati Dominicum sanxerat diem, mortem pro Christo (enimverò, ne Pio quidem Augusto satis tuta fuit ab improbis Christiana religio) oppetiit.

Eadem ætas ingeniorum ferax Iustinum compilatorem veriùs quàm Historicum, L. Apuleium Magnum pariter, ac Philosophum, Ptolemæum Astrologum, A. Gellium Grammaticum, Galenum Medicum fudit.

M. AVRELIVS ANTONINVS VERVS.

A Christo nato anno CLXIII.

MARCVS AVRELIVS ANTONINVS VERVS, cognomento Philosophus, à puero disciplinæ Stoicæ deditus, nunquam vultum gaudio, aut mœrore mutasse dicitur, nullámque ad insolentiam imperij fastidio extulisse sese. A Pio adoptatus, L. VERVM fratrem in societatem adsciuit imperij: rarum ad posteros moderationis exemplum. Et concordibus quidem imperarunt animis, & communibus consiliis. Parthicum bellum prosperè gesserunt. Cæterùm Lucius triumpho de Parthis acto, subita apoplexia

apoplexia extinguitur anno principatus XI. Marcus porrò fratre, & collega amisso, Marcomannicum bellum, Vandalis, Sarmatis, Sueuis, aliisque barbaris nationibus perdomitis, feliciter confecit. Quo bello Romanis copiis siti enectis, Christianæ legionis pietas salutem, & victoriam peperit. Quippe Christianarum cohortium preces, coactis, repentè nubibus, imbrem suis, fulmina in hostes excussere. Ex quo legioni Fulminatrici nomen inditum. Ergo Philosophus Imperator, Christianorum beneficio de hostibus triumphauit. Ad eius belli sumptus exhausto ærario, ne cuiquam grauis foret, instrumentum omne imperatorij cultus vendidit; idque parta victoria ex manibus redemit. Ad vltimum anno post susceptum imperium XVIII. decessit, ingenti, vel rerum gestarum, vel moderationis, ac sapientiæ fama. Dicas comprobatam ab eo vocem illam Platonis: *Tum demum beatas fore Resp. si aut Philosophi regerent, aut Reges philosopharentur.* Extat Romæ propter viam latam Antoniana columna Traianæ æmula, Antonini huius monumentum.

Philosophia non aliàs magis Romæ, quàm Philosopho imperante floruit. Præter alios plures Epictetus, & Alexander Aphrodisiensis, Philosophi floruêre. Quorum æquales Iulius Pollux, Aphthonius, Philostratus, Egesippus, Appianus Alexandrinus, Athenæus, Macrobius numerantur.

Verùm dum litteris, armisque Romana res floret moderatione, ac sapientia Principis, Christiana res Prætorum improbitate non leuiter obtrita est: quippe multi Christianorum greges tum alibi, tum maximè in Gallia mactati; Romæ verò Iustinus, ex Philosopho Christianus, cùm alteram Senatui, ac Cæsaribus Christianorum Apologiam

tradidiſſe; martyrij palmam defendendæ religionis præmium tulit. Pius, Anicetus, Soter Rom. Pontifices (quorum poſtremus inſtituto de conſecrandis à Sacerdote nuptiis memorabilis) pro Chriſto interfecti. Felicitas Romana, illuſtris illa ſeptem filiorum Martyrum mater pro eodem interempta. Polycarpus, Smyrnenſis Epiſcopus, carnificis ferro transfixus, quòd eius ſanctitati flamma parcebat. Sed læta triſtibus intermixta. Eleutherius Pontifex certis hominibus Lucij Regis rogatu in Britanniam miſſis, Regem ipſum, bonámque populi partem ad Chriſti aggregauit fidem.

COMMODVS.

A Chriſto nato anno CLXXXII.

COMMODVS Philoſopho genitus, nondum matura imperio ætate imperare occepit. Itaque ab aſſentatoribus corruptus, Domitiano extitit ſimilior, quam patri, libidine, ſæuitia, ac præcipuè leuitate inſignis. Cognomina, ac titulos coaceruans ſubinde mutabat. Depugnabat in Amphitheatro cum gladiatoribus, beſtiiſque. Et ſui principatus ſæculum aureum appellari iuſſit, adeò ſtultitiæ fauebat ſuæ. Porrò ſimulacra Herculis habitu, ſibi poni voluit. Coloſſo, qui Romanis venerabilis erat, Solis imaginem gerens, capite dempto ſuam effigiem indidit. Tandem igitur ob crudeles, & indignos Auguſto mores, ſuis inuiſus æquè, infeſtúſque ſtrangulatur anno principatus XIII. Qua tempeſtate templum Pacis à Veſpaſiano conditum (incertum quo caſu) deflagrauit.

Irenæus

Irenæus Lugdunensis Episcopus, itémque Dio Cassius, Historicus haud ignobilis, extitêre.

ÆLIVS PERTINAX.

A Christo nato anno CXCV.

ÆLIVS PERTINAX ex eo cognomen traxit, quòd mandatum ex S. C. imperium accepit inuitus: & modestia, qua imperium acceperat, imperantem secuta est. Nec vxorem Augustam, nec filiam Cæsarem ab Senatu appellari est passus. Cæterum dum ægræ ciuitatis morbos, qui consilio egebant & tempore, simul cunctos curare aggreditur, incurrit, vt fit, in odia multorum. Ergo inter initia principatus, Iuliani Iurisperiti fraude, à Prætorianis militibus obtruncatur; haud leue documentum, quantò tutius sit detrectare, quàm accipere imperium.

IVLIANVS DIDIVS.

A Christo nato anno CXCV.

IVLIANVS DIDIVS principatum malè partum malè perdidit. Quinto mense, Senatus abrogatum illi imperium Septimio Seuero detulit. Cuius iussu Didius occiditur, hoc tantùm adeptus vt ingenio celebris, tyrannide infamis moreretur.

SEPTIMIVS SEVERVS.

A Christo nato anno CXCVI.

SEPTIMIVS SEVERVS oriundus ex Africa, Imperij Romani olim æmula, in Ælij Pertinacis gratiam, cuius vltor fuerat, Pertinax dici voluit. Prudens maximè armis, felixque adeò, vt nullo congressu non discesserit victor. Arabias interiores, Adiabenos, aliósque barbaros debellauit, déque iis triumphum egit. Extat triumphi monumentum, *Fornix triumphalis*, Romæ in cliuo Capitolino. Dein bellum in Britanniam perduxit. Ibi Seuerus cùm pedibus æger belli cursum moraretur, cúmque Bassianum ab se genitum, Cæsarem ab exercitu salutatum intellexisset: ex templò lecticâ deferri se in tribunal, simúlque nouum Cæsarem cum Tribunis, & Centurionibus citari iubet: quibus Augusti maiestate perterrefactis, veniámque poscentibus: *Sentisne* inquit Seuerus, *caput imperare non pedes*; Britanniæ prouinciis receptis, aduersùs finitimorum hostium incursiones, vallum ingens perpetua fossa, castellisque communitum per CCC. fere millia passuum (quàm lata est insula) memorabili opere perduxit. Ad vltimum, cùm sentiret adesse supremam horam, velut testis idem, & contemptor humanæ felicitatis, exclamasse fertur: *cuncta fui, sed nihil prodest.* Decessit Eboraci anno imperij sui XVIII. ancipiti fama. Quippe idem & rerum gestarum gloria inclytus, & illustrium virorum cæde infamis fuit. Itaque illud vulgò iactatum, *Seuerum aut nunquam nasci oportuisse, aut nunquam mori.*

Haud

Haud alia ætas Jurisperitorum fœcundior. Papinianum, Cassium, Vlpianum, Paulum, compluresque alios præter Iulianum Cæsarem effudit. Per idem tempus Ammonius Philosophus, Clemens Alexandrinus magister Origenis, & Tertullianus Afer libris editis, Victor Rom. Pontifex decreto de Paschate post. XIV. Lunam celebrando, illustres fuêre.

ANTONINVS CARACALLA.

A Christo nato anno CCXIII.

ANTONINVS CARACALLA magicis artibus addictus bonas contempsit artes. Ergo asperior Severo patre Senatorum Principes fortunis exuit, vitáque. Inde Geta fratre consorte imperij, in sinu matris occiso, documentum dedit, quàm invida sit regni societas. Idem Alexandri Magni admirator nihil eius, nisi ceruicem in lævum humerum inflexam æmulabatur. Iræ adeò impotens, vt Alexandrinorum dicacitatem ingenti eorum strage vindicarit. Itaque omnibus invisus à domesticis obtruncatur, sex annis imperio potitus, in quibus nihil penè memoria dignum fecit, præter Thermas, quæ Antonianæ vocantur.

Eadem tempestate Zephyrinus Pontifex decreto de anniuersaria sacrosanctæ Eucharistiæ Communione circa ferias Paschatis, Christianam pietatem accendit.

M. AVRELIVS ANTONINVS, HELIOGABALVS.

A Christo nato anno CCXX.

MARCVS AVRELIVS ANTONINVS HELIOGABALVS, Macrino cum Diadumeno filio interfectis, imperium inuasit. Caracallâ se genitum ferebat. Nihil illo corruptius. Accurata facie cum muliebri stola mores quoque muliebres sumpsit: & homo effœminatus, fœmina quia fieri non poterat haberi volebat. Omninò Assyriorum Regibus, quàm Romanis Augustis similior. Itaque illi haud ex vano Sardanapali cognomen factum. At populus Roman. non diu tantum dedecus tulit. Quarto Imperij anno per tumultum militarem interfectus, & per vias, cloacasque in Tiberim raptatus purgamentum, ac fæx popul. Rom.

ALEXANDER SEVERVS.

A Christo nato anno CCXXIV.

ALEXANDER SEVERVS, Mammææ filius, etsi Heliogabali consobrinus, ac puer imperitare occœpit: optimis tamen Principibus æquatus est omni genere virtutum: tantùm vel rara eius indoles, vel materna institutio valuit. Mirus in eo & litterarum amor, & litteratorum, quorum calamos vereri præ se ferebat, ne quid suo nomini labis aspergerent. Egregia in militari disciplina tum seueritas, tum comitas. Summa in iure dicendo diligentia.

tria. Iuris consultissimos viros in consilium adhibebat, ex quo numero Papiniani discipuli, Vlpianus, & Paulus fuêre. Idem adulatorum irrisor, simplicitatem etiam in salutationibus, titulísque adamabat. Dominum se appellari, aut positis genibus adorari vetuit. Christum in Deorum numero reponere frustrà conatus, in larario suo coluit. Illam vocem: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, adeò amplexatus est, vt in regia, & in publicis operibus inscribi iusserit, eandémque in vindicandis iniuriis identidem vsurparit. Cohortem imperatoriam scurrarum, eunuchorum, desidiosorum missione purgatam habuit. Præcipuum eius odium in Iudices iniquos, ac sordidos. Fertur intentum, paratúmque digitum habuisse, vt ei, si quem istiusmodi Iudicem nactus esset, oculum eruere. Turinum asseclam suum, qui fauorem Principis vendiderat, fumo quem è stipula lignisque humidis fieri iusserat, necauit, clamante præcone: *Fumo punitur, qui fumum vendidit*. Prætoribus in Prouinciis proficiscentibus, prisco more repetito, necessarium instrumentum præbebat ex publico, ne populis oneri, ac sumptui forent. Magistratus nullos venales esse voluit, dictitans fieri non posse, quin vendat, qui emerit; nec posse à Principe animaduerti in eum, qui vendat, quod emerit. Nec domi fuit, quàm militiæ clarior. Insignem de Persis victoriam retulit, ac versis in Germaniam armis, per seditionem Gallicarum legionum, disciplinam aspernantium, necatur anno post initum principatum XIII. Cæsa est cum filio Mammæa mater, celebris mulier, & ab Origene de Christianis rebus educta.

Haud tamen Christianæ res, Alexandro imperante vsquequaque lætæ. Christianorum non pauci pro religione interempti, inter quos insigne Ro-

manorum Pontificum par, Callistus, & Vrbanus: ille confirmatione ieiunij, quod quater in anno Apostolorum traditione celebratur: hic decreto de bonis ecclesiasticis in pios vsus conferendis, memorabilis. Eadem tempestate Iulius Africanus Historicus, & Censorinus viguêre.

MAXIMINVS.

A Christo nato anno CCXXXVII.

MAXIMINVS genere Thrax, vasta corporis mole, ac prævalido robore insignis, obtruncato Alexandro, primus sine Senatus auctoritate inuasit imperium, quod scelere quæsitum, sæuitia tueri statuit; perinde quasi vis, molésque inusitata corporis (vt credebat) eum faceret immortalem. Ne ignobilitas maiestati officeret, generis sui conscios, ac nobilitatem delere instituit. Tandem promiscuè in omnes, maximè in Christianos sæuire cœpit. Itaque à Senatu hostis Reip. iudicatus aduersus eum Maximus Pupienus, Clodiúsque Balbinus Augusti, Gordianus Cæsar creat. Ipse ad Aquileiam à suis interemptus, nondum triennio tyrannidis suæ exacto. Eius caput per Italiam circumlatum, & Romæ pilo infixum, spectaculo, documentóque fuit, quid timendum sit principi, qui ob crudelitatem timeri velit. Subinde Pupieno, & Balbino, per consternationem militum occisis, ad Gordianum summa rerum peruenit.

Maximino imperante, tum multi Christianorum iugulati greges, tum præcipuè Pontianus Pontifex, primùm deportatus in Sardiniam, mox pro religione occubuit. Anterus item Pontifex, qui res

Martyrum

Martyrum impensiùs conscribi iusserat, martyrio affectus.

GORDIANVS.

A Christo nato, anno CCXLI.

GORDIANVS patre, & auo Imperatoribus clarus, nondum maturus imperio, imperare cœpit, egregia puer indole, & omnibus corporis, animíque dotibus præditus. Cæterùm inter primùm imperij rudimentum ab assentatoribus deceptus, multa in magistratibus, muneribúsque mandandis fecit quæ deinde facta nollet, Misitheus socer non tam genere quàm virtute inclytus ei saluti fuit. Ab hoc igitur de omnibus rebus edoctus exclamauit, *Miserum esse Principem, apud quem vera sileantur.* Inde quandiù socer vixit, eius consilio innixus præclarè stetit. Gothos, Sarmatas, Germanósque Thraciam incursantes acie deleuit. Deuictis Persis, Antiochiam, Carrás, Nisibim recepit. Socero subinde vita functo, ipse à Philippo, quem in soceri locum substituerat, extinguitur anno imperij V.

PHILIPPI, PATER ET FILIVS.

A Christo nato anno CCXLVI.

PHILIPPI pater, & filius genere Arabes, Gordiano interfecto, imperioque occupato, millesimum ab Vrbe condita annum, ingenti ludorum apparatu celebrarunt. Multi auctores sunt, hos primos Romanorum Imperatorũ Christianis initiatos sacris.

ſacris. Cæterùm Philippi V I. fermè anno Decij dolo necat, principatum ſcelere partum, pari ſcelere amiſerunt.

DECIVS.

A Chriſto nato anno CCLIII.

DECIVS ex inferiore Pannonia Auguſtus ab exercitu appellatus, Chriſtianum cruorem ſitiens, quem in Philippis guſtauerat, ingentem piorum edidit ſtragem. Ergo altero principatus anno, clade à Gothis accepta, fugientem obuia palus hauſit. Eodem tempore Porphyrius Plotini diſcipulus, & Herodianus Hiſtoricus extitêre.

GALLVS ET VOLVSIANVS.

A Chriſto nato anno CCLIV.

GALLVS, & VOLVSIANVS eius filius in Mœſiam ad Æmilianum res nouas molientem profecti, vix circumacto biennio, à militibus, à quibus imperium acceperunt, exitium habuerunt.

ÆMILIANVS.

ÆMILIANVS genere Maurus (ne qua barbaries Rom. Imperij expers foret) intra menſem tertium cum principatu vitam amiſit. Tanti ei breuis imperij vſura ſtetit.

VALERIA-

VALERIANVS, ET GALLIENVS.

A Christo nato anno CCLVI.

VALERIANVS, Augustus ab Senatu appellatus, cum GALLIENO filio, imperium gessit insigni Christianorum clade, quæ tum aliis plurimis peperit martyrij decus, tum maximè Cypriano Episcopo Carthaginensi, & Xysto II. Pontifici, qui Laurentium etiam Diaconum ad idem mortis genus accendit exemplo suo. Itaque pater VII. anno sensit vltorem Deum. Bello Persico à Sapore Persarum Rege victus, captúsque cum ingenti filij probro, apud hostes miserabili seruitute consenuit. Quippe Rex barbarus nimia fortuna vecors, equum conscensurus Valeriani Augusti dorso vtebatur pro scabello. Adeò nulla maiestas est ab vltimo etiam ludibrio tuta.

GALLIENVS porrò paterno doctus exemplo, pacem, otiúmque Christianis reddidit. Patris tamen non priùs memor fuit, quàm fama mortuum tulit. Illum tùm demum in Deos retulit, quem infra homines esse sustinuerat. Cæterùm in luxuriam effusus, Ducibus cupidis rerum nouarum, barbarisque nationibus audaciam fecit. Et vis vndique coorta Romanum concussit imperium. Illyricum, Ægyptum Africam Tyranni occupant. Germani in Hispaniam, Alemanni exhaustis Galliis, in Italiam irrumpunt. Dacia, quam Traianus vltra Danubium adiecerat, in perpetuum amissa. Græcia, Macedonia, Pontus à Gothis: Pannonia à Sarmatis, Quadisque populata. Mesopotamia à Parthis

subacta.

subacta, Syria tentata. Sedente Imperatore, priuati homines imperatoria munera obierunt. Posthumius in Gallis purpura sumpta, afflictas prouincias recreauit. Odenatus, defensa Syria. Mesopotamia recepta, tutatus est Orientem. Captos propterea Persarum Satrapas Gallieno Augusto exprobrandæ ignauiæ gratia misit. At desidem illum de captiuis alienis triumphare non puduit. Tandem fama Tyrannorum, qui variis locis xxx. exorti erant, Gallienum luxu sopitum excitauit. Igitur Aureolum tyrannũ bello persequẽs eiusdem dolo ad Mediolaum interficitur, imperauit omninò annis XV.

CLAVDIVS II.

A Christo nato anno CCLXXI.

CLAVDIVS II. ab Senatu appellatus Augustus, virtute ac rebus gestis tantum nomen impleuit, in Senatu Barbaros priùs, quàm Tyrannos opprimendos censuit: illos enim Reip. hostes esse, hos Principis. Itaque Gothos Illyricum, Macedoniámque vastantes ingenti clade prostrauit. Cæsa dicuntur pluribus prælii Gothorũ millia cccxx. duo millia nauium mersa. Perdomitis Barbaris, Aureolum aliósque Tyrannos pari virtute ac felicitate sustulit. Cæterùm intra alterum principatus annum morbo decessit.

AVRELIANVS.

A Christo nato anno CCLXXIII.

AVRELIANVS è Dacia, siue Mæsia oriundus, deuictis acie Gothis, apud Placentiam, apud

Fanum,

Fanum, apud Ticinum, ter tribus præliis seruauit Italiam. Barbaris domitis, in Tyrannos arma vertit. Tetricum in Gallia ad deditionem compulit. Zenoboliam virilis animi fœminam, quæ Odenato viro suo interfecto, Orientem occuparat, victam duxit in triumpho. Vrbem, campo Martio incluso, laxioribus, validioribúsque mœnibus sepsit. Cæterùm belli decora & insignia nimius pacis luxus, & crudelitas deformarunt Igitur Christianorum cæde imbutus, V. principatus anno, serui sui fraude occiditur ab amicis. Eodem tempore Gregorius Thaumaturgus, & Dionysius Alexandrinus Episcopus clari fuerunt.

TACITVS.

A Christo nato anno CCLXXVIIII.

TACITVS Imperator ab Senatu apellatus nulla re magis quàm moderatione memorandus fuit. Togis & tunicis iisdem Augustus vtebatur, quibus priuatus Gemmas, aurum, & clauatas vestes interdixit vxori. Filios, fratrémque in societatem imperij assumere noluit, ratus ingentem esse gloriam Principis Remp. magis amare, quàm suos. Obiit exacto sexto imperij mense.

FLORIANVS.

FLORIANVS, germanus Taciti frater, nullo Senatus arbitrio, sed hæreditario quasi iure sibi debitum inuasit imperium. Ei Probi metus, voluntaria morte, imperium fraterno breuius fecit.

PROBVS

PROBVS.

A Christo nato anno CCLXXIX.

PRobvs belli, pacísque artibus longé clarissimus, adeò probatus est omnibus, vt ex humili genere (Dalmatico quippè sanguine., & agresti patre genitus) ad imperij Rom. fastigium ascenderit. Delatum ab exercitu principatum inuitus, accepit, ac subinde clamitans. *Nec mihi, nec vobis expedit, milites: ego enim vobis blandiri non queo.* Gallias à Germanis Illyricum à Sarmatis recepit. Thraciam à Gothis, quà domitis quà in fidē acceptis; Asiam, Persarum Rege ad pacem petendam compulo pacauit. Itaque non dubitauit affirmare, breui opus non fore militibus, pacato Orbe terrarum. Cæterùm debellatis hostibus, ipse à militibus disciplinam in pace non ferentibus interficitur, anno circiter VI. documentum quàm difficile sit Duci probi nomen, & vitam tueri.

CARVS.
NVMERIANVS.
CARINVS.

A Christo nato anno CCLXXXV.

CArvs Romæ natus ex parētibus Illyricis, charus Imperator fuit, commendatior ad posteros futurus; nisi Carinum filium imperij socium adsciuisset: etenim dum cœptam à Probo in Persas

expeditio-

expeditionem prosequitur, Carinus in Occidente imperat. Carus igitur bello Persico fusis hostibus, Seleuciam, Mesopotamiámque vniuersam recepit: sed castris ad Tigrim positis ictus fulmine deflagrauit anno imperij II. Caro in Oriente extincto, capessunt imperium Cæsares filij duo, Carinus & Numerianus.

NVMERIANVS bonæ indolis adolescens in Oriente, vbi cum patre in expeditione agebat, imperium init. Sed paterni obitus mœrore ægrotans paulò pòst Apri soceri regnare cupientis occiditur dolo. Re comperta, ab exercitu Diocletianus Imperator appellatur.

CARINVS interim imperium in Occidente, viuo patre inchoatum, persequitur, sæuitia, & libidine insignis. Illyricum, Galliam, Italiam suis flagitiis, ac sceleribus polluit, vt Carus eius pater filij probra audiens exclamaret: *Non est meus*. Ergo Carinus Tribuni sui manu, cuius coniugem contrectarat, interfectus, meritam pœnam habuit anno principatus III.

DIOCLETIANVS.

MAXIMIANVS.

A Christo nato anno CCLXXXVII.

DIOCLETIANVS Dalmata, Imperator appellatus ab exercitu, superbia & sæuitia nobilis fuit. Quippe à rebus secundis tumens vestes, calceósque auro, gemmis, margaritis adornauit. Inde supra humanum fastigium elatus diuinos sibi honores haberi iubet. Christianis toto terrarum orbe internecinum bellum incidit. Non alia grauior procella

procella in Christianū nomen incubuit, vt appareat vltimos inferni Tyranni esse conatus. Ea tempestate Caius Rom. Pontifex, decreto de septem Ordinibus, quibus veluti gradibus ad Episcopatum ascenditur, nobilis: Marcellinus item Pontifex, religionis, quam per metum deseruerat, acerrimus assertor, pro Christo interempti. Eadem tempestate Marcus, & Marcellianus fratres Rom. nobiles, Cosmas, Damianus germani quoque fratres, Antimus Nicomediæ Episcopus, Euthymius, Vincentius, Sebastianus, Agnes, Lucia, aliique innumerabiles martyrij palmam adepti. Eadem temporis procella Christianorum militum, Thebæorum legio cædem pro Christo perpessa: ac tantus tandem fuit Martyrum numerus, vt vna natali Christi nocte permulta Christianorum millia fuerint vno in templo concremata. Cæterùm Diocletianus hoc vno moderatus est habitus, quòd multis subinde prouinciis rebellantibus, Maximianum Herculeum collegam imperij, Constantium Chlorum, & Galerium Maximianum, Cæsares fecit.

Maximianvs igitur Herculeus Occidenti præpositus, motibus Galliæ sedatis, Africam quoque pacauit. Et Galerius aduersùs Persas, Constantius aduersùs Alemannos rem benè gesserunt. Ipse autem Diocletianus Archelao tyranno debellato, Alexandriam recepit. Romam inde regressus de Persis cum Maximo Herculeo collega triumphauit. In triumpho Narses Persarum Rex ductus cum coniugibus, liberisque. Memorabilis deinde res traditur. Diocletianus XX. principatus anno, siue curarum tædio, seu potiùs rei Christianæ successu, pariter cum collega imperium deposuit. Sed non æquè vterque tenax propositi fuit. Maximianus, mutato consilio, haud ita multò pòst principatum

cipatum repetens, Constantini Augusti iussu, cui insidiabatur, Massiliæ occiditur. At Diocletianus Salonis in vrbe Dalmatiæ hortorum culturæ addictus hæsit. Et quamuis à Maximiano Herculeo ad recuperandum imperium sollicitaretur: numquam à quieta illa vita abduci potuit, rus imperio præferendum ratus. Cæterùm, cúm argueretur fauisse Maxentio Maximiani Herculij filio: X. rusticationis anno, minacibus Constantini Augusti litteris territus, veneno hausto, subduxit se iræ mortalium, immortales apud inferos pœnas superis daturus.

Eadem ætas non Martyrum tantùm, sed Historicorum quoque fœcunda fuit. Iulius Capitolinus, Ælius Lampridius, Flauius Vopiscus, Pollio Trebellius Romæ floruerunt.

FLAVIVS CONSTANTIVS. CHLORVS. GALERIVS MAXIMIANVS

FLAVIVS CONTANTIVS inter hæc Occidentis, GALERIVS. MAXIMIANVS Orientis imperium tenuêre: dispari ingenio, euentúque. Galerius quippe homo sæuus ac truculentus toto Oriente, maximè verò Alexandriæ in Christianos est debacchatus. Itaque fœdo, atrocique morbo consumptus, genitalibus putrescentibus moritur, diuinam expertus iram.

Exinde Licinius, & Maximinus Galerij Maximiani ex sorore nepos, ab eodem, antequàm moreretur, Galerio creati Cæsares, in Oriente imperitarunt. Inter quos haud diuturna pax. Maximinus

nus crudelitate in Christianos auunculo similis, prælio à Licinio victus, eodem, quo auunculus, morbo periit sub initia imperij Constantini. Sunt qui velint, ab hoc Catharinam virginem Alexandrinam, ob Christi cultum interemptam: quod propius vero videtur, quàm quod fama tenet à Maxentio interfectam. Satis siquidem constat, Maxẽtium Romæ tantùm tyrannidem exercuisse, Maximinum in Oriente, ac præcipuè Alexandriæ.

Constantius porrò Augustus ab eximia benignitate immortalibus iuxtà & mortalibus charus, atque acceptus fuit: quippe haud dubius Christianæ Religionis fautor ac pius adeò, vt numerari posset Christianus. Itaque perpetua floruit pace. Ad vltimum X V I. imperii anno Eboraci in Britannia decessit, & moderationis fama, & aulæ disciplina, & scilicet, Constantino filio clarus.

Per idem tempus Maxentius velut crudelitate cum Maximino certaret, Romanos tyrannica vexauit rabie: compluresque Christianorum suppliciis mactauit: Marcellum præcipuè Pontificem stabulo addictum, ærumnis, ac tetro odore confecit.

LIBER V.

FLAVIVS CONSTANTINVS MAGNVS. LICINIVS.

A Christo nato anno CCCIX.

FL. CONSTANTINVS MAGNVS, XXXIV Romanorum Imperator, superiores omnes virtute pariter & gloria vicit. Is cæteris fratribus

fratribus alia matre genitis, Constantij patris testamento prælatus, in Italiam cum exercitu venit. Romam Imperij caput à Maxentio Tyranno occupatam diuinitùs liberauit: nam cælestis crucis ostento erectus, & eius effigiem pro signo præferens, ad pontem Miluium prosperè cum hoste conflixit. Maxentióque in transitu è naui Tiberim prolapso, & gurgitibus hausto, triumphans vrbem tyrannide ereptam init. Cuius triumphi monumentum apud amphitheatrum arcus triumphalis extat. Eius quoque statua crucem manu prætendens, in foro posita, victoriæ crucis beneficio partæ argumentum. Inde SS. Petri & Pauli Apostolorum admonitu, à Syluestro Pontifice baptizatus, abstersa lepra, Christianam religionem non minùs impensè fouit, quàm superstitionem Ethnicorum afflixit. Itaque dubium reliquit, plurane templa, aráſque Deorum euerterit, an Christo, sanctiſque Martyribus excitarit.

LICINIVS interim à Galerio Maximiano Cæsar creatus, Orientis obtinebat imperium, homo ingenio asper, & infestus litteris, quas propter summam inscitiam, pestem publicam nominabat. Igitur, etsi Constantino affinitate iunctus (Constantiam quippe eius sororem duxerat) Christianos hostilem in modum vexare cœpit. Sed, Constantino affinitate potior religio fuit: nam Licinio frustrà monito, vt ab impio concilio desisteret, pium bellum intulit; debellato vitam cũ imperio ademit. Ita vsquequaque pax Ecclesiæ, & otium exortum.

CONSTANTINVS porrò rerum potitus Gothos, Thraciam populantes perdomuit, egregiáſque victorias, crucis, quàm in vexillo præferebat, beneficio de barbaris reportauit. Pace parta etiam ab Indis legatos cum muneribus accepit.

Nec

Nec maior illi Romanæ rei, quàm Christianæ pacandæ cura fuit. Discordes inter se Episcopos reconciliare studuit, Nicæno Concilio, amplius CCC. Episcoporum, cui ipse interfuit, coacto. Quo Concilio Arriana hæresis, diuinitatem Christo adimens, damnata est. Præcipua inibi Constantini moderatio, ac pietas enituit. Tanto quippe honore Episcopos coluit, vt postremus sederet Augustus. Criminosos dissidentium Episcoporum libellos in ignem coniecit dictitans: *Ego verè Episcopum delinquentem si viderem; vel hac purpura operirem.* Spiridioni Episcopo Trimiruntis in Cypro effossum ob Christi confessionem oculum exosculatus est, beatos prædicans talia pro Christo perpessos. Ex-in Pontificis Rom. verecundia, sedem Imperij aliò transferendam ratus, Byzantij in Thracia nouam Romam, transcripta magna Romanæ nobilitatis parte, condidit; eámque Constantinopolim suo nomine appellauit. Cæterùm crudelitas, alienissimum à grauitate Principis vitium, magnam eius nomini imposuit labem: namque Crispum Cæsarem filium suum, falso Faustæ nouercæ crimine circumuentum, supplicio affecit: quamquam Augustæ libidine, ac fraude deinde perspecta, iustas ex ea expetiit pœnas. Verisimile autem est, quod nonnulli tradunt, Crispi cædem Canstantini baptismo priorem fuisse. Ad vltimum XXXI. imperij anno decessit, optimus vtique Princeps, nisi eius gloriam extrema tempora deformassent.

Huius principatus & doctis, & sanctis viris insignis fuit. Per ea tempora Arnobius, Lactantius Firmianus, Crispi Cæsaris magister, Donatus Grammaticus, & Victorinus Rhetor, præceptores Hieronymi viguère. Eusebius item Cæsariensis, Iuuencus Poëta, S. Nicolaus Miræ Episcopus, S. Paulus

Eremita,

Eremita, & S. Antonius Magnus, cuius precibus Constantinus se, ac liberos impensè per litteras commendauit.

CONSTANTINVS, CONSTANTIVS, CONSTANS.

A Christo nato anno CCCXL.

CONSTANTINVS, CONSTANTIVS, & CONSTANS, Magno Constantino geniti diuisum à patre acceperunt imperium. Sed latiùs imperandi cupido fratres in mutuam perniciem armauit.

CONSTANTIVS natu maximus Constanti fratri impium bellum intulit. Igitur ad Aquileiam à fratris ducibus per insidias necatur, nondum expleto triennio.

CONSTANS victor Transalpinis inde gentibus domitis, Magnentij Comitis dolo extinguitur, cùm imperasset annos XIII. Ita Rom. Imperium ad vnum reuoluitur.

CONSTANTIVS ergo, Magnentio debellato, vt solus ac securus imperaret, Gallum Cæsarem patruelem interemit: Cuius parricidij furiis agitatus, eò dementiæ venit vt fieret Arrianus. Itaque ab eo Athanasius Alexandrinus Episcopus, idémque Arrij exagitator in exilium eiectus, vir vtique virtute, fidéque longè clarissimus, quo penè vno ea tempestate res Catholica stetit. Liberius quoque Rom. Pontifex Arrianæ hæresis oppugnator, & Athanasij fautor, Vrbe pulsus. Arriana pestis

pestis toto penè terrarum Orbe propagata. Nec impunè. Quippe & à Persis magnas Constantius accepit clades, & Iulianus Cæsar Galli frater germanus ad Alemannos comprimendos ab ipso missus in Galliam, re benè gesta, Augustus ab exercitu est appellatus. Quæ fama Constantium adeò perculit, vt versis ad bellum ciuile armis, extingueretur in via, anno postquàm imperare occœperat XXIV.

Hoc imperante Liberius Pontifex B. Mariæ templum, æstiuæ niuis miraculo inclytum in colle Exquilino condidit. Macedonius Hæresiarcha diuinitatem Spiritui Sancto adimens extitit. Hilarius Pictauorum Antistes Arrianis cum Athanasio sese obiecit.

IVLIANVS.

A Christo nato anno CCCLXIV.

IVLIANVS imperio potitus Christianam religionem deseruit, ex quo Apostatæ ei cognomen fuit. Is Deorũ cultũ restituens non crudeliùs, quã callidius Christianum nomen afflixit. Christianorũ animos illecebris magis, quàm cruciatibus tẽtabat: hoc perniciosior hostis, quò lenior. Si quos ob religionem morte mulctabat, alias supplicij causas præferebat. Studia bonarum artium, Ethnicis libris, Christianisque magistris ademptis, adimere conabatur Christianæ iuuentuti. Quæ res Gregorium Nazianzenum impulit ad condenda carmina, ne tenera ætas Poëticæ facultatis expers foret. Sed non diu occultum rei Christianæ vexatorem Deus tulit qui apertos tulerat. Altero anno cùm bellum Persis intulisset,

intulisset, ducis fraude perductus in insidias cecidit, non sine magna suorum strage. Sunt qui sagitta de cælo missa transfixum exclamasse ferant: VICISTI, GALILÆE: sic enim Christum per ludibrium appellabat. Ita impius impiè occubuit.

IOVIANVS.

A Christo nato anno CCCLXVI.

IOVIANVS, seu IOVINIANVS ab exercitu creatus Augustus imperium suscipere noluit priùs, quàm duces militésque omnes Christianos se fore professi sunt. Pacem cum Sapore Persarum Rege turpibus quidem, sed necessariis conditionibus fecit. Magna Mesopotamiæ pars hosti concessa: legionésque Rom. sub iugum missæ. Inde Constantinopolim petens, seu cruditate, seu recenti tectorio, grauíque prunarum vapore exanimatur, mense VII. Imperator adepto imperio clarior, quàm gesto.

VALENTINIANVS.

VALENS.

A Christo nato anno CCC LXVII.

VALENTINIANVS ab Iuliano ob religionem Tribunatu motus Iouiano successit. Deo probrum in decus vertere. Is Valentem fratrem in imperij societatem adscitum Orienti præposuit: Gratianum filium egregia indole puerum creauit Cæsarem. Princeps fuit non pace solùm, sed etiam

E bello

bello clarus. Præcipua eius laus amor iustitiæ. In magistratus iniuriæ conuictos grauiter animaduertebat, primam Principi iustitiæ curam esse oportere dictitans. Procopium Tyrannum oppressit: Saxones Romanis finibus imminentes arcuit, Firmum Africæ Tyrannum debellauit. Cæterùm in Panno-niam ad Sarmatarum arma coërcenda profectus, subita sanguinis profusione exanimatur. Annos imperauit XI. Princeps vel factis egregiis, vel Gratiano filio memorandus.

VALENS interim haud pari laude in Oriente imperauit. Hic ab Eudoxio Arriano Episcopo baptizatus, Arrianáque contactus peste, Catholicum nomen in Oriente vexauit fœdum in modum. Basilio Magno infensus Monachos à piis meditationibus addictos militaribus addixit ministeriis. Itaque etsi seras, non leues tamen numini pœnas dedit, Gothos sedibus suis ab Hunnis pulsos exceperat, quos Baptismo expiatos, Arrianis Episcopis, & Sacerdotibus datis, Arriana infecerat peste. Hos ipsos expertus est cælestis iræ ministros. Nam subinde Maximi Præfecti, sub quo merebant, iniuriis vexati arma capiunt fusisque imperatoriis copiis, Thraciam ferro, flammáque populantur. Ibi Valens serâ subeunte animum pœnitentiâ, Episcopos, cæterósque Catholicos ab exilio reuocat. Inde cum barbaris acie decernit. Cæterùm amisso exercitu, sagitta saucius in desertam cùm refugisset casam, à barbaris deprehensus, subiecto igni, cum tugurio viuus exuritur, insigne memoris diuinæ iræ in impium Principem documentum. Imperium tenuit annos XIV. Qua tempestate Themistius viguit, Philosophus Valenti charus, Ausonius Gallus Gratiani Cæsaris, & Paulini, qui postea Nolanus Episcopus fuit, magister: itémque Eutropius,

Vege

Vegetius, Iamblicus Procli doctor, Libanius sophista, Ammianus Marcellinus Historicus, & Martinus Turonensis Antistes, vir sanctitate insignis ex Hilarij disciplina.

GRATIANVS.

VALENTINIANVS II.

GRATIANVS intereà, Valentiniano patre mortuo, Occidentis adeptus imperium consortem asciuit Valentinianum fratrem. In bonis vtique Principibus numerandus, parcus cibi, somnique, ac libidinis victor, domique ac militiæ clarus. Apud Argentarium Galliæ oppidum Christo fretus XXX. Alemannorum millia deleuit. Valente patruo Arriano auxilium adversùs barbaros petenti negauit, paternæ videlicet pietatis æmulus, rectè cum Dei hoste belli societatem iniri. Post Valentis cladem, rerum potitus maiorem curarum subiit molem. Itaque Theodosium genere Hispanum eximium belli Ducem, per quem Thraciam, Hunnis, Alanis, Gothis domitis, pacauerat, cooptat Orientis Augustum mira omnino opportunitate. Haud ita multò pòst Maximum Britanniæ & Galliæ Tyrannum bello petens, Andragasij Ducis dolo interficitur, anno post Valentis casum VI. Cædis auctor haud dubius Maximus fuit. Igitur Ambrosius Mediolanensis Episcopus, depulsæ ex Italia Arrianæ pestis titulo inclitus, ei sacris interdixit.

Non facilè alia ætas viris doctrina pariter ac sanctitate claris illustrior notatur. Præter Basilium

Magnum, Gregorium Nazianzenum, & Ambrosium, Gregorius Nyssenus, Cæsarius Nazianzeni frater, Cyrillus Antistes Hierosolymitanus, Didymus cæcus oculatissimus; Ephremus Eremita, Damasus Pontifex, Hieronymus, Augustinus, Orosius, Seuerus Sulpitius Martini Turonensis discipulus, Cassianus, & alij enituêre.

THEODOSIVS, VALENTINIANVS IDEM II.

A Christo nato anno CCCLXXXII.

THEODOSIVS Imperator non tã virtute bellica, quàm pietate clarior Valentinianum II. Augustum Gratiani fratrem Maximo Tyranno eiectum excepit, Maximóque diuina magis, quàm humana ope, debellato, restituit in Occidentis imperium. Inde de insigni Thessalonicensium (magistratus quippe aliquot iniuriosè tractatos saxis obruerant) insolentia commonefactus, adeò exarsit ira, vt ciues pene omnes in theatrum coactos contrucidaret immissis legionibus. Sed mox Mediolani, ob cædem Thessalonicæ factam, ab Ambrosio Episcopo templi aditu prohibitus paruit, & publicam pœnam ab illo impositam ritè persoluit, admirabilior pœnitentiæ commendatione post lapsum, quàm anteà innocentiæ. Nec tamen ab Ambrosio in sacram ædem admissus est prius, quàm lege cauit ne capitales sententiæ ante trigesimum diem ratæ haberentur, nimirum, vt iracundo Principi

Principi facultas foret eas reuocandi, spatio iræ dato. Quæ deinde lex Antiochiæ saluti fuit: eam etenim vrbem Theodosius ob raptatam Placillæ Augustæ in ciuium seditione statuam, cæsis seditiosis omnibus, euerti quidem iusserat; sed intra trigesimum diem placatus Macedonij sancti Eremitæ voce monentis, ne propter mulieris imaginem tot homines imagines Dei perderet, ciuibus, pariter, & vrbi pepercit.

Inter hæc VALENTINIANVS Augustus Arbogastis Comitis fraude strangulatus, atque vt voluntaria mors videretur, laqueo suspensus. Itaque Theodosius Eugenium, & Arbogastem Tyrannos, cælo ac tempestate fauente, victor oppressit. Inde Arcadium, & Honorium filios, Cæsares creavit, quos adhuc pueros Arsenio præceptori commendans, eos non vt Cæsares, sed vt discipulos tractari; & si quid deliquissent, etiam verberibus excipi iussit. Itaque, cùm fortè scholam aliquando ingressus, præceptorem stantem, filios in sellis considentes conspexisset, rei indignitate motus, Arsenium sedentem docere, Cæsares stantes audire voluit: tantùm magistro auctoritatis tribuebat. Cæterùm Arsenius subinde Aulæ prætulit solitudinem. Theodosius porrò Arcadio, & Honorio, hæredibus imperij relictis, moritur nulli Imperatorum secundus; si tam potens iræ fuisset, quàm pius, ac felix fuit. Principatum tenuit annos XVII. hoc est, cum Gratiano, & Valentiniano annos IV. cum Valentiniano tantùm annos X. solus annos ferè tres.

ARCADIVS.
HONORIVS.
A Christo nato anno CCCXCIV.

ARCADIVS, & HONORIVS adhuc pueri ita à Theodosio patre acceperunt imperium, vt Arcadius in Oriente; in Occidente Honorius imperaret. Cæterùm vtriusque pueritia opportuna tutorum perfidiæ fuit, non sine graui discrimine imperij. Gildo Arcadij tutor Africam, regníque fastigium occupare conatus est. Sed per Macelzerem Ducem, eundémque fratrem suum, parua manu oppressus debitas perfidiæ pœnas luit, Deo pro pupillo fratrem in fratrem amante. Subinde Stilico tutor idem, ac socer Honorij per tutelæ speciem, principatum affectare cœpit: etenim Rhadagasium Gothorum Regem cum CC. millibus. Fesulanis angustiis in Hetruria conclusum, ac fame domitum sine ferro nuper cum oppressisset, opibus, ac factis ingens, turbarum omnium semina iecit in Occidente. Itaque Vandalos, vnde ipse erat, Suenos, Alanos, Burgundiones, omnémque barbariem exciuit in Gallias, ea quidem mente, vt turbatâ re Romanâ, ex turbis Eucherio filio imperium quæreret. Ad hæc, Alaricum Gothorum Regem concessas ab Honorio in Gallia sedes petentem irritauit, vt aliquid hinc quoque turbarum oriretur.

Inter hæc Arcadius Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanum Antistitem, Eudoxię vxoris instinctu, cum eiecisset in exilium; breui ipse cum Augusta cessit è vita, anno principatus sui XIII. Moriens Theodosio filio imperium per manus tradit.

tradit. Sed cùm probè nosset, Honorium fratrem sibi perinfensum esse, timens ne quid insidiarum post suum obitum Theodosio puero (erat siquidem annorum octo) esset moliturus: Isdegerdi Persarum Regi, quocum fœdus pridem inierat, eius tutelam permisit: ita felici magis, quàm prudenti consilio, quem pupillo Imperatori hostem metuebat, tutorem, fautorémque fecit.

HONORIVS.
THEODOSIVS II.

A Christo nato anno CCCCVIII.

THEODOSIVS inde iunior cum Honorio patruo imperauit etiamnum puer. Sed puero imperiũ non tam Regis Persarum, quàm Pulcheriæ sororis memorabili tutela stetit. Quippe Pulcheria, virgo sanctissima, diuinitus edocta tenerum Imperatorem ad omnia imperatoria munera instituit; & tantisper, dum ille adolesceret, Orientem cum laude rexit. Hæc inter, Stiliconis Eucherio filio ambientis imperium, detecta fraus, & ipse cum filio, iussu Honorij, interfectus. Nec tamen periculum omninò discussum. Alaricus vel recenti Stiliconis iniuria, vel cæsi ab eodem Rhadagasij Regis memoria commotus, Romam ex improuiso adortus capit, diripítque. Valuêre tamen apud barbarum, & Arrianum Regem humanitas, & religio. Ciuibus temperatum, in tecta sæuitum est, templis, & sacris vasis intactis. Capta Vrbs à Gothis anno post Christum natum CCCCX. qui mox Romana veluti non contenti præda, Campaniam, Lucaniam, Brutios populati, Alaricum Regem ad Consen-

tiam amisêre, cui sublectus Athaulphus, Romam cùm remigrasset, corradit quod prior clades reliquum fecerat: Placidiam Honorij sororem in Hispanias abducit, quæ hosti nuptiis iuncta, efferatum barbari Regis ingenium adeò mitigauit, vt rem Romanam, quam delere moliebatur, fulcire niteretur, fautor ex hoste factus. Itaque de pace agitans cum Romanis, apud Barcinonem à suis interficitur. Sigericus inde Rex creatus, cuius quia idem animus, idem etiam exitus fuit. Huic subrogatus Vallia Rex, & sibi, & Romanis felicior. Is pace cum Honorio facta, Placidiam ei sororem reddidit, quæ Constantio clarissimo Duci exinde nupsit. Pax ita Gothis data, vt Aquitaniam omnem, & certas quasdam prouinciæ Narbonensis vrbes obtinerent. Hi quòd in occasum Solis vergerent, Visigothi ipsorum lingua appellati. Nam Ostrogothi dicti, qui deinde Italiam tenuere, quòd spectarent solem orientem. Porrò Vandali, Sueui, Alaníque Gallias depopulati, Visigothorum metu, transierunt in Hispaniam. Hos subinde Vallia Rex bello persecutus magnis affecit cladibus. Soli Burgundiones ex barbaris, quos Stilico exciuerat, Christianam religionem per id tempus amplexi, in Gallia ad Rhenum consederunt: mox versùs occidentem Solem progressi, regioni Burgundiæ nomen fecerunt. Placidia interim viro orbata, & ab Honorio fratre pulsa, cum Valentiniano filio Constantinopolim ad Theodosium confugit. Nec ita multò post Honorius, nulla relicta stirpe, Romæ decessit anno imperij sui XXVIII. Eius corpus porphyretico Mausoleo illatum, quod in Basilicæ S. Petri atrio visitur. Imperauit cum Arcadio fratre annos XIII. cum Theodosio Iuniore, fratris filio, annos XV. Biennio antequam decederet, sæuitum in Perside in Christia

Christianum nomen, siue ab Isdergerde Rege Persarum, siue ab eius filio Bararane.

Eius principatus illustribus Poëtis floruit, Claudiano, Prudentio, Sedulio, & Paulino, qui etiam Nolanus Episcopus sanctimonia insigni, & mirus charitate aduersùs captiuos extitit.

THEODOSIVS II. VALENTINIANVS III.

A Christo nato anno CCCCXXIII.

VALENTINIANVS III. Theodosij II. consobrinus, adhuc puer, Occidentis Augustus à Theodosio cooptatuss principatum gessit multiplici clade, ac demum occasu imperij infamem. Meroueus quippe, Rex Francorum, Rheno traiecto, Galliæ partem occupauit. Attila Hunnorum Rex cum CCC. armatorum millibus, inuasit Gallias. Cæterùm Aëtius Patricij titulo insignis, singulari consilio, ac virtute barbari Regis impetum repressit, auertítque. Subinde Bonifacius Dux bellicis laudibus clarus, à Castino Cæsaris Duce grauiter læsus, & in suspicionem defectionis apud Valentinianum adductus, ab eo defecit, Africáque occupatâ, aduersùs Valentiniani classem externa auxilia parans Vandalos, Alanósque euocauit ex Hispania, Barbari auxilio acciti exitio fuêre. Quippe Africam populationibus vexatam, Arriana insuper labe polluerunt. Ita Africa Vandalorum ditionis facta. Ea tempestate Augustinus Hippone à Vandalis obsessus excessit è vita.

Haud meliore euentu Britannia militibus, ac Ducibus à Valentiniano exhausta, barbarorum

auxilia exciuit. Angli gens Saxonum à Britannis aduersùs Scotos, Pictósque è Scythia oriundos acciti, fracta horum audacia, ipsi affluentibus subinde nouis è Saxonia copiis Britanniam subegerunt. Itaque Britannorum plerique iniuriis Anglorum coacti, vexatíque in eam Galliæ partem, quæ peninsulæ modo in Oceanum excurrit, commigrarunt, cui deinde Britanniæ nomen inditum. Exin Anglia fuit, quæ olim Britannia fuerat, nisi quòd insulæ partem Scoti obtinuerunt, à quibus Scotia est appellata. Cæterum subinde & Africæ, & Britanniæ damna, Scotiæ, & Hyberniæ ad Christi fidem accessio sarcit. Itaque à Cælestino Rom. Pontifice Palladius Episcopus ad Scotos, Patritius ad Hibernos destinati. Africa quoque fœdere inter Valentinianum, & Gensericum diuisa. Sed tamen Catholica religio ab Arriano Rege Genserico vexata est. Eadem tempestate cùm promissa mortuorum anastasis in dubium venisset, mira opportunitate huic malo obuiam itum est. Septem Martyres Ephesi in spelunca à Decio Imperatore olim obstructa, ac tum fortè patefacta, reperti continuato per CC. propè annos somno excitati, reuocandorum ad vitam mortuorum adfirmarunt fidem. Theodosius porrò Bononiensi Academia instituta, XLIII. quàm imperare cœperat anno, sine vlla stirpe moriens, vacuum hærede Orientis imperium reliquit. Imperauit cum Honorio patruo annos XV. cum Valentiniano consobrino XXVIII.

Eius ætas ingeniorum satis ferax, Theodoretum, Socratem, Sozomenum Historicos nobiles; Prosperum Aquitanicum, Euodium, & Maximum Taurinensem Episcopum, & alios viros doctos effudit.

VALEN-

VALENTINIANVS III.

MARTIANVS.

A Christo nato anno CCCCLI.

MARTIANVS inde ob insignem probitatem, ac prudentiam ex gregario milite Augustus Orientis est creatus, Huic haud maior fuit imperij cura, quàm pacis: Quippe solitus erat dicere, *Imperatori abstinendum bello, quandiu honesta pace frui liceret.* Cæterum cum Oriens longa pace floret, Occidentis imperium, Valentiniani Principis inertia; variis concussum cladibus ruit. Atila Hunnorum Rex recens ab excidio Aquileiæ, Patauium, Veronam, Vicentiam, Brixiam, magnámque Galliæ Cisalpinæ partem vastauit impunè. Qua tempestate Venetæ regionis incolæ in paludes sinus Adriatici confugientes nobilissimæ Venetiarum vrbis ignobilia fundamenta iecêre. Porrò Attila victoriis ferox, iam infesto exercitu Romam petebat imperij caput; cùm Leo Pontifex cognomento Magnus barbaro Regi ad Mincium amnem occurrit: diuináque eloquentia persuadet, vt conuersis repentè signis abiret. Cæterùm haud multò pòst inuadere denuò Italiam moliens, in nuptiali conuiuio, cùm se vino onerasset, ingentem vim sanguinis profudit. Ita homo cruoris humani sitientissimus suo cruore suffocatus extinguitur. Subinde Valentinianus Aëtij fortunam suspectam habens, virum egregium, quo Galliæ, & Occidentis salus nitebatur, interficiendum curauit: nec impunè. Aëtij miles, siue ira stimulante, seu Maximi tyranni promissis oneratus, ipsum obtruncat Augustum

anno

anno eius principatus XXX. & cum Imperatore imperium concidit Occidentis. Barbari namque omni metu liberi, ac soluti, passim volitare, imperiúmque Romanum discerpere cœperunt. Franci Meroueo Rege, Parisios eámque Galliæ partem, quæ deinde Francia dicta est, occuparunt. Visigothi Euricij Regis ductu, Hispaniam subegerunt. Maximus Tyrannus, Româ armis occupatâ, Eudociam Valentiniani Imperatoris coniugem connubio sibi iunxit inuitam. Illa igitur amens ira, & vlciscendæ iniuriæ auida, Gensericum Vandalorum Regem accersit ex Africa, tyrannũ oppressura patriæ ruinã. Sed vnde mali remedium petebatur, maius extitit malum. Rex barbarus, Maximo interfecto, Romam capit, hostilem in modum direpturus, nisi Leo Pontifex victoris leniisset iram. Cæterùm ille Romanis spoliis onustus ipsam Eudociam Augustam, Theodosij filiam, vnà cum liberis Carthaginem abducit. Vandali, Neapolim, Nolam, Campaniámque omnem populati asportarunt in Africam ingentem numerum captiuorum.

At Martianus Augustus, VII. imperij sui anno, suorum fraude periit cum ingenti fama probitatis.

LEO I.

A Christo nato anno CCCCLVI.

LEO I. Thrax genere, Martiano succedit in Orientali Imperio. Imperator infelix est habitus, eius quippe principatum multi, & atroces casus infamem fecerunt. Regia vrbs fortuito incendio deformata. Classis amplius MC. nauium, quæ

aduersus

aduersùs Gensericum Africæ tyrannum destinata erat, inertia Basilisci Ducis, amissa. Super hæc Occidentis imperium extinctum est. Namque Auitus, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Iulius Nepos in Occidente partim Tyranni, partim imperatores extitêre. Quorum plerósque Ricimer Patricius, genere Gothus, ad imperium elatos necauit. Idem Anthemio Cæsari socero suo infensus, vrbem obsessam vi cepit, captam magna dirimit ex parte, vt vrbs illa omnium gentium domitrix, quater vno sæculo conculcaretur à barbaris, semel à Vandalis, ter à Gothis. Alij deinceps sub occasum Imperij Romani, seu Imperatores, Orestes, & Augustulus exorti. Cæterùm Odoacer Herulorum Rex è Pannonia profectus in Italiam, Oreste acie victo, etiam Augustulum metu exterritum imperio exuit: ita Romanum Imperium ab Augusto ortum, cum Augustulo extinctum est; cùm stetisset annis circiter D. Exinde Leo Orientis Imperator, XVI. quàm imperare cœperat, anno moriens, præterito Zenone genero, quòd nec animum regium haberet, nec speciem imperio dignam, Leoni nepoti ex filia imperium legat. Is tamen, Zenone patre in societatem principatus assumpto, X. imperij mense cessit è vita.

LIBER VI.

ZENO.

A Christo nato anno CCCCLXXV.

ZENO Orientis Imperator, genere Isaurus, truculentus idē & effœminatus fuit, insigniq; vel corporis,

corporis, vel animi deformitate. Is Odoacrem Italiæ tyrannum Theodorici Ostrogothorum Regis ope, atque opera ad Rauennam oppressit. Theodorico præmiũ victoriȩ Italia fuit. Ita Roma omniũ gentium olim Domina, iugũ accepit Gothorũ anno à Virginis partu CCCCLXXXV. Cæterùm per idem tempus Michaël Archangelus templum, in monte Gargano diuina excauatũ manu, illustri miraculo sibi adsciuit, inde velut ex arce præsidiũ oppressæ laturus Italiæ. Et Zeno tantorum auctor malorum breui pœnas exoluit. Nam, cum siue intestino dolore, siue nimio vino exanimatus conuisset; ab ipsa coniuge, vt maturè extingueretur, sepulcro illatus est viuus, anno, postquàm imperare cœperat, XVII. Nec lætior Honorici Vandalorum Regis exitus fuit. Is quippe Genserico, patre immanior, dum Arrianæ sectæ impensiùs faueret, in Africa, miserandum in modum rem catholicam afflixit. Episcopis amplius CCCC. mutilatis, quorum aliqui vel capti linguis diuina mysteria eloquebantur, & in exilium ex Africa eiectis, ipse vltore Deo periit à vermibus inseriabili morte consumptus. At Clodoueus Rex Francorum à Clotilde vxore Christiana ad Christi cultum illectus, in bello aduersùs Alemannos diuinam expertus est opem. Igitur voti reus à Remigio Rhemensi Episcopo baptizatur. Ludouico inde nomen fuit. Et Francorum gens pij Regis exemplum secuta, Christianæ religioni se aggregauit, anno post Christum natum circiter D. Itaque Ludouicus Rex, Deo fauente, Burgundia, Aquitania, alijsque regionibus subactis, Francici regni fines longè, latéque propagauit ac regiam sedem Parisiis statuit. Eodem regnante Genouefa virgo in Francia, Brigitta vidua in Scotia, sanctitatis laude floruerunt. Theodoricus

doricus porrò ad firmandas opes, stabiliendúmque sibi nouum Italiæ regnum, affinitate cum Ludouico Franciæ Rege iuncta (eius quippe filiam in matrimonium duxerat) Siciliam, aliásque adiacentes Italiæ insulas, & Dalmatiam suæ ditionis fecit. Ac primò Rex barbarus & Arrianus vix cuiquam Romanorum Cæsarum moderatione, prudentia, liberalitate, iustitia cessit. Itaque summa populorum beneuolentia, ac fide pacatam rexit Italiam.

ANASTASIVS DICORVS.

A Christo nato anno CCCCXCII.

ANASTASIVS DICORVS interim Orientis imperium tenuit ancipiti fama. Primò populos tributis oppressos leuãdo, venales anteà Magistratus gratis mandando, optimos Principes æquauit. Proclum mathematicis insignem in honore habuit; qui Archimedis æmulator inclitus, æreis speculis classem Vitaliani Thracis Byzantium obsidentis incendit. Porrò Anastasius Eutychiana infectus peste, Theodoricum ipsum barbarum Regem scelere, & immanitate vicit. Quippe Catholicis infestus Constantinopolitanum Antistitem exegit. Hormisdæ Rom. Pontificis legatos, ex quorum numero Euodius fuit Ticinensis Episcopus sanctimoniæ laude præclarus in conspectum suum venire vetuit, quin etiã labefactæ impositis naui, vt naufragio interirent, omni Græcia interdixit: tantum vel Christianæ religionis, vel Rom. Pontificis odiũ animo imbiberat. Ergo haud ita multò pòst fulmine ictus interiit, inter pauca cælestis iræ exempla memorandus.

Imperitauit annos XXVIII. Fama est ei sub mortem horribilis viri speciem in somniis oblatam librum tenentis manu, & simul increpantis: *En ob tuam improbitatem XIV. tibi vitæ annos deleo*; vt appareret, improborum vitam, Dei nutu, sæpè fieri breuiorem.

IVSTINVS.

A Christo nato anno DXVIII.

IVSTINVS exinde è subulco Augustus (vt in omni hominum genere virtus esset honorata) Orientem gubernauit, vir pietate clarus, & acerrimus religionis Catholicæ propugnator. Quippe Arrianis, aliisque Hæreticis templa, ac publicos ademit cœtus: quanquam ea Ioannis Rom. Pontificis rogatu, deinde restituit. Ioannes namque Pontifex cum Symmacho, Boëtico, aliisque Romanis Senatoribus, Theodorici Regis missu Constantinopolim ad eum venit, à quo honorificè exceptus est, expositisque mandatis, ac minis barbari Regis, nisi Arrianis ius pristinum redderetur, Iustinum exorauit, ne efferatum Regem in Romanæ vrbis exitium irritaret. Ita vetus licentia Arrianis reddita. Iustinus verò primus Græcorum Imperatorum à Romano Pontifice imperatoris insignibus decoratur. At Theodoricus domesticorum instigantium vocibus plenus, ac etiã ad deteriora credenda pronus, legatorum gratiam apud Græcum Imperatorem primò suspectam habere, deinde sæuire vehementer cœpit. Itaque Symmachum, & Boëtium, consulares viros, ac sapientiæ fama illustres, vt alios obscuriores taceam, primùm exilio, inde

morte

morte mulctauit. Ioannem Pontificem perpetuo carcere maceratum extinxit. Verùm nec sera, nec obscura cælestis ira Numinis fuit. Cœnanti impio Regi, fortè caput piscis ingentis appositum erat: id Symmachi ab se nuper occisi caput visum est, toruis oculis, exertisque dentibus exitium minitantis. Et horrenda hæc species tantùm illi terroris incussit vt insolito iactatus horrore moreretur, suam in repræsentandis suppliciis præcipitem crudelitatem incusans. Theodorico Amalasuintha filia vidua, fœmina insigniter literis exculta, cum filio suo Athalarico successit. Sed breui filius luxu, mater Theodori amitini fratris, quem in Regis nomen asciuerat fraude interiit. At Ildericus ex captiua Valentiniani Augusti filia genitus, Vandalorum regnum à Trasimundo patruele legatum maternis consiliis rexit; Episcopisque ab exilio reuocatis, Catholicam religionem impensè fouit in Africa: tantùm etiam inter barbaros materna disciplina valuit ad pietatem.

Per eadem tempora Fulgentius Ruspensis, & Germanus Parisiensis, Episcopi sanctimonia inclyti, Cassiodorus, & Arator Poëtæ viguerunt.

IVSTINIANVS.

A Christo nato anno DXXVII.

IVSTINIANVS Iustini, cuius erat sororis filius, hæres in Oriente imperauit ingenti vel felicitatis, vel sapientiæ fama. Auxit Augusti gloriam Belisarius Dux bello clarissimus, Superum dono rei Romanæ datus. Is quippe Persis domitis, amissa recuperauit. Gelimere Vandalorũ Rege capto Africam recepit. Inde victoriis nitens, in Italiam ducit

ducit exercitum. Recepta Sicilia de Gothis, Neapolim ingenti aquæ ductu aditum præbente, capit, diripitque. Protinus Roma, ciuibus dedentibus, potitur. Exin Vrbem mœnibus circundatam, Vitige Gothorum Rege oppugnante, defendit. Subinde Vitigem Mediolani euersorem bello persecutus, accitis Gothorum viribus, vniuersam Italiam in Iustiniani ditionem redegit. Nec maior eius virtus bello Italico, quàm fides extitit. Vigentibus Gothis, vt ipsorum, & Italiæ regnum acciperet, obfirmato restitit animo: adeò illi fides regno potior fuit. Itaque Vitigem Rauennæ captum, Constantinopolim abduxit: vbi maius etiam dedit fidei, moderationisque documentum. Quippe falsis æmulorum criminibus affectati imperij suspectus Augusto, simul honore, atque opibus exutus est. Et paulò post Augustus Belisarij præsidio nudatus, coniuratione procerum in ordinem cogitur: ad Florianum Senatorem insignia imperij deferuntur. Hic Belisarius stipatus fortissimorum iuuenum globo, in forum venit, & nouo Cæsare per speciem salutationis occiso, cæsisque coniuratis, tyranni caput cum insignibus ad Iustinianum protinus defert, atque in pristinum fastigium restituit eum, à quo ipse detractus fuerat per summam iniuriam de suo. Ita & factis crimen diluit, & Augustum spectata fide sibi deuinxit, vt nemo apud illum honore, aut gratia prior foret. Felix, si plùs apud illum Dei, quàm Principis gratia valuisset. Nam Romam inde reuersus, cùm Theodoræ Augustæ iussu Syluerium Pontificem vi captum in Pontiam insulam relegasset, ipse haud ita multò pòst ruit. Byzantij Iustiniano suspectus insidiarum, honoris fastigio deiicitur, & in custodia habitus mœrore, atque ærumnis consumitur, gloriosæ vitæ exitum sortitus inglorium.

Inter

Inter hæc Totila Gothorum Rex, vir non paucis regiis virtutibus clarus, Florentia tentata, Campaniam petens, Caſſinum diuertit. Ibi benedicti Abbatis vaticinatione erectus, migatúſque Neapolim fame domitam in fidem accepit. Cæterùm & ciuium ſaluti, & mulierum pudori graui edicto, exemplóque conſulit. Armigerum ſuum charum in paucis, qui ingenuæ puellæ vim attuliſſet, Ducibus nequicquam reclamantibus, ſupplicio affecit, negans regna ſtare poſſe, ſi diſciplina labaret. Veritus ne ciuibus fame enectis copia ex inopia, vt fit, exitio foret, vetuit quenquam vrbem egredi, & cibariolum quod ſatis eſſet, importare, donec modico cibo deliniretur fames. Romam inde vi capit, & vrbem quidem incendit, ſed ciuibus pepercit, monitorum Benedicti memor: tota ſiquidem vrbe præcones pronunciare iuſſit, vt ciues à victorum ira templorum ſeſe religione defenderent. Ita Roma quartùm à Gothis capta, direptáque. Sed breue, ac peſtiferum Totila inde gaudium abſtulit. Namque haud multò pòſt à Narſete eunucho, Iuſtiniani duce, acie victus vna cum exercitu cæditur. Cum Totila regnum, ac nomen Gothorum in Italia deletum, anno poſtquàm ortum erat, circiter LXX. Italia imperio Orientis adiuncta. Iuſtinianus porro, animo ad conſtituendum ius ciuile verſo, ex immenſo librorum aliorum ſuper alios cumulo, rem ad pauca redegit volumina, quibus fontes continentur omnes publici, priuatíque iuris. Acres quoque leges in impudicos tulit. Puerorum amatoribus in flagitio deprehenſis virilitatem exſecabat, dictitans & ſacrilegis præcidi manus. Tandem ſapientiæ famam religionis inconſtantia deformauit. Namque in Eutychianam lapſus hæreſim, Agapetum Rom. Pontificē qui ad eum venerat de

de pace Italiæ acturus, summa vi in suum errorem pertrahere est conatus: at ille ad minas interritus: *Enimuerò*, inquit, *credebam me ad Iustinianum, non ad Diocletianum venisse.* Libera vox adeò obstinatum emolliuit pectus, vt resipiscens prauam respueret opinionem. Cæterum vir vxorius Syluerium, & Vigilium Rom. Pontifices à Theodora Augusta multari exilio est passus. Ergo ad vltimum sapiens ille Imperator redactus est ad insaniam. Ita magnificentissimo S. Sophiæ (Dei Patris sapientia designabatur) templo Bizantij condito, ipse è vita decessit insanus, documentum quàm parum humanæ fidendum sit sapientiæ. Principatum obtinuit annos 40. vno minùs, felicior futurus, si breuiore vsus esset imperio.

Iustiniano imperante Fortunatus Poëta, Procopius Historicus, Priscianus Grammaticus clari fuêre. Duo Monachi ex India Bizantium profecti, bombycum oua ab Seribus attulerunt, sericique conficiendi rationem Græcos docuerunt, præclarum inuentum, nisi ad materiam luxus mortales abuterentur.

IVSTINVS IVNIOR.

A Christo nato anno D L X V I.

IVSTINVS IVNIOR à Iustiniano auunculo adeò degenerauit, vt non minùs ipse sua stultitia afflixerit Romanum Imperium, quàm ille sapientia erexerat. Narsetis quippe gloriæ inuidens, inclytum belli, pacisque artibus virum Italiæ administratione amouit, Longino Patricio in eius locum suffecto; qui primus Italiæ Exarchus est appellatus.

tus. Narses igitur simul atroci Imperatoris iniuria, simul Sophiæ Augustæ eunuchum ad pensum reuocantis contumelia accensus, iram in rabiem vertit. Et minatus Augustæ dicitur, telam se eiusmodi texturum, quam nec ipsa, nec vir eius retexeret. Nec leuiora facta dictis fuêre. Longobardos gentem è Scandia oriundam, quorum forti fidelique opera vsus erat in Gothis Italia pellendis, è Pannonia reuocat in Italiam. Cæterùm ipse tempestatis concitator haud multò pòst rabie, ac mœrore confectus, interiit præclaro liberatæ Italiæ titulo æterna macula deformato.

Hæc inter, Longobardi relicta Hunnis sociis Pannonia, Alboinum Regem secuti, Galliam Cisalpinam primo belli impetu occuparunt, anno à partu Virginis circiter DLXX. Ab his regio Longobardia primùm, inde corrupto vocabulo Lombardia appellata. Eodem fermè tempore Cantabria à Visigothis Leouigildi Regis ductu subacta; Sueuisque debellatis, Gothicum regnum longè, ac latè in Hispania propagatum; ac Toleti sedes regia constituta. At Rex Alboinus Venetia regione, Vmbria, Hetruriaque fermè vniuersa in suam ditionem redacta, Ducibúsque impositis, ducatus tres instituit, Foroiuliensem, Spoletanum, Tuscúmque, quibus deinde Beneuentanus adiectus à Rege Agilulpho. Subinde Ticino potitus Alboinus, ibi sedem statuit regni, quæ vrbs deinde dicta est Papia. Cæterùm breue malè parti regni gaudium fuit. Nondum vertente anno, in conuiuio factus hilarior, cum Rosimundæ coniugi poculum ex patris eius calua Rex barbarus porrexisset, iustam illi concitauit iram. Itaque vino, somnóque grauis ab ea obtruncatur. Eius loco Clepho Imolæ conditor, inde XXX. simul Duces cooptati, qui totam penè

Italiam

Italiam ſubegere. Per idem tempus Iuſtinus Auguſtus deceſſit anno imperij ſui X V I.

TIBERIVS II.

A Chriſto nato anno D L X X X I I.

TIBERIVS I I. Iuſtini gener, atque hæres, imperium deinceps tenuit munificentia iuxtà, ac felicitate inclitum. Quippe theſauros ab Iuſtina Auguſta conditos nactus erogauit in pauperes. Inde marmoream tabulam Cruce inſignem è pauimento, vbi inambulabat, religionis cauſa tolli cùm iuſſiſſet, ingentem ibi auri vim defoſſam reperit. Quoad benignitatem haud malignè vſus, Narſetis eunuchi gazam ab ſene quodam monſtratam indeptus eſt, Deum cum Auguſto largitate certare diceres. Nec pace fuit, quàm bello felicior. Armenios, Perſaſque multis, magniſque cladibus per Duces domuit ſuos, ingenti præda ex hoſtibus capta. Cæterum hoſtibus quoque benignitatem ſuum impertiendam ratus, captiuos ſplendidè ornatos domum remiſit gratis. Roma quoque ab Authari Longobardorum Rege obſeſſa, ſubmiſſo à Tiberio Imperatore magni frumenti numero, depulſa fame, obſidionem eluſit barbarorum. Exin S. Gregorius Diaconus Cardinalis Bizantium, Pelagij I I. Pontificis miſſu, ad Tiberium venit conſecrationě noui Pontificis in vrbe obſeſſa, purgaturus: qua in legatione & commentarios in Iobum aggreſſus eſt, & Eutychium Conſtantinopolitanum Epiſcopum de corporum anaſtaſi malè ſentientem, coram Imperatore conuicit, adeò vt paulò pòſt moriens ſuum damnaret errorem. Tiberius porrò IV.

princi

principatus anno moriens, Mauritio genero imperium per manus tradit.

MAVRITIVS.

A Christo nato anno DLXXXVI.

MAVRITIVS ex Cappadocum genere ad imperij fastigium euectus per Philippicum Ducem ingentes Persis intulit clades. Quibus debellatis, Cosdroam profugum, ac supplicem in paternum regnum restituit. Roma interim memorabili Tiberis inundatione obruta, & diluuium excepit lues atrox adeò, vt complures alioqui valentes sternutando, aut oscitando efflarent animam. Itaque Gregorius in tanta patriæ clade Romam reuersus, Pelagio Pontifice pestilentia extincto, Pontifex creatur inuitus, cuius Pontificatus ex tristibus primordiis lætissimus extitit. Nam Litaniis supplicationibúsque institutis depulit morbum, & testis placati Numinis in summa Adriani mole gladium vagina condens conspectus est Angelus, qui celebre deinde arci nomen ad posteros dedit. Inde Gregorius velut cõmunis parens omnes penè Orbis terræ pauperes aluit, diuinum cultum cæremoniis stationibúsque auxit; afflixit commenta Hæreticorum; Christianam religionem propagauit. Ab eo quippe Anglia per Augustinũ, aliósque Monachos ad Christi fidem adducta anno post Christum natum circiter D C. Et eodem fermè tempore Hermenigildi martyris frater Ricaredus Visigothorum Rex, Leandro Episcopo Hispalensi auctore, Arrianam pestem discussit in Hispania. Agelulphus quoque Longobardorum Rex, Theodolindæ vxoris impulsu,

impulsu, Longobardiam, Arriana hæresi damnata, ad Catholicam religionem reuocauit. Gregorius porrò Mauritio Augusto, qui lege lata vetuisset, quenquam, nisi bello inutilem, è milite fieri Monachum, acriter restitit. Itaque ille horrendis exterritus visis, optauit delictorum suorum pœnas luere in hac vita. Proinde, annuente Deo, à Phoca Centurione Imperator coniuge, ac liberis ante oculos eius trucidatis, iugulatur. Non alius Augustus aut maiorem cladem, aut fortiùs tulit. In suorum, ac sua cæde, vna illa eius vox audita: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Imperauit annos XVII. nulla re magis, quàm forti, ac pio vitæ exitu memorandus.

Subinde Gregorius, vrbe à Longobardorum armis egregiè defensa, factáque inter Romanos barbarósque pace, excessit è vita eximium posteris Romani Pontificis exemplum relinquens. Huius æquales Gregorius Turonensis Episcopus: & Ioannes Patriarcha Alexandrinus cognomento Eleemosynarius numerantur.

PHOCAS.

A Christo nato anno DCIII.

PHOCAS Tyrannus veriùs quàm Imperator, malè partum pessimè gessit imperium, homo crudelitate, ebrietate, nequitia infamis. Itaque eo sedente, Armenia, Paphlagonia, Galatia, Syria, Phœnice, Palæstina à Cosdroa Persarum Rege populata Hierosolyma direpta: sacra Crux velut opimum spolium, in Persidem ablata. Sed ea mutato loco, etiam apud barbarum hostem religionem tenuit.

tenuit. Cosdroas quippe argẽtea ad id ædicula excitata, sacram thecam velut collegam sibi adscitam, ad dexteram, in aureo statuit solio. Cæterùm idem vecors ab rebus secundis, Christianum nomen variis suppliciis afflictauit. Super hæc omnia ipse pestis humani generis Phocas immemor hostium, libidine ac furore præceps, ciues vexabat hostilem in modum. Ergo Heraclius Africæ præfectus procerum rogatu, ſy anno bellum mouet. Acie victum capit: capto, & superbiam in miseria retineri collum pedibus calcat. Tandem illusum, virilitate adempta, vt libido hominis notaretur, obtruncat tyrannidis anno VIII.

Hoc Imperante, & approbante, controuersia inter Romanam constantinopolitanámque Sedem composita. Tres erant, Romana, Alexandrina, & Antiochena. His à Bonifacio IV. qui Pantheon consecrauit, adiectæ duæ; Constantinopolitana, cui propter sedem imperij secundus datus est locus, & Hierosolymitana, cui postremus: Romana verò semper obtinuit principatum.

HERACLIVS.

A Christo nato anno DCX.

HERACLIVS quàm clarus initio imperij, tam turpis exitu fuit: Inter primum regni rudimentum Còsdroa Persarum rege diuinitùs debellato, Syriam, ac Hierosolymam recepit: Augustissimámque Christi Domini Crucem ex hoste recuperatam summa religione, maxima hominum celebritate suum in locum restituit. Cæterùm Monothelitarum deinde errore implicitus,

imperator nullus fuit. Itaque Mahometes genere Arabs, seu Saracenus, fatale portentum Christianæ religionis, Romanum subinde conculcare cœpit imperium. Is quippe patre Ethnico, matre Iudæa genitus, idémque Christianis imbutus sacris, simulato Archangeli Gabrielis congressu, adiutore Sergio Monacho, monstrosam sectam ex diuersis conflauit disciplinis, Christiana, Iudæa, Ethnicáque. Ac primò Vates, deinde Dux exercitus nefariam disciplinam in Arabiam inducit armis; quæ Saraceni regni origo fuit, cessante Heraclio, blanda simul, ac violenta secta paulatim serpens, non minùs licentiæ dulcedine, quam armorum viribus brevi in immensum creuit. Et hæresis visa est Mahometanam tyrannidem accersisse. Quippe aliquot antè annis, Armenorum, Iacobitarum, Georgianorum hæreses infecerant Asiam. Igitur Haomarus Arabiæ Rex à Mahomete III. Armeniam, Mesopotaniam, Ægyptum, Syriam, Palæstinam, Hierosolymamque ipsam subegit. Inde Persarum Rege Ormisda debellato, Persis quoque imperitauit. Ac tot tantáque res sexennio gessit. Cæterùm hoc Orientis damnum ipse, qui damni causam dederat, Heraclius nequicquam sarcire conatus est. Namque in Oriente Iudæos omnes baptizari iussit aut exulare. Idémque in Hispania à Sisebuto, in Francia à Dagoberto Regibus edicendum curauit. Ita plerique Iudæorum terrore exilij sunt ad Baptisma compulsi, consilio pio magis, quam salubri, vt posteà docuit euentus. Subinde Heraclius diem expleuit extremum, cùm annos imperasset XXXI. hoc perniciosior ob ignauiam Imperator, quò diuturnior.

Eadem tempestate S. Isidorus iunior Hispalensis Episcopus & S. Columbanus Abbas extitêre.

Bonifacius

Bonifacius V. Roman. Pontifex in templis, arísque aſyla reis aperuit.

CONSTANTINVS III.

A Christo nato anno DCXLI.

CONSTANTINVS III. Heraclij filius: Martinæ nouercæ inſidiis periit, veneno extinctus, cùm vix vnum regnaſſet annum, nulla re niſi nouercali odio ac ſupplicio memorabilis. Quippe Martinæ, ob priuigni parricidium, à Proceribus lingua excecta. Heracleoni eius filio deſectus naſus: vterque ex SC. in exilium pulſi.

CONSTANS II.

A Christo nato anno DCXLII.

CONSTANS II. qui & Conſtantius Heraclij nepos auiti erroris æmulus, tyrannicos ſpiritus ſumpſit. Itaque Martinum Rom. Pontificem, qui coacto Romæ Concilio Monothelitas damnaſſet in Ponti inſulam relegauit: inde exercitu in Italiam tranſmiſſo, cum Longobardis in agro Beneventano variè pugnauit. Tandem pace facta, Romam iter intendit. Venienti Vitalianus Pontif. cum Sacerdotum agmine Populóque Roman. ad quintum ab Vrbe lapidem procedit obuiam. At ille velut vrbe per vim capta, omnia æerea ornamenta (vt ne regulis quidem, quibus Pantheon opertum erat, parceret) Byzantium deſtinauit. Diceres, illum non pietatis, ſed prædæ cauſa veniſſe

Romam. Cæterùm prouectus in Siciliam, à suis propter insolentiam, balnei vapore extinguitur anno imperij sui XXVII. Romana præda magna ex parte in Sicilia relicta.

Eadem tempestate S. Eligius Flandriam ad Christi cultum adduxit. Regina Persarum Constantinopolim profecta Christianis se aggregauit, & virum suum ad Baptisma suo pellexit exemplo. Romæ autem Vitalianus Pont. organa aliáque musica instrumenta in templis ad sacrorum cultus adhibuit primus.

Porrò Halys à Mahomete Quintus; rerum successu elatus dedignari cœpit Calyphæ nomen. Reges quippe, qui Mahometi successerant, Calyphæ, id est, Mahometis successores ac veluti Vicarij appellabantur. Itaque ipse Propheta eximius Mahomete ipso maior dici, credíque voluit, scitam ad id comminentus fabulam. Aiebat Gabrielem Angelum nouæ legis latorem ad se missum à Deo: sed errore deceptum esse ad Mahometem. Ita, Saracena secta diuisa, aliis Mahometem, aliis Halym sequentibus.

CONSTANTINVS IV.

POGONATVS.

A Christo nato anno DCLXIX.

CONTANTINVS IV. POGONATVS, seu Barbarus, Constante genitus paternæ vitæ, ac mortis euentu exterritus oculos aperuit. Itaque missis ad Donum Rom. Pontificem litteris, auctor fuit, vt Concilium Constantinopolitanum de

de duabus Christi voluntatibus aduersùs Monothelitas celebraretur. Per idem quoque tempus Ravennas Ecclesia, quæ Exarchorum opibus nixa à Pont. Romano desciuerat, Theodori Archiepiscopi Rauennatis opera, ad Ecclesiæ Roman. auctoritatem reuocata. Sigebertus Rex Austrasiorum in Galliis, expers prolis, Monasteriis aliquot conditis, monasticam vitam ipsemet amplexus est: ita copiosam Deo, cælóque sobolem peperit. Cæterùm Constantini principatus non tam successibus, quàm cladibus insignis fuit. Anno eius sæculi circiter LXXX. atrox pestilentia totam fermè funeribus exhausit Italiam, Papiam præcipuè, vrbémque Romam, portentóque similis clades erat. Visus à multis Diabolus cum hasta vrbem obiens ad Angeli imperium, cuspide domorum ferire ianuas, & postero die mortuorum numerus hastæ ictus æquabat. Cæterùm ara Sebastiano Martyri in æde S. Petri ad vincula ex oraculo consecrata, extemplò absterſit luem. Constantinus porrò Imperator antiquam Pontificiorum comitiorum libertatem, inde vsque ab Iustiniano intermissam Ecclesiæ Roman. restituit, rogatu Benedicti II. Rom. Pontificis anno huius sæculi LXXXIV. Saraceni interim, Rhodo capta, Colossum æneum fama nobilem effregerunt, cuius ære nongentos camelos oneratos ferunt. Exinde in Siciliam delati, expugnatis Syracusis totam fermè depopulati sunt insulam. Hinc transgressi in Africam, penè diruêre Chartaginem. Ad hæc Bulgari gens Scythica, Pannoniam & Thraciam inuaserunt. Nec sedes imperij aut ipse Imperator expers periculi fuit. Constantinus quippe cùm duos fratres suos imperij consortium affectantes, amputato naso, deformasset, ab Saracenis Byzantij obsessus, ægrè

regiam tutatus est vrbem. Qui deinde, illato Bulgaris bello, per impudentiam iam victor ignominiosam cladem accepit. Circumsessis hostibus ipse pedibus æger ad aquas salubres cum comitatu regio tendens, & suis, & hostibus speciem præbuit timoris. Igitur exercitus nullo sequente capessit fugam. Effusè fugientes hostis à tergo adortus occidione occidit. Et ea clades necessitatem imposuit Augusto Bulgaris tributa pendendi, dedecore etiam maiore, quàm damno. Nec diu ipse cladi superstes fuit decessit anno principatus. XVII.

Per eadem tempora, Abdimelechus in Ægypto extitit, qui primus post Halym atauum suum Calypha Halys est appellatus. Hic Mahometicæ disciplinæ infestus nouam sectam, nouásque cæremonias condidit. Porrò S. Alphonsus, siue Ildephonsus, B. Isidori discipulus, idémque Archiepiscopus Toletanus in Hispania floruit, qui à Deipara Virgine cæleste amiculum defensæ ab Heluidij insania eius Virginitatis pretium accepit. Sub id tempus Bamba, Gothorum Rex, vir regij animi, & corporis dotibus clarus in Hispania regnare cœpit: hoc maximè admirandus, quod omnium consensu delatum regnum, non nisi minis, ac terroribus coactus accepit: ac deinde multis bellicis operibus inclytus, depositis regiis insignibus Monachatum induit, vt expeditam sibi viam ad regnum cæleste muniret.

IVSTINIA

IVSTINIANVS II.
RHINOTMETVS.

A Christo nato anno DCLXXXVI.

IVSTINIANVS II. cognomento RHINOTMETVS, in magna morum, ac fortunæ varietate, intermissum exilio gessit imperium. Primò pius Imperator iusto pariter, ac felici bello Iberos, Albanos, aliásque Orientis nationes in suam redegit ditionem. Inde vbi depravatus ab assentatoribus Sergium Roman. Pontificem suo adversantem errori appetiuit insidiis, adverso vsus est diuino Numine. Namque Sclauicis legionibus elatus, rupto perperam fœdere, Arabibus bellum intulit. At illi Deo fœderis teste inuocato, tabulásque fœderis ex hasta suspensas præferente, Cæsari occurrunt; initióque fugæ à Sclavicis copiis facto, ingentem inferunt cladem. Ergo seu calamitatis magnitudine, seu Præfectorum iniuriis inuisus ciuitati, à Leontio Duce, quem in vinculis habuerat comprehenditur, nasóque mutilatus (ex quo illi Rhinotmeto cognomen inditum) in Chersonesum relegatur.

LEONTIVS porrò imperium, scelere quæsitum triennio pòst pari scelere amisit per tumultum à Tiberio Absimaror captus, naso desecto, in custodiam traditur.

TIBERIVS ABSIMARVS deinde regnare occepit ipso anno post Christum natum DCC. Inter hæc Abdimelechus Ægypti Calypha, Constantinopolitanas turbas suam occasionem ratus, Africam; & Siciliam suæ ditionis fecit. Et Romoaldus, Beneuentanus Dux, Tarentum, Brundusium, om-

némque circoniectam regionem Græcis ademit. Per idem tempus Aritpertus II. Longobardorum Rex Alpes Cottias (regnum olim Cottij Regis in Alpibus fuerat. XII. vrbes continens) Ecclesiæ Rom. donauit, eámque donationem aureis consignatam litteris Ioanni VI. Pont. misit.

IVSTINIANVS porò decennali perfunctus exilio, Bulgaricis armis recipit imperium, Leontio, Tiberióque iugulatis. Exin illatas ab se Pontifici Rom. iniurias, meritis compensare statuit. Igitur Constantium Pontificem Constantinopolim inuitatum omni honore coluit, vt etiam humi procumbens Augustus oscularetur Pontificis Romani pedes. Cæterum Chersonenses, Bosphoraníque iniusto bello à Iustiniano vexati, Philippicum exulem salutant Imperatorem, qui ipsorum armis, Byzantio potitus, ac Iustiniano obtruncato, inuadit Imperauit Iustinianus annos omninò XVI. Nec melior in pari causa Aritperti Longobardorum Regis exitus fuit. Quippe ingenti ab hostibus clade accepta, onustus auro in Franciam ad contrahenda auxilia properans, in traiectu amnis auro degrauatus mergitur. Rex cæteroqui prudentia, solertiáque insignis, de nocte vrbem regiam mutato lustrans habitu, quid de ipso, qui de Magistratibus, iudicibúsque sentiret populus, explorabat, satis gnarus ad Regum aures aditum haud quaquam patere veritati. Ea tempestate, Franciæ Regibus luxui deditis, Pipinus Dux Austrasiæ, regio sanguine ortus, idémque Magister aulæ, regiis virtutibus regnum administrabat, qui maiores in dies parando opes, posteris suis ad regni fastigium viam fecit, Beda florente in Britannia.

PHILIPPICVS

PHILIPPICVS BARDANES.

A Christo nato anno DCCXI.

PHILIPPICVS BARDANES sextam Synodum orthodoxam, quantùm in ipso fuit, abrogauit: sed non impunè: tertio Imperij anno oppressus, à suis in conuiuio & oculis captus exilio mulctatur.

ANASTASIVS. II.

A Christo nato anno DCCXIII.

ANASTASIVS II siue ARTHEMIVS, vt erat vir egregiè doctus, piúsque, sacra simulachra impensè fouit. Cæterùm pio, probóque Principi Ducum improbitas obfuit. Milites iniuriosius tractati, Theodosio Adramyreno imperium deferunt. Igitur Anastasius, perditis rebus, deponit principatus insignia: ac sibimet imperare assuescit, monastico habitu sumpto. Par Adramyteni conditio. Primo imperij anno nondum exacto, à Leone Isauro eius Duce captus, & initiatus sacris, quietiorem, quàm in imperio vitam egit.

LEO ISAVRVS. ICONOMACHVS.

A Christo nato anno DCCXVI.

LEO ISAVRVS ICONOMACHVS, otio ab hostibus fruens, cum Deo, diuísque bellum im-

pium gessit: nam sacrarum cultum imaginum, velut ex Ethnicorum errore natum, primus aduisus est tollere ex Orbe Christiano: quæ res ei cognomen Iconomachi dedit. Igitur Christi Deiparæque effigies, Iudæis auctoribus, concremauit in foro, minaci edicto proposito in eos qui sacras asseruarent imagines. Gregorius ergo II. Rom. Pontifex in Concilio Romano decreuit, imagines sacras ad iuvandam imperitæ multitudinis memoriam esse retinendas: ipsum autem Leonem anathemate perculit, popularibus eius sacramento solutis. Cuius decreti fama Romanos, Campanos, Rauennates, & Pentapolitanos à Leonis imperio abrupit. Haud leuiore pœna Deus schisma in Hispania vindicavit, quàm Dei Vicarius hæresim in Italia vindicarat. Viciza Visigothorum Rex libidine ardens, vxoribus, ac pellicibus impleuerat regiam. Igitur, vt liberiore licentia frueretur, Episcopos, ac Sacerdotes suo exemplo, edictoque primùm coniugibus, aut pellicibus irretiuit: inde à Rom. Pontificis, qui talia flagitia laturus non erat, auctoritate se mouit. Ergo gens omnis in luxuriam effusa, breui sensit iram vltoris Dei. Saraceni ab Iuliano Comite filiæ ab Rege violatæ probrum vlturo, ex Africa accersiti, in Hispaniam traiiciunt: ac Roderico Rege acie victo, regionem subigunt anno à Virginis partu fermè DCCL. Hic Gothici regni exitus in Hispania fuit CCC. circiter anno, quàm cœperat. Alij deinceps Saracenorum Duces ex Mauritania transuecti in Hispanias, Visigothis oppressis rem Gothicam in plura distraxêre regna. Astures tamen, Cantabri, cæteræque montanæ gentes communis cladis immunes; etiam aliis perfugium præbuêre. Subinde Sardinia quoquè à Saracenis subacta. Cæterùm hâc iacturam, Germanis ad Christi fidem aggregatis,

Gregor.

Gregor. III. Pont. sarsit. Qua tempestate Batholdus Dux Frisonum insigne stultitiæ documentum dedit. Cùm ad Vulfrandum Episcopum baptizandus accederet, sciscitatus ab eo est, apud inferósne, an apud Superos plures essent maiorum suorum. Vbi plures apud Inferos cruciari accepit: *Satius est*, inquit, *vt plures sequar*. Itaque expers Baptismi triduo moriens damnatorum numerum auxit. Insigne dein Rom. Pontificis factum traditur. Gregorius Luitprandum Longobardorum Regem, Vrbe obsessa, suum petentem caput, vltrò adiit, infestumque hostem adeò dictis & submissione placauit, vt ille supplicis Pontificis Rom. verecundia, sese ad eius prosterneret pedes. Itaque Apostolorum corpora veneratus sine vllo maleficio reducit exercitum. Per eadem tempora Carolus Martellus Pipini Magistri aulæ filius, paterno titulo non cõtentus, Franciæ Princeps est appellatus: & nouũ titulum nobili subinde victoria decorauit. Ingentem Saracenorum manum ex Hispania in Aquitaniam, Eudonis Ducis accersitu transgressam, incredibili cæde prostrauit. Fama est vno prælio ad CCCLXX. hostium millia cæsa. Hæc inter Gregor. III. tertio Romæ Concilio pro sacris imaginibus habito Leoni Iconomacho abrogauit imperium. Ergo Luitprandus ad vacui spem imperij erectus, vrbem obsidet, Romani Imperij titulos à Pontifice expressurus. Sed incassum spes, visque omnis cecidit. Carolus Martellus à Gregorio est imploratus. Luitprandus Martelli denunciatione ab incepto deterritus. Inde Martellus liberatæ obsidione Vrbis titulo nitens, Athimum, & Ammothæum Saracenorum Reges, Franciæ fines ingressos, ingenti clade illata repulit. Et Pelagius Comitis Cantabri filius, vir impiger juxtà, ac pius,

vnicum

vnicum afflictæ Hiſpaniæ auxilium, ex Cantabriæ latebris emerſus, Aſtures ad ſpem libertatis erexit. Collecta Igitur Aſturum manu, diuino fauente Numine, ingentes Saracenorum edidit ſtrages: Rex appellatus Aſturiæ regnum inſtituit. Huius deinde gener, hæreſque Alphonſus, cognomento Catholicus, fuit eximia religione, cultúque templorum, qui à Recaredo Gothorum Rege prognatus. Hic prolatis finibus, Galleciæ regno initium fecit: in Aſturia Legionem vrbem de barbaris recepit, quæ vrbs regia deinde fuit, ac ſedes Regum, qui ex eo Legionenſes ſunt appellati. At Abathaminus Calypha Abdimelechi nepos, Ægypto ſubacta, Cærem vrbem regiam (Cayrum vocamus) vbi Memphis olim fuerat, condidit. Idémque primus Ægypti Calypha eſt appellatus: ex quo tempore Calyphæ duo alter Baldacenſis, alter Ægyptius eſſe cæperunt. Subinde Leo Iconomachus mortalibus iuxta, & Immortalibus infeſtus, inuiſúſque, XXV. tyrannidis ſuæ anno, ex inteſtinorum dolore deperiit. Qui hoc pernicioſior fuit, quòd Conſtantinum filium patre deteriorem reliquit hæredem. Diſpari omninò euentu Carolus Martellus eodem anno decedens, Carolo magno, & Pipino filiis legauit regimen Franciæ.

CONSTANTINVS V. COPRONYMVS.

A Chriſto nato anno DCCXLI.

CONSTANTINVS V. COPRONYMVS, ex eo dictus, quòd infans, dum ſacra ablueretur aqua lauacrum ſtercore inquinarat, ſacra omnia (quod Patriarcha prædixerat) polluit. Is bimus coronatus,

natus, qua etiam ex causa Porphyrogeniti nomen, quod primus tulit, ei conuenit, & in societatem imperij, impietatisque adscitus à patre, non Diuorum templis, non sacris reliquiis, non B. Mariæ virginitati pepercit. Horret animus ea prodere literis, quæ de illius nefaria improbitate Græci Scriptores memoriæ prodidere. Eadem tempestate Zachariæ Pontificis eximia virtus enituit. Rachis Longobardorum Rex Perusiam oppugnabat. Ad eum Zacharias in castra venit, cœlestis Numinis, si pergat, intentans iram. Itaque ille subita religione perfusus obsidionem soluit, ac protinus Romam progressus se cum vxore, ac filia consecrat Deo. Ipse Benedictino habitu ab ipso Pontifice indutus Cassinum recepit se, clarior spreto regno, quàm gesto. Valuit fortassis apud Rachim recens Carolomani exemplum. Is quippe Caroli Martelli filius, atque hæres, paterni exitij (vt ferunt) denunciatione, ostentóque commotus Cassinati disciplinæ se addixerat, magnarúmque dabat documenta virtutum. Zacharias porrò, Chilperici Franciæ Regis ignauia damnata, Pipinum Martelli filium, Francis proceribus approbantibus, Regem appellat. Chilpericus regno exutus quietam in cœnobio vitam egit. Per idem tempus Aistulphus, cui Rachis fratre Longobardiæ regnum legauerat, Rauenna potitus, cætera Exarchatus oppida, ac Pentapolim in suam ditionem redegit. Hic finis instituti ab Narsete Exarchatus fuit. Aistulphus ergo successu elatus, in Pontificiam ditionem populabundus irrumpit, extrema minitans Romanis; nisi se suáque dedant. Itaque Stephanus III. Pontifex (secundum vulgò, numerant, ob breuitatem Pontificatus præterito qui verè secundus fuit) ad Pipinum Regem contendit in Galliam, petiturus auxilium. Numquam

aliàs

aliàs antè maior Romani Pontificis maiestas visa. Venienti Pontifici ad tria passuum millia processit obuiam Rex. Repentè ad Pontificis conspectum desilit equo, eúmque procumbens cum coniuge, liberis, ac regni proceribus excepit, cuncto populo cum canticis occurrente: & ipse Rex equi Pontificij frænum tenens deducit ad Regiam. Subinde Pipinus transgressus Alpes Aistulphum bello petit in Acie victum, Papiæque circumcessum tandem perpulit, vt Exarchatum (nunc Romania dicitur) & Pentapolim, quæ Anconam, & quatuor alias Piceni vrbes continebat, Pontifici traderet. Inde in Galliam regressus Aquitaniam, & Vasconiam subigit; auctum Franciæ regnum Carolo filio legat. Aistulpho interim extincto, Desiderius Dux Tusciæ successerat, qui regni proferendi auidus Romanam ditionem inuasit. Adrianus tum Rom. Pontifex erat, qui expetitam Franci Regis implorauit fidem. Carolus ergo Desiderium, res ablatas Pontifici restituere abnuentem commisso prælio fundit, fugátque, Papiæ deinde obsessum, malisque domitum in deditionem accipit. Ita Rex dominandi auidus, regnum augere moliens amisit, nobilior ad posteros Longobardico regno perdito, quàm Alboinus inchoato. Stetit id regnum annos circiter CCXX. Carolus victoria ingens Romam profectus, cunctis Romanorum Ordinibus obuiam effusis, cum ingenti significatione lætitiæ excipitur. Ingressus vrbem pedibus ad Apostoli Petri ædem venit, vbi eum Pontifex præstolabatur cum Patribus sedens. Congressus eorum ingentem speciem Pontificiæ maiestatis apud Romanos, Gallósque fecit, Quippe Rex dum complexu à Pontifice excipitur, venerabundus eius osculatus est pedes. Inde Pipini patris donationem sanxisse non

contentus,

contentus, eam munifice cumulat, Corsica, Sardinia, Sicilia, ducatu Spoletano, Tuscoque adiectis. Cæterùm Italiæ partem, quam Longobardi tenuerant, retinet sibi: id regnum Italiæ appellatum. Eodem tempore & Pontificia maiestas in Occidente, & in Oriente Catholica religio illustrata. Dum Copronymus, quasi indicto bello, Diuos, Catholicosque persequitur, compluresMartyres fecit. Et Berythi (vrbs est Syriæ haud ignobilis) Christi Crucifixi effigies ab Iudæis per ludibrium acta in Crucem, effuso salubri cruore, tanti sceleris conuertit auctores. Copronymus porrò cùm de Bulgaris triumphasset, adeò ardenti correptus est febri, vt se viuum coniectum in flammas clamitaret. Decessit, cùm imperasset post obitum Patris annos XXXV. Idcircò illi propagatum imperium credas, vt sanctarum honor imaginum, plurimorum testium sanguine sanciretur. Tradunt quippe, plures ab eo Catholicos martyrio affectos, quàm ab vllo ethnico tyranno Christianos.

LEO IV. PORPHYRO-GENITVS.

A Christo nato anno DCCLXXVI.

LEO IV. PORPHYROGENITVS, & ipse dictus vel à natali cubiculo, cui nomen esset purpura, vel quod ipse quoque à patre adhuc infantulus adscitus esset in societatem Imperij. Itaque à puero cum patre, inde solus, demum cum filio imperitauit; mali corui, vt dicitur, malum ouum. Quippe patris exemplo sanctarum imaginum cultores indignis vexauit modis. Cæterum V. Tyrannidis suæ

ſuæ anno manifeſtas diuino Numini pœnas dedit. Nam cùm coronam aurcam, gmemis inſignum, ex æde S. Sophiæ ſublatam, capiti impoſuiſſet ſuo, ſtatim peſtifera correptus febri miſerè abſumitur. Ac ne dubia morbi cauſa foret, in eius capite carbunculi extiterunt. At Carolus Rex Franciæ proferendæ religionis auidus Saxones ſubinde rebellantes armis domitos ad Chriſti ouile compellere inſtitit.

IRENE,

CONSTANTINVS,

PORPHYROGENITVS.

A Chriſto nato anno DCCLXXXI.

IRENE Auguſta Leonis vxor, virili animo, & conſilio mulier, primò cum CONSTANTINO PORPHYROGENITO filio ſuo imperauit: inde à regimine amota, cùm filij flagitia ferre non poſſet, adnitentibus legionibus, imperio potitur. Conſtantinus in oculos Procerum ſæuiens orbatus eſt oculis, & in cuſtodiam traditus. Atque vt manifeſta eſſet Dei vltoris ira, ille ipſe dies fuit anni vertentis, quo ipſe oculos effoderat patruo. Ex eo tempore religio in Oriente tollere oculos viſa, Irene ſacra refouente. Hæc inter Carolus bello in Hiſpaniam ranſlato, Saracenos magnis afflixit cladibus. Inde Germaniam, Daciam, ipsámque Angliam (ſi Reginoni, & aliis credimus) ſubegit. Inde ad opera pacis verſus magnificētiſſimū Aquiſgrani templum condidit, ornauítque, & Adriani Pontificis, per id tempus demortui, ſpulchrum carminibus

nibus decorauit. Exin Leo III. Pontifex à Primoribus Rom. ciuitatis iniuriosè tractatus, ad Carolum vnicum auxilium, contendit in Galliam solenni Francorum ritu exceptus, haud ægrè eum perpulit, vt Romam ad res componendas tenderet. Cæterùm cùm Rex in Concilio Episcoporum consedisset, de criminibus Leoni obiectis cognitum; consurgentes Episcopi succlamauerunt, *Rom. Pontificem à nullo mortalium iudicari.* Quæ vox adeò regium perculit pectus, vt protinus incepto desisteret, Leo tamen non suprema magis, potestate, quàm innocentia tutus egregiè purgauit sese ; Superos, Deumque contestans. Itaque Rex violatores Pontificis, ipso extremum supplicium deprecante, mulctat exilio. Pontifex ergo illustria in Ecclesiam Rom. Caroli merita remunerans, ipso anno DCCC. natali Christi die, eum Imperatorem appellat, tutela, Ecclesiæ eidem tradita. Ita Roman. Imperium, ob destitutum à Græco Imperatore Ecclesiæ patrocinium, peruenit ad Francos.

LIBER VII.

A Christo nato anno DCCC.

CAROLVS MAGNVS primus è gente Francorum ingenti vel sua, vel gentis laude imperium Occidentis obtinuit. Ac primum Irenes Augustæ nuptias ambire cœpit; vires Orientis Rom. Imperio adiecturus. Cæterùm, cùm fœdere icto, de connubio per legatos ageretur, Nicephorus Patricius indignum ratus omnia ad Latinum Augustum e

verger

vergere, rem turbauit; tumultúque per eam occasionem Byzantij concitato, eáque in Lesbum relegata, ipse vacuum inuadit imperium. Mox legatis ad Carolum destinatis pacem cum eo, fœdúsque renouat, vt alter Orientis, alter Occidentis, Augusti fratrésque inter se essent. Quicquid Italiæ hinc à Neapoli, inde à Siponto in mare procurrit, cum suis è regione insulis, ad Græcum, reliqua pars ad Latinum Imperatorem pertineret. Fœderis conditionibus adiectum, vt Venetiæ liberæ, ab vtroque imperio, & immunes forent. Ea vrbs ante annum fermè CCCL. Adriatici sinus paludibus inchoata, paulatim ingentibus auctibus creuerat incolarum, opúmque, Cæterùm eodem anno intestina Venetorum discordia, Ioanne Duce exacto, turbauit Rempub. & Francica irritauit arma. Ioannem Nicephorus Græcus Imperator per vim restituere parabat. Itaque Obelerio Tribuno, ac Venetis, Caroli iussu, Pipinus subsidio venit; Qui vt Obelerium, quòd Francuis studeret, ab vrbe exactum vidit; in ipsos Venetos arma conuertit. Ergo terra, marique Venetias aggressus Metamaucum, quæ tum Ducum sedes erat, occupat. Inde Riuum altum, quò ciues cum Duce confugerant, lintribus ac ratibus haud sanè feliciter tentauit: ita multis Francorum millibus, quà locorum iniquitate, quà vadorum fraude amissis, Rauennam remigrauit inglorius. Nec ita multò post, Romoaldo Beneuenti Duce domito, cessit è vita, Bernardo filio superstite. Hæc inter Carolus Florentiam reparauit. Exin duodecim Pares Franciæ instituit. Parisiense excitauit Gymnasium Huic Papiensem Academiam adiecit, Bononiensem quasi vetustate prolapsam restituit, non minùs Musarum, quàm Martis alumnus, fautórque. Cæterùm noua res maturæ

turæ iam eius gloriæ aliquid impoſuit labis. Alphonſi Galleciæ Regis (cui Caſto haud ex falſo cognomen fuit) rogatu, in Hiſpaniam traduxerat copias: Ibi aduerſus Maſſillum Maurorum Regem recens ex Africa bellum feliciter geſſerat. Victorem inde reducens exercitum in deſcenſu Pyrenei montis, Vaſconum inſidiis exceptus notabilem accepit cladem. Non alius locus Francorum ſtrage celebratior. Roncauallis appellatur, Rollandi, aliorúmque Francorum Procerum cæde inſignis. Sub eam expeditionem Turpinus Rhemenſis Epiſcopus deceſſit, Poëtæ quàm Hiſtorico propior, idémque Caroli in bellis comes. At Carolus ſe viribus deſtitui ſentiens: ſacrarum litterarum, ſanctorúmque Patrum lectioni deditus anno imperij ſui XIV. exceſſit rebus humanis, vir bello, ac pace ſummus, iuſtitiæ, religionis, litterarum cultor eximius, & cum Conſtantino Magno vtique comparandus, cuius etiam teſtamentum memorabile. Quicquid in theſauris fuit, pauperibus, ſacríſque ædibus legatum. Ludouicus filius Imperij hæres; Bernardus nepos Italiæ Rex declaratus. Et Caroli ætas non Ducibus ſolùm, ſed etiam doctis viris floruit. Paulus Diaconus Hiſtoricus, Haymo, & Rabanus Oecumenius, Suidas, Theophylactus, & Alcuinus Caroli Auguſti doctor, per id tempus illuſtres fuêre. Quin ex Gymnaſiis ab illo inſtitutis magna ſubinde ſeges extitit hominum doctiſſimorum. Auxit quoque Caroli famam Græcorum Imperatorum infamia. Nicephorus Logotheta eius æqualis fuit, homo improbitate, ac perfidia inſignis, & hiante ſemper auaritia infamis. Nam pluribus theſauris per fraudem potitus nouas coaceruandæ pecuniæ excogitauit vias. Quicunque à tenui re ad magnas opes perueniſſent, hos theſauros inueniſſe criminans,

nans,

nans, fortunis omnibus exuebat. Dum ille vrbem regiam his artibus populatur, Saraceni Asiæ reliquias, Bulgari Thraciam populationibus vexare cœperunt. Itaque pace à Saracenis auro redempta in Bulgaros exercitum ducit, confligit, victos, exuit castris: sed victorẽ securitas vicit. Ab re benè gesta inflatus Augustus omnes conditiones pacis repudiabat. Igitur Crumus (Chrunnum alij vocant) Bulgarorum Dux, desperatione audaciam stimulante, noctu ex improuiso castra Græcorum aggreditur, ingentique edita hostium strage, Nicephorum ipsum obtruncat IX. iam imperantem annum, & augusti caput stipiti infixum, diu spectaculo, ludibrioque barbaris fuit, insigne insolentis victoriæ documentum.

Nicephoro Stauratius filius annuus Imperator; huic Michaël Curopalata suffectus, vir penitus à Nicephoro diuersus. Principatu inito nihil prius habuit, quàm vt spoliatis à Nicephoro bona redderet. Sed pace quàm bello melior extitit. A Leone Armenio copiarum Præfecto proditus, bello Bulgarico exercitum amisit. Itaque Leo præpollens opibus à suis legationibus Imperator salutatur. Et Michaël imperij minimè tenax, & insignibus vltrò Leoni missis, altero imperij anno fit Monachus, vir vtique Monasterio, quàm imperio aptior.

Leo Armenius exinde imperare cœpit; Is prælio cum Bulgaris commisso, dictis, factisque inclinantem erexit aciem. Itaque victoria parta de Bulgaris triumphauit. Nec bellicis solùm, sed ciuilibus etiam artibus præstitit. Magistratus omnes, delectu ex optimis viris habito deferebat, nullo relicto loco pecuniæ, gratiæve. Cæterùm Iconomachorum deinde errore implicatus, & Superûm & mortalium odia incurrit,

LVDO

LVDOVICVS PIVS.

A Christo nato anno DCCCXIV.

LVDOVICVS PIVS, Caroli patris æmulator, nihil potius habuit, quàm vt præberet se patronum Ecclesiæ. Itaque Romanos Leoni III. Pontifici insidiantes per Bernardum Italiæ Regem coërcuit. Stephanum inde V. Pontif. ad se in Galliam venientem quanto maximo potuit honore excepit. auitique instituti magis, quàm suæ Maiestatis memor insidentem equo Pontificem Augustus ipse pedes in regiam introduxit vrbem. Et Stephanus eum ritè inunctum, coronatúmque appellauit Augustum. Ludouicus porrò sublicíæ porticus, qua transibat, subita ruina mortalitatis admonitus, Lothario filio natu maximo imperium, ac regnum Frãciæ legat. Pipinũ Aquitaniæ, Ludouicum Bauariæ constituit Reges. Ius confirmandi Roman. Põtificis Carolo ab Adriano, vt quidam volunt, datum remisit, & paternam, auitámque donationẽ explicauit, sanxítque. Extat diploma imperatoriũ Ludouici. Cæterùm fama de diuisione regnorum, Francorùmque Procerum fauor Bernardum Italiæ Regem ad regnum Franciæ sibi armis vindicandum erexit. Sed impium bellum non maiore animo, quàm cõsilio gessit. Nam ingenti Ludouici exercitu conterritus ante pugnam patruo tradidit se. Hunc igitur ille à iudicibus capite dàmnatum, luminibus orbari sat habuit, regnóque exutũ Italiæ in ordinẽ coëgit. At Arioldus Daniæ Rex cũ coniuge, liberis, & Danica nobilitate Moguntię baptizatus à Pio Imperatore velut auctoramentũ religionis, Frisiã accepit.

Per

Per id tempus Leo Armenius Græcus Imperator impius (quippe sacris imaginibus bellum integrauerat,) mira quadam ratione vitam cum imperio amisit. Ipso natali Christi die de Michaële Balbo Maiestatis reo sumpturus supplicium, deprecante Augusta, distulit pœnam, quæ in ipsum vertit. Nocte insequenti Baldus è carcere elapsus, custodis opera contrahit veterum coniuratorum manum. Cum his sub Monachorum habitu sicas ferentibus, Imperatorem in Symphoniacorum choro canentem interficit imperij anno VIII.

Baldus adhuc compeditus (clauis quippe compedum non comparabat) Imperator salutatur. Qui Constantini Copronymi æmulator Episcopos sacrarum patronos imaginum, quà exilio, quà morte mulctauit. Cæteroquin Augustus ille Græcus, non Balbus solùm, sed etiam bardus fuit. Iumentorum ingenia atque indolem nosse sibi pulchrum ratus, tardissimo ipse ingenio erat, rudísque penitùs litterarum. Proinde ne pueros se doctores cerneret, erudiri eos litteris vetuit.

Saraceni interim Cretam, & Siciliam occuparant. Ludouicus autem Augustus Pannoniæ Rege domito, Lotharium filium Italiæ Regem destinauit. Is igitur Modoëtiæ ab Archiepiscopo Mediolanensi Rex Italiæ ritè appellatus, Romæ à Paschali Pont. imperatoriis ornatur insignibus. Subindè Ludouicus Britannis Franciæ incolis debellatis, Rothomagi legatos Balbi Græci Imperatoris audiuit pacem petentes, & de sacris imaginibus consulentes. At ille pace data ad Rom. Pontificem (is tum erat Eugenius II.) eos reiecit, sed frustrà. Itaque haud ita multò pòst Balbus incesto sacræ Virginis cõiugio potitus phrenesi, & intestino viscerũ dolore periit anno post inuasũ imperiũ IX.

Huius

Huius hæres Theophilus Iconomachus, impietate certans cum patre, sacras imagines pingi vetuit omninò. Earum loco pecudum auiúmque simulachra reponi iussit: quæ lex magnam piis hominibus, pictoribúsque procellam concitauit in Oriente.

Et in occidente Pipini Aquitaniæ Regis odium aduersùs Iuditham nouercam, in nefarium facinus erupit. Fratrum quippe ope, operáque, Ludouicum Augustum patrem, dolo comprehensum, abdicare coëgit imperium. Cæterùm Germanorum Procerum fauore dimissus Ludouicus, in pristinum restituitur gradum. Haud facilè aliàs magis paterna erga impios filios clementia extitit. Pipinum, & Lotharium, impunè vlcisci cùm posset, errati veniam petentes bona fide recepit in gratiam. Pipino exinde mortuo Carolum ex Iuditha genitũ Aquitaniæ Regem dedit. Ad extremum prodigiosa Solis defectio tantùm eius animo mœroris incussit, vt consecuto mœrorem morbo, supremum obierit diem anno imperij sui XXVIII. Ludouici mortem trium filiorum de paternis regnis certamen excepit. Igitur post accisas ciuili bello Franciæ vires, pax denique ita conuenit, vt Lothario imperium, & Italia, Carolo Francia, Ludouico Germaniæ regnum cederet.

Per eadem tempora Enechus, siue Ennicus, vir bello asper, ex quo Aristæ cognomen traxit, cùm ex Pyreneis iugis in Nauarræ plana descendisset, multa aduersùs Saracenos prælia secunda fecit. Itaque belli operibus ingens, primus Nauarræ Rex est appllatus. Huic Garsias Ennicus successit, non paterna gloria, quàm sua virtute clarior: cuius filius, ac successor Sanctius Garsia multis Cantabriæ opidis, ipsáque Pompelona de Barbaris recepta,

Nauarræ

Nauarræ regnum propagauit. Huius inuentum proditur calcei ex crudis coriis (*Abarcas* Hiſpani vocant) quibus ipſe adeò eſt delectatus, vt ex eo Abarca diceretur. Itaque eiuſmodi calceis milites inſignes habuit (tantum apud populum Regi exemplum valet) quorum egregia virtute Pompelonam à barbaris ſumma hyeme obſeſſam, per obſita niuibus, & concreta glacie loca tranſgreſſus, obſidione exemit, Raymirus autem Rex Legionis, Iacobi Apoſtoli ſpecie in ſomnis oblata, egregiam de Saracenis victoriam retulit. Eo prælio Apoſtolus ex equo candido, cum vexillo rubra Cruce inſigni pro Hiſpanis pugnans in acie conſpectus eſt. Ex quo Ordinem militiæ S. Iacobi inſtitutum auctor eſt Didacus Valera, quem Ordinem anno MCLXXX. inchoatum ſcribit Volaterranus, Eadem tempeſtate Rabanus, & Annonius, ſeu potius Aimonuis Hiſtoricus floruêre.

LOTHARIVS.

A Chriſto nato anno DCCCXLI.

LOTHARIVS Auguſtus Auſtraſiam regionem, quam ſibi in Francia reſeruarat, à ſuo nomine Lotharingiam appellauit. Inde Ludouicum filium Regem Italiæ declaratum, conſortem ſibi adiungit imperij. Cæterùm Lotharij principatus magnis Chriſtiani Orbis cladibus inſignis fuit. Saraceni oram Italiæ depopulati vexarunt Apuliam, Anconam diripuêre, Barium occuparunt. Vnde crebris excurſionibus Apuliam, Calabriam, Campaniam infeſtam habuêre compluribus oppidis in ſuam ditionem redactis.

Par

Par Saracenorum tempestas peruasit Armeniam, & Theophilus Græcus Imp. mœrore deletæ à barbaris patriæ suæ consumptus interiit anno Imperij XII.

Exin Michaël Porphyrogenitus adhuc infantulus, Theophili filius, cum Theodora matre imperitauit. At Theodora Augusta tota viro diuersa sacras imagines, quas etiam illo viuo impensè coluerat, extemplo restituit. Iuuit etiam imaginum causam salus Manueli, tutori Imperatoris, iam moribundo, si sacris imaginibus faueret, à Monacho quodam promissa & fauenti diuinitùs reddita. Porrò Bulgarorum Regi bellum inferenti denunciauit Augusta semet illi cum exercitu obuiam ituram. Proinde videret ipse, quid ageret, cui nec fœminam vincere gloriosum foret, & à fœmina vinci turpissimum. Ea vox barbarum Regem à belli consiliis auertit. Qui deinde morbo, ac malis domesticis afflictus, sororis (hæc apud Theodoram Augustam captiua Christianè educata fuerat) admonitu Christum inuocauit, cuius ope, malis repentè discussis Christiana sacra cum vniuersa Bulgarorum gente suscepit. Eodem fermè tempore Marci Euangelistæ corpus, ab Iustiniano Duce Venetias translatum, præsidio esse cœpit vrbi iam opibus præpollenti.

At Ludouicus Cæsar Romam profectus aui exemplo osculum Sergij II. Pontificis obtulit pedi. Itaque ab eo accepit insignia, & nomen Augusti. Saraceni subinde successibus elati traiecerunt in Latium. Ab his Apostolorum Petri, & Pauli suburbanæ Basilicæ spoliatæ, Latium omne depopulatum. Peruastata inde Campania, Tarentum direptum. Super hæc Veneta, & Constantinopolitana classis, quæ barbaris occurrerat, cum clade ingenti

repulſa, vt facilè appareret, illam non tam barbariæ vim eſſe, quàm iram diuini Numinis. Sed tandem cæleſtis ira recidit in iræ miniſtros Onuſti præda domum repetentes, fœda tempeſtate coorta, pariter cum præda obruuntur fluctibus. Paucis interiectis annis alia Saracenorum manus ſe in Latium tranſmiſit ea mente vt ipſam Orbis terræ arcem diriperet Romam. Cæterùm Leo I V. Roman. Pontifex tribus claſſibus, Neapolitana, Amalphitana, Caietanáque, quæ vrbi ſubſidio venerant, fretus, Romanas copias nulla re magis, quàm diuinis myſteriis armatas emittit in barbaros, & pij, piéque adminiſtrati belli felix exitus fuit. Nauali pugna Saracenus ad Oſtiam ſuperatus, & inſignis eſt relata victoria, quæ populo Romano antiquam naualis triumphi ſpeciem præbuit. Inde Leo I V. Pont. S. Petri ædem, refectis argenteis valuis, quas Saracenus abſtulerat, magnificè exornat, atque vt in poſterum tuta ab incurſionibus foret, circundat mœnibus. Noua vrbs Leonina conditoris nomine appellata. Fuit idem Pontifex etiam miraculis clarus, cuius ſanctitatis fama Adeolphum, ſiue Adilulphum Angliæ Regem Romam exciuit. Is benignè exceptus à Pontifice Angliam vectigalem Rom. Eccleſiæ fecit argenteo nummo in ſingulas familias impoſito, qui B. Petri nummus etiam noſtra memoria dicebatur. Lotharius porrò Auguſtus controuerſiæ tollendæ cauſa Beneuentanum ducatum ita diuiſit, vt Adelgiſus Beneuenti, Siconolphus Salerni, & Capuæ Principes eſſent: quæ Salernitani, & Capuani principatus fuêre primordia. At Lotharius ipſe, cùm poſt deceſſum Ludouici patris, annos X V. imperaſſet, rerum humanarum pertæſus abdicauit ſe imperio, & in Prumienſi Monaſterio dicauit ſe Deo, nobilior depoſito principatu,

patu,

patu, quàm administrato. Paterna hæreditas ita liberis diuisa. Imperium cum regno Italiæ penes Ludouicum stirpis maximum mansit. Carolo Provincia, & altera Burgundia; Lothario Burgundia altera cum Lotharingia cessit. Sunt qui ab Lothario Rege Lotharingiam appellatam velint. Per idem tempus Ado Episcopus Viennensis Historicus floruit.

LVDOVICVS II.

A Christo nato anno DCCCLVI.

LVDOVICVS II. Imperator, auitæ in Pontificem obseruantiæ haud parum memor, Nicolao Pontifici ad se in castra tendenti obuiam progressus, Pontificalem freno deduxit equum. Ab eodem Pōtifice libido notata Lotharij Regis qui coniuge repudiata, Pellicem duxerat. Et Rex cum Proceribus Lotharingiæ, Romam sui purgandi causa profectus in mendacio exitium inuenit. Nam cum ipse, ac Proceres apud Pontificem mentiti, ad sacram Eucharistiæ mensam accessissent: omnes intra finem vertentis anni variis casibus sunt extincti. Inter hæc dominandi cupido turbauit Italiam. Adelgisus Beneuentanus Princeps Sedoanum Saracenorum Bariensium Ducem in Capuanum principem incitarat. Igitur Barbarus populabundo exercitu Campanum agrum ingressus, obuias Christianorum copias fundit. Inde victoria elatus magnam Campaniæ partem populatur. Venafrum etiam subigit. Et alij subinde Saraceni prædæ dulcedine illecti Apuliam, Calabriamque occuparunt. Itaque Ludouicus Augustus exercitum in Saracenum ducit

Capuam, cuius perfidiam expertus erat, vi captam magna delet ex parte. Cæterùm Barium Saracenorum arcem summa ope oppugnare adortus, tandem irrito incepto recessit.

Nec verò Saracenis Italiam vrentibus, Orientis imperium ab hac peste intactum fuit. Michaël Porphyrogenitus, matre, ac tutoribus regimine amotis, Barda auunculo auctore, totum se ludis, ac nequitiæ dederat. Tandem Saracenis proxima regiæ vrbi loca populantibus, præsenti tandem periculo excitus occurrit hosti. Sed delicatus Imperator sine magno certamine victus castris exuitur, ludo, videlicet, quàm bello aptior. Exin Bardam proditionis reum compertum per Basilium Macedonem Ducem interficit. Basilium in compotatione temulentus socium adsciscit imperij. Qui deinde in conuiuio imperium Remigi à Michaële delatum ægrè patiens, Augusto super mensam obtruncato, sibi imperium vindicat.

Huius deinde classe subnixus Ludouicus Romanus Imp. Barium terra, maríque oppugnare instituit. Tandem anno quarto vrbs capta. Sodoanus ipse in Francorum potestatem redactus. Cæterum Ludouici nimia facilitas in victoria bellum instaurauit. Barbarus ab eo dimissus accitis nouis ex Africa copiis, Capuam, aliaque finitima oppida suæ ditionis fecit. Ergo Ludouicus ira furens in perfidum hostem agmen citatum rapit. Cætera oppida haud magno negotio recepta. Capua vix, tandem fame domita in deditionem venit. Eadem tempestate, Syracusas à Saracenis captas, auctor est Cedrenus. Ludouicus porrò, Saracenis Cãpania expulsis, Beneuenti ab seueritate, magnum adiit vitæ, famæque discrimen. Adelgisus Beneuenti Princeps cùm subdola oratione persuasisset Augusto, vt exer-

citum

citum dimitteret, Prætorium à præsidio nudum armis, atque igni oppugnare instituit. Itaque Augustum sacramento adigit, nunquam se in posterum Beneuenti fines ingressurum, neque eam iniuriam vlturum. At Ludouicus Romæ iureiurando à Pontifice absolutus, Adelgisum bello illato exegit Italia. Paucis interiectis annis Ludouicus Mediolani moritur, anno principatus XX. nulla virili stirpe relicta. Quæ fama patruos eius Carolum Caluum Franciæ, & Ludouicum Germaniæ Reges ad imperij certamen accendit. Cæterum Ioannis VIII. Pontificis Roman. prudentia, & auctoritate oriens incẽdium restinctum est. Contentio ab armis ad ius reuocata, coactóque Episcoporum Concilio imperiũ Carolo Caluo Ludouici Augusti patruo omniũ cõsensu datum. Per eadem tempora Sclaui Dalmatiæ incolæ cum Sueropilo Rege ad Christum adiuncti. Hungari, Balgaríque ad Christi fidem à Rege traducti, qui monachus factus vbi sensit à Trebellio filio regnum ad Deorum cultum reuocari, coacto exercitu filium bello victum capit, & effossis oculis in custodiam coniicit, regnúmque minori filio administrandum tradit, Christiana religione salua.

CAROLVS CALVVS.

A Christo nato anno DCCCLXXVI.

CAROLVS CALVVS Magni nepos à Ioanne VIII. Romæ Augustus ritè appellatus Pontificem ingentibus coluit donis. Sunt qui Ioannem VIII. fœminam fuisse fabulentur. Quod falsò creditum veri locum apud imperitum vulgus obtinuit: siue muliebris Pontificis facies, siue effœmi-

natus interdum vigor fabulæ deduxit locum. Caluus porrò Berengarium Foroiuliensibus, Vidonem, Spoletanis Duces dedit, magnarum Italiæ turbarum auctores futuros. Ipse autem Augustus bello parum prudens, felixque habitus. Carolus Crassus Ludouici Germaniæ Regis filius arma Francis inferebat: huic Caluus cum exercitu improuidè occurrit; militémque vigiliis, nocturnóque itinere, atque imbri fatigatum obiecit hosti. Itaque sine certamine victus, amisso exercitu, fugit. Nobilissimus quisque Francorum captus: sed clementer exercita victoria, captiui indulgenter habiti, gratísque dimissi. Quæ res Crasso in præsentia decori, inde etiam emolumento fuit. Exin Caluus Normannos Franciam effusè populantes, non armis, sed donis repressit. Ingens subindè Romæ extitit motus. Ioannes Pontif. Romanorum Procerum conspiratione comperta, Formosum Portuensem Episcopum, & coniuratos solemni ignominia notauit. Cæterùm domesticas insidias externa vis excepit. Saraceni, qui Tarentum tenebant, Salernitanos, Amalphitanos, Neapolitanósque perpulere, vt Romanam inuaderent ditionem. Et aduentatis cum exercitu Imperatoris opem intempestiua mors auertit. Iam Caluus, quòd præter Francorum Principum morem diademate, cæteróque habitu augustior incederet, cœperat esse Proceribus inuisus. Itaque Mantuæ per morbi occasionem Sedechiæ Iudæi Medici fraude extinctus, documento fuit, quàm tutò Christianorum salus Iudæis credatur Medicis. Imperauit annos II. Inter quæ Latium impunè à fœderatis hostibus populatum. Maius etiam in Campania damnum acceptum. Docibilis Dux Caietanus prælio victus à Saracenis, Garilianum oppidum efferatis concessit hostibus:

bus : ex quo multa grauiáque in Romanam ditionem mala fluxêre.

LVDOVICVS BALBVS.

A Christo nato anno DCCCLXXVIII.

LVDOVICVS BALBVS Calui filius, & hæres Ioannem VII. Pontif. ad se venientem Lugdum honorificè excepit more maiorum. Itaque ab eo vicissim Augusti insignibus, ac titulis decoratur. Cæterùm graui diutinóque implicitus morbo Imperator nullus fuit. Igitur regio ornatu ad Ludouicum filium misso, eum Franciæ Regem appellat : ipse decedit anno imperij sui II.

Iisdem fermè temporibus insignis iustitia, ac religio Basilij, Macedonis Græci Imperatoris enituit. Is quippe Magistratus integerrimis mandabat viris, maximéque ab ambitione alienis : & ipse quoties vacaret, iudiciis aderat, præconibus per vrbem circummissis, qui denunciarent adesse Augustum, eius ope, aut opera vti volentibus. In summa caritate annonæ apertis publicis horreis cum maximo fisci detrimento populi inopiam leuauit. Nec facile alius plura templa, vel instaurauit, vel condidit. Iudæorum complures etiam pecunia ad Christi sacra pollexit. Barbarorum quoque ingentem vim, in his Russos, ad veram traduxit religionem, misso ad eos egregiæ sanctitatis Episcopo. Igitur propitio Deo bella contra Saracenos feliciter per Duces gessit. Ameras Saracenorum Rex eum exercitu cæsus : Cretensium classis oppressa : Tarentum de Saraceno receptum.

CAROLVS CRASSVS.

A Christo nato anno DCCCLXXX.

CAROLVS CRASSVS Germaniæ Rex, Ioannis VIII. Pontificis accersitu in Italiam venit, ab eóque imperij insignia accepit, vt vnus Pontifex (quod nemini præterea contigit) tres crearet Augustos. Nec defuit Crasso materia virtutis, & gloriæ. Normannos, gentem è Scandia, & Franciam populantes acie vicit, victos nō tam in suam, quàm in Christi redegit ditionem. Gothofredus Rex cum tota gente Christianus factus, regio in Francia Normannis data, quæ deinde Normannia fuit. Atroces deinceps duorum Principum inter venationes casus produntur. Carolomannus Rex Franciæ ex apri vulnere obiit. Basilius Imper. Græcus cerui cornibus transfossus, effusis intestinis, efflauit animam anno imperij sui XX. Miserior etiam Crassi Augusti exitus fuit. Nam, cùm corpore simul, & animo languere cœpisset; à Germanis regio nomine exutus, & nouo exemplo patruus fratris filio Arnulpho in tutelam datus; sic vt Augustus ab eo victum emendicaret: tantúmque ex tam insigni contumelia mœroris hausit, vt haud ita multo post migrarit è vita anno XII. quàm imperare cœperat: vir tribus regnis, Germaniæ, Galliæ, Italiæ, & Imperij titulis (quod præter Carolum Magnum, & Ludouicum Pium nemini contigit) clarus, si parta regna maiestatémque regiam æquè tueri, ac parare potuisset. Exin cùm imperatoriæ stirpis virtus, indoléſque defecisset, Franciscum quoque imperium defecit anno, postquam

postquam cœperat, LXXXIV. Itaque regnum Italiæ cum imperio ad Italicos Principes deuolutum est, quorum æmulatio imperandi auida, magnis motibus concussit Italiam, Berengarius quippe Forojuliensis Dux, Adriani III. Pont. decreto subnixus, Rex Italiæ appellatur anno pòst Christum natum DCCCLXXXIV. Subinde Vido Spoleti Dux Stephano VI. Pontif. fauente, Rex Italiæ salutatus, Berengario duobus præliis debellato, viam sibi ad imperium fecit.

VIDO.

A Christo nato anno DCCCXCII.

VIDO imperatoris insignibus, titulísque à Formoso Pontif. decoratus, primus Italicæ gentis imperauit. Cæterùm nec quietum, nec diuturnum eius imperium fuit. Haud ita multò pòst Arnulphus Carolomanno genitus, Rex Germaniæ Vidonem Italiæ regno exutum compulit Spoletū. Ita Berengarius Arnulphi beneficio regnū recipit. Et Vido Arnulphū insectans, ad Tarum amnem subita sanguinis vomitione extinguitur anno principatus III. Ea tempestate Hispanienses Saraceni in Italiam delati, Fraxinetum arcem Cottiarum Alpium cepêre, vnde in Longobardiam excurrentes Garilianensium populationes propemodum æquarūt, & Romæ Formosus deformatus quidem à Ioanne Pontif. sed tamen elegantia doctrinæ ac morum nobilis, Pontificatum obtinuit: quæ deinde res ingentium in vrbe turbarum materiem præbuit. Berengarius porrò Lāberto Vidonis filio bellum inferente, ob iræ impotētiam desertus à suis, regnum amisit, Arnulphus

ſubinde à Formoſo Pontifice ad vrbis, Italiæque turbas ſedandas euocatus, Romam obſedit, quamdiu fruſtrà oppugnatam per occaſionem leporis fortè in vrbem refugientis capit. Romanis ſtationibus ludicro hoſtium inſequentium clamore, atque impetu, tanquam vero, conterritis. Hoc ſolum deerat vrbi victrici Orbis terræ dedecus, vt à lepore capta diceretur. Arnulphus igitur cæſis factioſis, ac turbulentis ciuibus, à Formoſo Pontifice inſignia, titulúmque extorquet Auguſti. Ex eo tempore Germani Proceres ſibi ius imperij, etſi nondum maturum, nec iure partum, præproperè vſurparunt.

ARNVLPHVS.

A Christo nato anno DCCCXCV.

ARNVLPHVS ex Caroli Magni ſtirpe ſanguinem magis, quàm indolem trahens, vi partum, violenter geſſit imperium. Cùm de nocte agmen duceret, libido eum cœpit Berengarij laternam præferentis excæcandi. Quod ille vbi ſenſit, trepidus abiecta laterna profugit. Hæc vecordiæ fama Arnulphum cũctis Italicis populis inuiſum fecit. Itaque ille Lamberto Regi infenſus: pleriſque Italiæ vrbibus captis, Firmum obſedit. Obtinebat eam vrbem Vidonis coniux, eadémque Lamberti Regis mater, vafra mulier in paucis, cuius fraude venenum Auguſto à famulo ſuo datum ferunt: mox graui lethargo oppreſſum ſoluiſſe illum obſidionem, ad vltimum phthiriaſi ſumptum periiſſe anno poſt partum imperium III. Ei Ludouicus filius à Germanis Proceribus ſubrogatus, ſolo nomine Auguſtus. Eadem tempeſtate noua Hunno-

rum

rum manus è Scythia in Pannonia consedit. Hi deinde Hungari appellati. Hungariæ nomen dedere, ac Ludouico Arnulphi filio debellato, stipendiariam fecêre Germaniam. Romæ interim ex contentione partium infandum facinus ortum. Stephanus VII. Pontifex, pessimo exemplo, Formosi Pontificis velut vitio creati acta rescidit, irrita declarata consecratione eorum; qui ab illo initiati fuerant sacris. Indignum deinde facinus proditur. Formosi cadauer effossum, & in conspectu omnium pontificalibus exutum insigniis, & cum profano habitu in Tiberim proiectum ferunt.

LAMBERTVS.

A Christo nato anno DCCCXCVIII.

LAMBERTVS à Stephano Pont. appellatus Augustus, in magna Ecclesiæ Romanæ perturbatione imperium gessit. Romanus Stephano sublectus, Formosi causam inde suscepit; eiúsque corpus ad Tiberina ostia repertum referri in vrbem iussit ad sepulturam. Id cùm Vaticanæ inferretur ædi, sacræ imagines venerabundæ excipere visæ, diuino Numine eius Pontificatum approbante. Proinde Pontifex, in Conuentu Episcoporum Formosum, sacrísque ab eo initiatos in integrum restituit. Subinde Lambertus Augustus Francorum Imperatorum donationes ratas esse iussit. Cæterùm Italici Principes, vt antè Berengarij, ita deinde Lamberti seuerum imperium exosi, consilia de illo pellendo agitarunt audaci magis conatu, quàm prospero euentu. Insidiæ patefactæ: de coniuratis supplicium sumptũ. Sed Lamberto vt cautio saluti,

ita securitas exitio fuit. Inter venandum cursu fatigatus quietem capiebat, vno Hugone custode, cuius pater in coniuratis fuerat. Is igitur paternæ cædis magis, quàm imperatoriæ largitatis memor, valido fuste sopitum somno occidit Augustum altero principatus anno.

Et Leo Græcus Augustus per id tempus simili periculo perfunctus est dissimili exitu. Accedenti ad aram templi, supplicandi gratia, fustis ceruicibus à sicario incussus vitam vtique ademisset, nisi pensilis lychnus fortè intercedens ruentem fregisset ictum. Quo casu admonitus Imperator Constantium filium penè infantem Cæsarem creat. Inde moriens Alexandro fratri paruum filium suum commendat, eidémque imperium legat adulto tradendum Cæsari.

Exinde nouum in Italia bellum. Berengarius, Lamberto vita functo, tertiùm regno Italiæ potiebatur, cùm Ludouicus Prouinciæ Rex Ludouici II. Augusti nepos, ad auiti regni spem erectus bellum intulit Berengario. Cum res parum prosperè cederet, pacem cum hoste fecit, hac lege, vt nunquam in posterum in Italiam se rediturum iuraret. Sed iurisiurandi religionem regnandi cupido vicit. Itaque cum maximis copiis transgressus Alpes, summis Longobardorum studiis recipitur ingentique Principum gratulatione Rex Italiæ salutatur. Romam inde progressus à Benedicto IV. ritè appellatur Augustus.

Per eadem tempora Regino Prumiensis Abbas, & Ado Viennensis, nobiles Annalium scriptores extitêre, quibus Simeon Metaphrastes suppar numeratur.

LVDOVI-

LVDOVICVS III.

A Christo nato anno DCCCC.

LVDOVICVS III. ob neglectam iurisiurandi religionem haud diutino est vsus imperio. Biennio pòst cùm pulso ex Italia Berengario, Veronam quoque cepisset, victorem securitas perdidit. Berengarius vbi eum securum ab hoste copias omnes dimisisse cognouit, occultè in Italiam insinuat, se, & corruptis portarum custodibus, Veronam silentio noctis ingressus cum fida necessariorum manu, Ludouicum aggreditur nihil tale metuentem. Capto cum periurij exprobratione oculos effodit: cæcum in ordinem cogit. Ipse recepta Verona regnum ter amissum recipit: quod pacatè deinceps per annos tenuit XX. Cæterum Italis pacem colentibus à barbaris otium non fuit. Hungari, peruastatis Bauaræ, Saxoniæque finibus, inuadunt Italiam, & omnia longè, ac latè populantes ipsam regni sedem Papiam petunt, sed Berengario cum ingentibus copiis occurrente capessunt fugam, multísque suorum amissis, petunt ab Italis, vt recepta omni præda ipsos incolumes abire sinant. Superbum à victoribus responsum redditum, quod in ipsos vertit. Quippe victi desperatione ad audendũ accensi Italos incautos cædunt, fugantque: documentum ad posteros, effugium hostibus vltro aperiendum. Hungari ergo victoria inflati Taruisium, Vicentiam, Patauium fœda populatione deformant. Exin Venetias contractis ad id lembis traiiciunt, & Clodia, cæterísque circa vrbem locis perpopulatis,

perpopularis, non Metamaucum modò, sed etiam Riuoaltum primi mortalium, postremique tentarunt. Tandem à Petro Venetorum Duce naualibus copiis repulsi, ad Apenninum vsque omnia depopulando peruadunt. Ad vltimum accepta à Berengario grandi pecunia remigrant domum auro victi, non armis. Sub id tempus Sergio III. Pontifice Cluniacensis Ordo ab Odone (is ex Benedicti disciplina erat) in Burgundia institutus.

Ludouico autem Germaniæ Rege, qui è Caroli Magni stirpe vltimus fuit, extincto, Conradus è Franconia, vir bello inclytus, à Germanis proceribus, Rex & Cæsar appellatur, qui aduersùs Hũgaros benè pugnauit. Huic septennio post rebus humanis exempto, Henricus Othonis Saxoniæ Regis filius subrogatus. Qui Hungaris Franciã, Alemanniã Saxoniamque vastantibus, cum exercitu occurrit, votóque nuncupato victor hostes penè deleuit. Inde Carolum Simplicem Franciæ Regem aduersùs rebelles tutatus, & Regem, & regnum sibi deuinxit, Lotharingia recepta. Saraceni porrò, qui Garilianum tenebant, Calabria, Apulia, Beneuento aliisque Romanæ ditionis vrbibus potiti, vicinia vrbi loca incursare cœperunt. Cæterùm à Ioanne Pont. per Saracenum transfugam, adiecta valida Romanorum manu, multis magnisque afflicti cladibus, Garilianum recipiunt se. At Ioannes Pont. omnibus fermè Italiæ Principibus, ipsóque Constantino Porphyrogenito Imper. Græco, ad eiiciendos Italia Saracenos, concitatis, Garilianum obsedit. Tandem Barbari, deserto oppido fugientes intercepti, & ad vnum cæsi. Satis constat pio bello diuinam opem adfuisse. Sigebertus auctor est, in præliis aduersus Saracenos Apostolos Petrum & Paulum pro Romanis pugnantes esse conspectos. Pari euentu Hungari

in

Germania, & Saraceni in Italia oppreſſi. Hungari, cùm tributum contra fas impoſitum repeterent ab Henrici exercitu occidione occiduntur: tributum, quod repetebat hoſtis, Deo victoriæ auctori conſecratum, & ſacris ædibus pauperibúſque diuiſum.

BERENGARIVS.

A Chriſto nato anno DCCCCXV.

BERENGARIVS interim Auguſtus à Ioanne X. ritè appellatus; parum quietum habuit imperium. Regni proceres Rodulphum Burgundiæ Regem in Italiam euocatum, pulſo eius ope Berengario, Regem Italiæ ſalutant. Ergo Berengarius regno exutus altero imperij ſui anno, Veronenſium fraude occiditur, rarum humanæ felicitatis vices variantis exemplum. Et Rodulphum præpropera cupido patrii regni reuiſēdi Italico regno ſpoliauit. Illo abſente Hungari, Mantua, Brixia, Bergomo, direptis, Papiam ipſam populatione, incendióque fœdarunt. Igitur alienatis à Rodulpho Rege populorum animis, Hugo Arelatenſis Comes, Lotharingiæ Regis nepos, ab Italicis Principibus euocatur, qui fauente Ioanne X. Pontif. Italiæ regnum Rodulpho ademit. Ac ſubinde Papienſium coniuratione ſolerter oppreſſa, tantam apud Italos prudentiæ famam collegit, vt nequaquam ludibrio vt cæteri Reges, ſed admirationi omnibus foret. Nefarium inde facinus traditurà fœmina ortum. Vido Tuſciæ Marchio, Marciæ coniugis inſtinctu, Ioannem X. Pont. comprehendit, faucibúſque ceruicali occluſis necauit. Sed paulò pòſt, Deo tanti ſceleris vltore diuinitùs extinctus eſt ille. At Marocia

Romæ

Romæ præpollens opibus, ne gratuitum Pontificis parricidium foret, Hugonem Italiæ Regem ad suas pellicit nuptias, vrbis Romæ imperium velut dotale promittens. Ita Hugo simul cum Marociæ coniugio, Vrbis imperio potitur. Sed impotentia animi breue id gaudium fecit. Albericus Marocia natus alapa ab Hugone percussus, quòd parum scitè manibus ministrasset aquam, stimulante ira Romanos perpulit, vt barbarum vrbe exigerent Regem. Veteri ergo Magistratu renouato, ipse Consul factus, exacto Rege, vrbem regit potestate consulari. Ex quo tempore Romani Regibus Pontificibúsque contemptis, veteris Reipublicæ formam reuocarunt, Consulibus, Tribunis pleb. & Præfecto vrbis ex antiquitate repetitis. Nec mirum Pontificatum tenebat illis temporibus Ioannes X I. Alberici Consulis frater. Per eadem tempora Genuæ fons per totum diem sanguine manans imminentem ciuibus portendisse dicitur cladem. Eodem quippe anno vrbs à Mauris ex improuiso capta: viri omnes interfecti: mulieribus, ac pueris temperatum; præda omnis in Africam deportata. At Hungari Campania depopulata, Marsorum, Pelignorúmque insidiis circumuenti, cæsique præda ingens de prædatoribus capta. Nec leuior subinde de Saracenis est illata clades. Hugo Rex Italiæ Saracenorum, qui è Fraxineto maritimam oram infestam habebant, classem Græco igni cremauit: & ea clades adeò barbarorum opes, atque animos fregit, vt Fraxinetum aliquando desererent. Exin Berengarius exul (Berengarij Augusti nepos erat ex filia) Romanis, Italicísque proceribus conciliatis, Mediolani gerere se pro Rege cœpit. Tandem res ita conuenit, vt regium nomen penes Hugonem, & Lotharium

eius

eius filium, regimen apud Berengarium foret. Cæterùm Hugo animi æger trans Alpes regressus cessit è vita.

Haud lætior Constatini Porphyrogeniti Græci Imperatoris exitus fuit. Is Lacapeno socero, quem consortem imperij adsciuerat, in ordinem coacto, tonderíque iusso, Romanum filium Cæsarem fecit. Qui etsi adhuc puer, habere imperium, quàm expectare maluit. Itaque patrem per annos iam XL. imperantem veneno sustulit: ipse parricidio oblitus inuadit imperium. Porrò Tapis Rex Hungarorum sub decessum Hugonis, ex Longobardia, Italiáque prædas agebat impune, Lothario sedente. At Berengarius pecunia populationem redempturus, argentum vndique tanta iniquitate extorsit, vt populationem hostium æquaret. Et decem nummorum modiis Hungaro datis, cæteram summã, quæ maior erat, auertit. Rei indignitas Lotharium ex mœrore in phrenesim lapsum extinxit. Igitur Berengarius Rex ab Italis salutatus, cum Adelberto filio regnũ obtinuit haud sanè quietũ à bellis. Adeleida Lotharij coniux Papia vrbe regia, quã dotis nomine tenebat, eiecta, Othoni Germaniç Regi nupsit. Otho igitur Papia dotali vrbe per vim recepta, cum vxore in Germaniã remigrat, Cõrado genero Lotharingiæ Duce relicto ad persequẽdum bello Berengarium. Qui prælio victus ad victoris clementiam vnà cum filio confugit; nec frustrà. Otho receptis in fidem supplicibus Regibus regnum restituit; Cæterùm Berengarius regno recepto, deseruit fidem. Namque Othone ciuilibus Italiæ bellis implicito, ab eo desciuit. Conradus quippe Dux, Othonis gener, Hungaris in socerum conductis, in Bauariam descenderat, tanta barbarorum mole, vt vulgo, nisi à terra absorberentur,

aut

aut obruerentur à cælo negarent se posse vinci. Sed Otho cum expedita manu eis occurrens Duce interfecto, tanta Hungaros cæde prostrauit, vt parem de exteris victoriam Germani numquam peperint. Sclauos belli socios par clades excepit. Inter hæc Berengarius Pontificiam hostiliter vexans ditionem humana iura, ac diuina miscebat. Igitur Otho Germaniæ Rex Ioannis XII. Pont. rogatu in Italiam venit, maximisque Italicorum Antistitum, Procerúmque studiis exceptus. Italiæ regno potitur. Ergo Mediolani Rex Italiæ appellatus, Romæ à Ioanne XII. imperatoriis decoratur insignibus. Ita demum Romanum imperium ad Germanos tran siit CXL. ferme annis, quàm peruenerat ad Francos.

OTHO.

A Christo nato anno DCCCCLXII.

OTHO Henrici primi Cæsaris, filius primus ex Germana gente legitimus Imp. ob animi, rerúmque gestarum magnitudinem Magni cognomẽ inuenit. Berẽgarium debellatum, captúmque in Bauariã relegauit. Principibus Italiæ res nouas molientibus, partim in Franciam, partim in Saxoniam amandatis, Romam venit, & in turbatores vrbis grauiter animaduertit. Consules Italia pulsi. Tribuni plebis (Decarchontes vocabantur) suspendio necati. Præfectus vrbis, qui, tumultus in Pontificem auctor fuerat, insigni ignominia notatus. Quippe nudus vtre redimitus, auersúsque asino per vrbem circumuectus, insuper virgis cæsus est, sempiternísque vinculis traditus. Insigne hoc imperatoriæ seueritatis

ritatis exemplum non vrbem modò, sed Italiam quoque pacauit. Exinde Otho veterem Pipini, Caroli, Ludouici donationem nouo decreto sanxit. Almaranum porrò generum suum, Marchionem Montis Ferrati constituit: vnde illi fluxêre Marchiones. Sigebertum quoque, siue Albertum Canusini Comitis filium Marchionem Atestis fecit, quæ Atestensium, siue, Estensium Marchionum origo fuit. Et Thealdus Sigeberti frater à Ioanne XIII. Pontif. deinde Dux Ferrariæ est appellatus. Exin duo in cœlo Soles visi, & eodē anno Otho filius vnà cum Othone patre Romam profectus à Ioanne XIII. Pont. ritè est coronatus. Sub id tempus Mieslaus Poloniæ Dux XIV. cùm tota gente Christi fidem secutus. Haraldus Rex Danorum Baptismate expiatus ad Christi fidem regnum omne pellexit.

Inter hæc Romanus Constantini Augusti filius in Oriente imperitauit cognomento Puer. Quippe luxu diffluens, ludísque, & epulis deditus Bringæ cubiculario suo regimen mandauit imperij. Igitur III. principatus anno deliciis consumptus obiit ganeo veriùs, quàm Princeps. Huic subrogatus Nicephorus Phocas: cuius principatum variæ clades nobilitauerunt. Nam Siciliensibus Saracenis tributum ex veteri pacto postulantibus, tantum imperij probrum haud ferendum ratus, instructissimam classem Manuelis Patricij ductu in Siciliam misit, honesto magis consilio quàm felici. Classis temeritate Ducis tota periit, & Dux cum exercitu cæsus. Aliæ deinde super alias clades acceptæ, quarum illa præcipua. Theophaniam, seu sororem, seu filiam (nam vtrumque traditur) Othoni Augusto filio cùm despondisset, missos ab Othone in Calabriam ad sponsam deducendam cum ingenti apparatu, Græca fide trucitandos, spoliandósque curauit.

curauit. Otho igitur Magnus Græcis cæsis, Saracenisque Italia pulsis, Calabriam, & Apuliam subegit. Et Nicephorus quà inertia, quà auaritia popularibus inuisus Constantinopoli à plebe vrbana maledictis, saxisque incessitur in foro. Ad vltimum Theophanionis Augustæ iussu à Ioanne Zimisce in suo lectulo interficitur imperij sui anno XII. Interfecti Imperatoris præmium, imperium fuit. Inde à Zimisce Græco Imperat. Theophania sponsa ad Othonem filium missa, quæ Romam progressa à Ioanne XIII. Augustæ titulo insignitur.

Nec ita multo pòst Otho Magnus pater extinguitur, rarum in longo principatu humanæ felicitatis exemplum. Quippe eodem semper virtutis, & gloriæ tenore annos imperauit XXX. nulli Imperatorum secundus, & translato ad Germanos imperio memorandus; apud quos iam manet annis amplius DC.

Othoni Magno ætate suppar, sanctitate prior Stephanus I. Rex Hungarorum fuit, qui quod Geisa pater inchoarat, Hungaros ad Christi fidem adiunxit, ac demum religiosissimè vita perfunctus Sanctorum numerum auxit Apostolico Rex titulo, quàm regio clarior. Per idem tempus Liberius Moscouiæ, & Vildominus Prussiæ Duces Christo aggregauere sese: Felix omninò nomini Christiano seculum, quo intra XC. annos Polonia, Dacia Hungaria, Moscouia, Russia, barbaræ olim nationes, Christianis sacris mansuefactæ: & tribus Regibus, duobus potentissimis Ducibus Christiana res aucta est sarciente Numine Orientis damnum accessione Occidentis.

Per eadem tempora Luitprandus Diaconus Ticinensis Historicus claruit.

OTHO

OTHO. II.

A Christo nato anno DCCCCLXXIII.

OTHO II. Imp. paternam virtutem nomine magis quàm indole retulit. Cum Lothario Galliæ Rege, Germanisque Principibus bella gessit haud sane fortiter, feliciterque. Itaque cum eius maiestas apud populares exolesceret, Italici populi contempto Augusti imperio, passim libertatem vsurpare cœperunt. In plerisque ciuitatibus Consules facti, priuatis Respublica consiliis administrari cœpta. Romæ in primis tumultuatum & tumultus plures deinceps, Pontifices exercuit.

Inter hæc Zemisces Orientis Augustus Basilium, Constantinum Romani Cæsaris liberos, imperij consortes fecit raro ad posteros exemplo. Bellum inde aduersùs Russos, Scythicam gentem feliciter iuxtà, ac fortiter gessit. Fama tenet, Theodorum Martyrem in acie pro Græcis visum esse pugnantem. Cæterùm inclyto ceteroqui Imperatori immodica lingûa exitio fuit. In Basilium eunuchum cubiculariũ suum intemperãtius inuectus lento veneno ab illo extinguitur, cùm nondùm VII. principatus explesset annum: Basilius inde, & Constantius fratres concors imperium tenuêre. Itaque Creta insula Saracenos eiiciunt. Saraceno inde milite conducto, classem in Italiam destinant, Barium expugnant, Apuliam, Calabriámque recipiunt.

Otho, cum ingenti exercitu in Italiam regressus Romam venit, Italicisque Proceribus ad conuiuium inuitatis, inter epulas, in seditiosis supplicium, cæteris

cæteris inspectantibus sumpsit, insigni ad memoriam crudelitatis exemplo Ex eo Sanguinarij cognomen Othoni factum, quippe hac cæde imbutus cum insontibus conuiuium celebrare sustinuit. Bello deinde Græcis illato, rem primò prosperè gessit; deinde odio veteris crudelitatis offendit. Namque à Beneuetanis copiis subito destitutus accepta clade in hostium venit potestatem. Qua tempestate Saraceni nullo negotio Italiam occupassent; si scissent vti victoria, Sed deserta omnia sine viribus, sine capite diuina prouidentia tutata est, quæ victoribus prædonum potiùs mentem, quam hostium dedit. Cæterùm Otho fuga elapsus, contractis vndique copiis, Beneuentum ex improuiso capit, diruitque, ciuium proditionem vlturus. Tandem Romam regressus, mœrore animi absumitur anno imperij sui X.

Per idem tempus Regino Abbas Monasterij Promiensis Chronicon, & Vvindichindus rerum Saxonicarum historiam conscripserunt.

OTHO III.

A Christo nato anno DCCCCLXXXIV.

OTHO III. Othonis II. filius, Magni nepos, auo, quam patri similior extitit Is vnà cum Maria coniuge à Gregorio V. Pontifice Augustalibus insignibus decoratur. Quo fermè tempore; regis Francorum stirpe extincta; Hugo Capetus Othonis Magni ex filia nepos, originem à Carolo Magno trahens, Franciæ regno potitus est Othone III. approbante Gregorius V. Pontifex septem Germaniæ Proceribus ad creandum Cæsarem ius suffragij

dedit.

sedit. Electores imperij appellati; decretúmque, vt ab his creatus Cæsar diceretur: vbi verò Rom. Pontificis auctoritas accessisset, appellaretur Augustus. Egregium porrò iustitiæ documentum principatus Othonis initia nobilitauit. Maria Augusta Comitem Mutinensem nequicquam in sui amorem pellicere conata, amore, vt fit, in odium verso, insontem vltrò insimilauit apud virum suum eo crimine, quod in ipsam valebat, Comes de Augusti fama magis, quàm de vita sua sollicitus, vbi rem cũ vxore sua fœmina prudentissima contulit, haud cunctanter creduli Imperatoris iussu pœnas capite luit innoxius. Inde Comitis coniux Augustum in Conuentu viduis ius dicentem adit; candentíque lamina impunè manibus tractata, fidem facit virum suum insontem morte mulctatum, & Augustam falsi criminis architectam ad supplicium vocat. Ita illa igni cremata debitas libidinis, & calumniæ pænas exsoluit. Porrò Othone in Germaniam reuerso, ingens turba extitit Romæ. Crescentij Consulis Rom. opera, Ioannes Pseudopontifex aduersùs Gregorium creatus, Pontificem perpulit vt ad Othonem confugeret. Extemplò igitur Augustus infesto agmine Romam petit. Interim Crescentius Adrianj molem omni ope communierat, ex quo Turris Crescentij est appellata. Cæterùm cùm Romani tandem malis victi deditionem fecissent, vis omnis versa est in auctores malorum. Pseudopontifex ignominiosè tractatus. Crescentius contra fidem datam maiestatis damnatus, & cum duodecim scelerum sociis suspendio extinctus. Mortuo deinde Gregorio V. Pontifice, Gerbertus Rauennas Archiepiscopus, Magister olim Augusti, sublectus Syluestro II. nomen factum. Ab eo Boleslaus cognomento Crobius primus Poloniæ Rex appellatus

appellatus Sylvester Pontifex ob exquisitam reconditarum rerum scientiam, Magus falsò est habitus ab imperitis: Ex quo horrenda de eius interitu manauit, fabula. Ipse porrò annus à Christo nato millesimus Saracenico bello insignis fuit. Saraceni in Campaniam delati, Capuam occuparant. Igitur Otho validâ manu barbaros aggressus haud minore virtute hostes deuicit, quàm felicitate Capuam recepit. Belli cura perfunctus ad exsoluendam perfidiæ in Crescentio necando religionem animum adiecit. Ergo Romualdo Cassinensi Abbate auctore, post alia piacula, Archangeli Michaëlis Ædem, in Gargano monte sitam, nudis adit pedibus maiore pœnitentiæ, quàm victoriæ gloria. Cæterùm Romualdo suadenti; vt imperium cum Monasterio commutaret, obsequi in presentia noluit. Ita optimum consilium temerè dilatum mora discussit. Romam profectus insolito extinguitur casu. Crescentij olim vxor regnandi auida suis illecebris Othonem pellexerat. Itaque ob subitum Augusti ex vrbe discessum ira furens venenatas chirothecas pro munere amatorio ad eum mittit. Qua ille peste infectus VI. imperij anno absumitur; memorandum pestiferi amoris documentum. Eodem fermè tempore Othonis III. iussu, Apostoli Bartholomæi corpus Beneuento Romam asportatum, & in insula Tiberina, condito ad id templo situm.

Inter hæc Basilius Græcus Imperator, Phoca Barda tyranno armis oppresso, victoria nitens solus imperauit: inane tantùm imperatoris nomen fratri reliquit. Bulgaris inde ingenti clade domitis, Bulgariam omnem subegit. Sed hostium victor ab auaritia victus nouis tributis ærarium refersi tauro.

Per eadem tempora trium in Italia populorum Genuensium, Pisanorum, Florentinorúmque opes auctæ.

auctæ, Genuenses quippe Corsicam, Pisani Sardiniam, Pontifice annuente, de Saracenis recepêre. Florentini Fesulis potiti, vrbe euersa, ciues Florentiam deduxêre. Ita Florentia creuit Fesularum ruinis. Henricus porò Cæsar in Germania creatus Mediolanensibus opem tulit. Ergo Ardoino, qui regnum Italiæ occupauerat, debellato, Romam progressus à Benedicto VIII. Pont. consecratur Augustus, cùm imperium occidentale vacasset annis XII. post obitum Othonis III. Imperatoris.

LIBER VIII.

HENRICVS II.

A Christo nato anno M.III.

HENRICVS Cæsar hoc nomine II. sed primus Augustus, bellicæ virtutis laudem sanctitatis gloria cumulauit. Donata Romanæ Sedi à Pipino, & aliis Imperatoribus rata esse iussit. Pandulphum inde Capuanum Principem, qui ad Basilium Græcum Imperatorem defecerat acie victum captúmque in Germaniam relegauit. Principatus Capuanus Pandulpho Theanensi Comiti concessus. Deinde Græco exercitu ad Salernum fuso, fugatoque pacauit Italiam. Cæterùm nulla Henrici laus admirabilior, quàm quod Cunegundam Augustam parentibus intactam, vt acceperat moriens reddidit, adeo sanctus Imp. virginalem

lem lauream imperatoriæ prætulit stirpi ; æterna magis imperia intuens, quam caduca. Decessit XI. principatus anno, sanctimonia clarus. Itaque deinde cum Cunegunda vxore, vitæ socia, in cælestium numerum est relatus, vt nominis sui cultum propagarent, qui generis stirpem propagare neglexerant. Conradus inde Dux Franconiæ Henrico subrogatus ipsius Henrici suffragio Henrico Principe, duæ egregiæ sanctorum virorum familiæ ex Benedictino instituto profectæ altera Camaldulensis à S. Romualdo, altera Vallis vmbrôsæ à Ioanne Galberto inchoata. Eadem tempestate Turcæ, gens ab Scythia oriunda, Syriam depopulati Hierosolymitanum templum, Christi sepulcro nobile, spoliarunt.

Basilius tum Orientis imperium tenebat, avaritia, & crudelitate infamis: Qui versis in Bulgaros armis, victor XV. hostium captiuorum millibus effoderat oculos vno singulis centuriis lusco duce relicto. Huic LII. principatus anno Constantinus filius successit, qui delictis, ac desidiæ addictus, imperio aliis commisso, voluptatibus ipse seruivit. Immensos thesauros per fas, ac nefas à patre collectos dissipauit. Barbarorum quippe motus non armis, sed muneribus sedandos ratus, hostes accendit ad prædam. Seruis quibus ad verrendum cubiculum, conciliandúmque somnum vtebatur plaustra pecuniis onusta donabat. In asseclas profusus erat vltra fidem. Calumniatoribus deditus, & in supplicia pronus, complures Principum orbauit oculis. Demum aut III. imperij anno moriens Romano Argyropolo per manus imperium tradit, hoc tantùm vtilis Imperator, quòd breuis fuit. Huius ferè æqualis Casimirus Regia stirpe natus, Ioanne XX. annuente; ex Monacho Cluniacensi Rex

Poloniæ

Poloniæ factus, regiis virtutibus floruit.

Per idem tempus Sanctus Maior Rex Nauarræ Castellæ Comitatum vxoris beneficio adeptus Castellæ Regem se dici voluit, quod regni Castellæ initium fuit. Ferdinandus autem magnus Castellæ Rex Legionense regnum paterno adiunxit hæreditarium vxoris; sed moriens filiis tribus regna diuisit. Huius filius, atque hæres Ranimirus, seu Ramirus, vir bello clarus Aragoniæ Rex dici voluit. Hæc regni Aragoniæ origo notatur, cuius vocabulum ex Tarracone constat esse corruptum.

CONRADVS.

A Christo nato anno MXXVII.

CONRADVS interim Augustus ab eodem Ioanne XX. Pontif. creatus, armis & religione insignis extitit. Italicorum Principum coniurationem repentino oppressit aduentu. Mediolanensibus inde coniuratorum fautoribus infensus Mediolanum obsidet, vrbi exitium minitans. Cæterùm S. Ambrosij minax obiecta species Augustum ab incepto deterruit. Conradus porrò domitis Hungaris, Petróque eorum Rege in regnum restituto, Hungariam sibi vectigalem fecit. Subinde Pandulpho Capuano principe ob defectionem debellato eius principatum Vaimaro Salernitano Principi dedit. His rebus gestis clarus decessit anno quàm imperare occeperat XIII. Conrado Imperator. Robertus, & Ricardus Normanorum Principes, ingentem populariium suorum manum in Italiam traduxerunt ex Francia qui per Italicorum Principum discordias, aliquot Campaniæ

oppidis potiti, in Apulia consedêre.

Romanus porrò Argyropolus, Græcus Augustus primò benignitate in pauperes & captiuos inclytus fuit. Inde accepta ab Saracenis clade, ex benigno principe acerbus factus est Quæstor. Cæterùm Zoæ coniugis infœcundæ pertæsus, eius fraude periit anno imperij sui VI. Michaëli Calephato Imperatoris interfectori, atque adultero sceleris, ac flagitij merces imperium fuit. Is igitur, vt erat ingenio subdolo, cognatos omnes Augustæ fecit eunuchos: Augustam ipsam paulatim imperio exutam, tonsámque relegauit. Cæterum Zoë, inuito Michaële à Senatu, ac populo tumultuante reuocata, recepit imperium. At Michaël suæ vitæ metuens, depositis imperij insignibus, Monasterio se addixit, necessitate magis Monachus quàm voluntate. Ibi vt aliquando mentis oculos aperiret Augustæ iussu luminibus orbatur.

Eadem tempestate Berengarius Archidiaconus Turonensis primus sacrosanctæ Eucharistiæ oppugnare veritatem cœpit; sæpiúsque posteà alternans sana, ac vesana dicta, ad extremum, sacrilegum deposuit errorem. Porrò Maniacus Apuliæ Prætor (Gaptanum Græci vocabant) contractis Græcorum copiis, acceptisque ab Vaimaro Principe Normanorum auxiliis, magnam Siciliæ partem de Saraceno recepit. Captis Syracusis, Luciæ Martyris corpus Constantinopolim missum, victoriæ indicium. Sed Maniaco Byzantium reuocato, Stephani Græci Ducis inertia auaritiáque, insula non sine Græcorum clade rursus amissa. Et Siciliensem cladem Italica excepit clades. Ardoinus genere Longobardus Normanorum (quorum peregrina virtus inclyta iam erat in Italia) copiis fretus, Melphim, Venusiam, Asculum, totámque fermè Apuliam

liam adimit Græcis, Apulia inter Normanos diuisa quorum Principes Ranulphus Auersæ Comes; & Guillelmus Drogoque fratres erant.

Per idem tempus in Oriente Zoë Augusta cum Theodora sorore germana imperauit. Sed Zoë viri cupida Constantinum Monomachum, virum bellicis operibus clarum, in imperij societatem adsciuit.

Inter hæc Henricus Conradi Augusti filius, Rex Germaniæ, Boëmico, Hungaricóque bello aliquando defunctus in Italiam transiit. Exules Longobardos olim à Conrado Imp. propter coniurationem eiectos restituit. Qui humilitatem, quam præ se in exilio tulerant, retinentes, Deo reliquam dicarunt vitam. Hinc nonnulli tradunt Humiliatorum Ordinem natum, qui Mediolani maximè floruit. At Henricus cum Agnete coniuge Romam profectus, coacto Episcoporum cœtu, schisma sustulit. Itaque à Clemente II. Pont. Augustalibus decoratur insignibus. Ab eodem Clemẽte, auctor est Blondius, suffragia populo Romano comitiis Pontificiis adempta, proptereà quod iure suffragij abutebatur ad schismata.

HENRICVS III.

A Christo nato anno MXXXVII.

HENRICVS III. Imperator vita, famáque egregius fuit Capuanum principatum Pandulpho reddidit. Drogoni, & Ranulfo Auersæ Comitibus partam bello ditionem sua auctoritate sanxit. Cardinalibus in noui Pontificis creatione dissidentibus, ab altera factione rogatus Imperator, vti legeret ipse Pontificem, sibi nimium arrogauit:

Brunonem quippe Tullensem Episcopum, pessimo exemplo Romano Pontificali destinauit ornatu. Sed Ildebrandi Saonensis Monachi prudentia correxit temeritatem Augusti. Is etenim Brunoni auctor fuit, vt Pontificalibus insignibus depositis, Romam peteret habitu peregrini. Itaque Romam Ildebrando comite profectus, cùm suam Cardinalibus causam probasset, admittente eodem Ildebrando Pontifex creatur. Leoni IX. nomen factum. Qui salubris consilij memor Ildebrādum in Collegium Patrum coaptauit. Et ipse pietate clarus extitit. Leprosum ante ædium fores nactus, sedulò curatum in suo lectulo collocarat: quem cùm deinde non reperisset, sensit ab se Christum in paupere exceptum hospitio. Sed domi pius magis, quàm militiæ felix fuit. Beneuentum cùm frustrà repetisset, Normanis ipsemet arma intulit cum valida Germanorum manu. Atque hostes quidem primò victi, fusique cesserunt. Sed collectis inde copiis, Pontificia castra ex improuiso adorti ipsos vicêre victores. Germani ad internecionem cæsi, Pontifex ipse captus est. Cæterùm ab hoste hospitaliter habitus, & cum ingenti honore (tantùm Pontificis maiestas valuit) gratis Romam reductus.

Nec minor per id tempus maiestas absentis Pontificis apud Græcos fuit, quàm præsentis apud Normanos fuerat. Constantinus Monomachus Constantinopolitano Patriarchæ primas deferebat, legatos super ea re à Pontifice missos reuerenter magis, quàm obedienter audiebat. Igitur posteaquam Patriarcha & Augustus ad Concilium ex Pontificis auctoritate indictum venire recusabant, legati Vrbe egressi sandalia sua (vti Apostolis Christus præceperat) in eos cum cælestibus

mini

minis excutiunt. Ea res ciuitatem vniuersam, ipsúmque Cæsarem, & Patriarcham tanta religione perfudit, vt cuncti postridie saccis induti, & cinere conspersi legatos adirent, Pontificis faciem in eis venerantes, & imperata facturi. Ita controversia haud magno est negotio sublata, Patriarcha discordiæ auctore damnato. Exin Zoë Augusta morbo absumpta; & Monomachus ancipiti exemplo, Alanam pellicem Augustam fecit. Sed paulò pòst morbo articulari miserè consumptus extinguitur principatus sui anno XIII. Constantino Monomacho imperante, Turcæ à Mahomete Persidis, ac Mediæ Rege, sub quo meruerant desciuêre, & Seduci Sultani ductu, Saracenis debellatis, eorum sectam cum regno susceperunt anno eius sæculi circiter L. Hinc exitiale nomini Christiano Turcicum regnum extitit. CCCC. fermè annis post Saraceni regni Principia.

Eadem tempestate Pisani à Musacto Saracenorum Rege Sardiniæ possessione exuti, Genuensibus Corsicæ ademêre partem. Inde Sardiniam, Saraceno expulso, recepêre. Hæc inter Pisanos, & Genuenses semina fuêre bellorum. Pisani porrò in Siciliam classe delati, Panormum, quod à Saracenis tenebatur, captum diripiunt, ac domum reuecti Episcopales ædes, ac Basilicam egregiam ex Siciliensibus manubiis extruunt.

Porrò in Oriente Theodora Augusta tanta cum laude prudentiæ, ac moderationis imperium tenuit, vt illa imperante nemo desideraret Augustum. Sed altero anno decessit Michaële Stratonico adoptato.

At Henricus Romanus Augustus, Victore II. Pontifice in Saxoniam accito, in eius conspectu, complexúque efflauit animam. Regnauit annos

omninò XVII. omnibus in rebus felix æquè, ac pius. Efflorescebat eo tempore Petri Damiani egregia indoles. Qui deinde à Stephano X. Ostiensis Episcopus creatus, magno Christianæ rei præsidio fuit, decorique.

HENRICVS IV.

A Christo nato anno M L V.

HENRICVS IV. filius Henrici III. adhuc puer, Cæsar appellatus, ob ingenij violentiam, ad Augustalia decora nunquam peruenit. Prauis quippe domesticorum consiliis deprauatus, sacerdotia, ac munera Ecclesiastica Canonicorum, Abbatum, Episcoporum, pessimo exemplo venalia habuit. Quæ semina ingentium certaminum fuêre inter Pontificem, Cæsaremque. Inter eius principatus initia Nicolaus II. Concilio Romæ habito castitatem Sacerdotum iam prolapsam seueris adstrinxit legibus. Cauit etiam, ne quisquam profanus homo, nec gratis, nec pretio cuiquam sacerdotia, sacrósve ritus deferret. Eodem in Concilio Berengarius vetus Eucharistiæ oppugnator, errorem suum ter tribus Conciliis ingulatum abiecit. Sunt qui eodem ipso Concilio creandi Romanum Pontificem ius ad Cardinalium suffragia reuocatum tradant: ex eo Cardinalium auctoritatem maximis deinde incrementis auctam. Inter hæc Robertus Viscardus Drogonis frater, hæresque, Apuliam, Calabriámque subegerat. Ricardus eius frater Capuam ademerat Landulpho Principi. Iámque ambo iunctis armis pontificiæ ditioni imminebant, cùm anathematis quasi fulminis vi conterriti

conterriti profitentur se in potestate Pontificis futuros. Itaque Nicolaus ad vim impar concedendum ratus, quod eripi non poterat, Ricardo Capuanum principatum, Roberto ducatum Apuliæ, Calabriæque confirmat. Cæterùm & eorum fides sacramento obligata Pontifici Romano, & certa in singulos annos pensio constituta. Hinc Apulia, Calabria, Campania fiduciariæ possessionis (quam feudum dicimus) esse cœperunt. Viscardus porrò ex hoste patronus Ecclesiæ, Pontificiam ditionem pacauit armis. Eodem tempore Petrus Damianus Mediolanensem Antistitem, ac Sacerdotes qui pellicibus implicati à Pontifice Romano defecerant, ad eius auctoritatem reuocauit. At Henricus Cæsar, Nicolao vita functo, Cadaloum seu Cadalum, ex Parmensi Episcopo Pontificem ab se creatum, Romanis obtrudere molitus est armis & ius vi victum foret, nisi pro iure diuinum Numen, & humana pietas stetisset, Mathildis Tusciæ Comes virili animo mulier, pro Pontifice arma cepit. Cum Gilberto Longobardiæ Præfecto ad vrbem confligit, regias copias simul cum Pseudopontifice fundit fugátque.

Inter hæc Byzantij Michaël cognomento Stratioticus, homo in togatos benignus in milites asper, breui ab exercitu exutus imperio est, Isaaco Comneno sublecto. Et Stratioticus, abiectis imperij insignibus, haud sane inuitus cessit regia, Cœnobiúmque adamauit, cœlo vitæque tranquillitate potiturus. At Comnenus auaritia captus curas omnes intendit ad resarciendum ærarium. Itaque rescissis superiorum Cæsarum actis, ab eis donata eripiebat: cænobiis sacrisque Ædibus consecrata vindicabat sibi. Cæterùm graui implicitus morbo tãdẽ resipuit. Ergo raso capillo, pro Purpura,

asperam lacernam sumit; Constantinóque Duca in imperij fastigium adscito, ipse in Cœnobium recipit se. Et pœnitentia felix, non solùm vera extitit. Ibi recuperata valetudine reliquam exegit vitam priuatus melior, quàm Princeps.

Dispar Henrici Romanorum Cæsaris pœnitentia in pari, aut etiam maiore scelere fuit. Is quòd Abbatias, Episcopatúsque palàm nundinaretur opima Cœnobiorum, sacrarúmque Ædium prædia assectis suis condonaret; decumas à Sacerdotibus exigeret, ab Alexandro I I. Pont. Romam ad causam dicendam citatus non paruit; igitur à Gregorio V I I. (is Ildebrandus olim Monachus fuit) piorum cœtu prohibitus est. At ille irâ furens, in Conuentu Vormaciensi Pontificatum Gregorio abrogauit. Et Cincius Præfectus Vrbis, Henrici vt creditum est, impulsu, Pontificem insidiis exceptum in turrim inclusit. Sed vis in violenti hominis caput vertit, domúmque. Turris à populo Rom. expugnata, ac solo æquata. Pontifex liberatus, Cincius desecto naso, non sine ignominia relegatus. Inde in Consilio Lateranensi Gregorius sacris interdixit Henrico turbarum auctori, eius popularibus fidei, solemnisque sacramenti religione absolutis. Ergo ille Germanis Proceribus eius congressum auersantibus populísque certatim deficientibus, consternatus animo, vtcunque resipuit. Protinus ad Canusium, vbi tum Pontifex apud Mathildem diuersabatur, venit vulgari habitu, nudis pedibus, supplex veniam petiturus. Et ad portam oppidi sub dio, perfrigida tempestate, ieiunus expectauit ad vesperam. Quod cùm iterum, ac tertiò frustra fecisset, quarto tandem die Pontifex, Mathilde, & Azone eius viro deprecantibus, eum admisit. Et iureiurando obstrictum, se in Pontificis

Rom.

Rom. potestate futurum, atque in Augustino Concilio obiecta crimina diluturum absoluit sub ea conditione, vt nisi promissa fecisset, ius amitteret regni. Quæ omnia Henricus prolixè recepit, Pontificis genibus aduolutus. Vix alia vnquam pœnitentiæ species illustrior, si vera foret. Sed perfidia Cæsaris post veniam impetratam, satis ostendit illa omnia vana fuisse, & temporis causa simulata. Dum Cæsaris maiestas nefariis flagitiis exolescit, Robertus Viscardus imperatoriis officiis fungebatur. Tarento, ac Bario potitus Panormum, aliáque complura Siciliæ oppida barbaris ademit: ita Saraceni, Græcique, Sicilia, Italiáque expulsi omnes præter Sacerdotes. Exin Viscardus, Salernitano Principe debellato, Salerni etiam principatum suæ ditionis fecit. Nec in Italia solùm Normanorum opes, sed in Francia quoque, & Anglia creuerunt. Guillelmus Normaniæ Rex ab Eduardo Angliæ Rege, propter affinitatem hæres institutus in Angliam cum ingenti classe traiecit; & Araldo adulterino Rege debellato, Anglia potitur. Ex eo Normani sanguinis Reges Apulia habere cœpit.

Eadem porrò tempestate Græcorum opes magis etiam in Asia à Turcis, quàm in Italia Normanis, debilitatæ, fractæque. Constantinus Ducas Græcorum Imperator cætera pius, sed pecuniæ tenax damnato belli sumptu, bellicosas nationes muneribus reprimere instituit. Itaque neglecta apud Græcos militari disciplina, barbaris adeò extulit animos, vt Græci imperij prouincias impunè popularentur. Et Duca intra VIII. annum extincto Eudocia Augusta Romano Diogeni nupsit, qui collatis in Asia cum Turcarũ Sultano signis, victus in potestatē Barbari hostis venit. Et iacens Augustus proculcatus ab eo pedibus fertur, Tyriꝰ Antistes auctor

auctor est ; ascensuro in solium, descensuróque barbaro Regi Augustum pro scabello fuisse : tanta est fragilitas maiestatis humanæ. Romano Diogeni Michaël Ducas sublectus, homo imbellis, & Musis plùs æquo deditus. Itaque dum is oblitus imperij operam dat condendis carminibus, Alphasal Turcarum Sultanus Græcas opes inuasit armis, & ab Hellesponto orsus Pontum, Bithyniam, Galatiam, Pamphiliam, Lyciam Pisidiam, Lycaoniam, Cappadociam, Asiam, Syriam, ipsámque Hierosolymam subigit, anno huius sæculi circiter L X. Igitur Ducas tanquàm impar tanto imperio, infensis Proceribus fastigio deiectus in Cœnobium includitur, Nicephoro Botoniata subrogato. At Ducas profugus Gregorium V I I. Pontificem Robertúmque Viscardum in Botoniatam incitauit. Ergo Viscardus confestim cum ingenti classe traiecit in Græciam Et gregorius supplici Augusto opem pontifici armis tulit, Nicephoro Botoniata è piorum cœtu segregato. Qui haud ita multò pòst ab Alexio Comneno imperij fastigio detractus in Cœnobium compellitur, quò ipse Ducam paulò antè compulerat Nec melior causa, aut conditio Romani Cæsaris fuit. Gregorius quippe Pontifex Henricum Cæsarem iterum diuina omnia, humanáque iura miscentem ; iterum anathemate ictum regni iure ac titulo exuit, Viscardo patrono Ecclesiæ adoptato. Verùm, dum Viscardus fuso, fugatòque ad Dyrrachium Alexio Comneno, Græco Imp. Thessaliam subigit, Henricus infesto agmine Romam petit, ea mente, vt Clementem Pseudopontificem in Romana Sede per vim collocaret. At primò ab inuicta Mathildis manu repulsus incepto destitit. Inde vrbe Leonina improuiso aduentu occupata, Clementem in Petri Sede constituit. Eodem

dem belli impetu Apostolorum Petri & Pauli Ædes ab Henrico direptæ, & vrbs Roma per ciuium socordiam capta. Itáque summa vi oppugnabatur arx cùm aduentantis Viscardi fama Cæsarem, cum suo Pontifice coniecit in fugam. Belli vis in Romanos, qui pro Cæsare arma ceperant versa. Quibus prælio fusis, vrbs à Viscardo capta; sed de sontibus paternè magis, quàm hostiliter supplicium sumptum. Pro corporibus tecta luerunt pœnas. A porta Flaminia ad Ædem D. Laurentij in Lucina; rursus ab Amphitheatro ad Basilicam Lateranẽsem, sontium tecta conflagrarunt, ignem subiiciente Viscardo. Qui Romanos Gregorio infensos cernens, eum secum deduxit Salernum. Itaque Clemens Pseudopontifex à Romanis in vacuam sedem receptus: ab eo Henricus appellatus Augustus. Nec impunè Romanis fuit. Irató Dei Numine dira lues vrbem inuasit, faméſque atrox, adeo, vt matres complures, materna pietate exuta, liberis suis mactatis tolerare vitam sustinerent. Subinde Clemens vrbe pulsus in Marsos exulatum abiit, & Gregorius Salerni supremum expleuit diem. Pontificem Viscardus est secutus: Ducatus Apuliæ, Calabriæque Rogerio eius filio per manus traditur. Nouum deinde obtrudendi, recusandique summi honoris certamen traditur, Desiderius Cœnobij Cassinatis Abbas ter cunctis suffragiis Pontifex creatus insignia Pontificatus non priùs accepit, quàm in Conuentu Capuano, Episcopis, Cardinalibus, Rogerio Duce, Iordane Principe Capuano simul ad eius pedes procidentibus, victa eius pertinacia est. Victor III. haud vano nomine appellatus, Ingenti exercitu in Africam transmisso, ingentem peperit de Saraceno victoriam. C. Barbarorum millia cæsa, oppida aliquot capta. Vrbanus inde II.

Pontif.

Pontif. Rogerio ducatum paternum Pontificali auctoritate firmauit. Henricum omnésque eius fautores ignominia notauit, vetere anthemate renouato. Henricus porrò Vrbanum bello petens obuias habuit egregias Matildis legiones, quibus prælio vict,cessit. Mox à Conrado filio ex Pontificis auctoritate, Longabardiæ regno exutus excessit Italia. Quæ res non modo Italiæ otium, sed etiam Hierosolymæ libertatem peperit. Etenim Vrbanus II. Pontifex Concilio in Gallia habito, Christianos Principes ad Hiesolymitanum bellum accendit. Militiæ insigne Crux purpurea dextro humero assuta, ex quo Cruciatæ nomen factum. Principes expeditionis fuêre, ex Gallia Gothofredus; è Lotharinga gente, Dux Bullionis, cum duobus fratribus, Eustachio, Balduino: Hugo Magnus Philippi Franci Regis frater: Robertus Normaniæ Dux idémque frater Regis Angli, iíque complures. Ex Italia Boëmondus Tarentinus Princeps, Rogerij Ducis frater, cum Tancredo sororis filio, & Anselmus Mediolanensis Episcopus. His igitur cum ingenti exercitu Byzantiam, profectis, primum certamen cum Alexio Comneno Græco Imp. fuit. Is quippe, vt erat ingenio subdolus, primò palam, deinde clàm conatibus obstitit Latinorum. Sed vim, fraudémque virtus expergecta vicit, ergo transmisso Bosphoro, Nicæam, atque Antiochiam subigunt, egregia vtrobique de Alphasale Turcarum Sultano, qui primus Solimanus est appellatus, parta victoria Ad vltimum non sine manifesta diuina numinis ope, Hierosolyma belli caput, vi capta est anno post Christum natum circiter M. C. Et in Hierosolymæ regnum Gothofredo cuius potissimùm virtute vrbem receptam esse constabat, omnium consensu delatum Quan-

quam

quã pius Rex, nec insigne, nec nomen regiũ vsurpare voluit in ea vrbe vbi Dei Filiũ purpurâ indutũ, & Regem per ludibrium meminerat appellatum. Antiochia Boëmundo, Edessa Balduino, Tiberias, & Galilæa Tancredo cesserunt. Cæteri Duces patriam Syriacis regnis, ac Satrapis præoptantes cum ingenti gloria domum reuerterunt. Venetis, Pisanis, Genuensibus, quorum classes magno vsui in bello fuerant, debita laborum præmia persoluta. Haud ita multò post Hierosolymam receptam, Toletum ab Alphonso Castellæ, Nauarræ, Gallecięque Rege de Saracenis receptum est, regiáque eò sedes, reuocata. Henricus porrò ab Henrico filio, Germaniæ proceribus ex Romani Pontificis auctoritate regno spoliatus, acie victus, captúsque ludibrio fuit. Eò namque mendicitatis ac miseriæ superbissimus ille Cæsar est redactus, vt ab Episcopo Spiensi victum sibi, ac locum Clerici in choro nequicquam peteret. Itaque sera, segnique subeunte animum pœnitentia, mœrore absumptus cũ dedecore & ignominiâ moritur, regni, aut potiùs tyrannidis suæ anno L.

Per idem tempus Henricus alius, è Gallia oriundus, genere, ac virtute clarus, ducta in matrimonium Theresia Alphonsi VI. Castellæ Regis filia, dotis nomine Lusitaniæ Comitatum habuit. Is igitur Saracenis magna ex parte eiectis, aut domitis Lusitaniæ obtinuit principatum anno post Christum natum circiter M C. quæ Lusitaniæ regni deinde primordia fuêre.

Eadem tempestate Carthusianus Ordo & decennio pòst Cisterciensis inchoatus.

HENRI

HENRICVS V.

A Christo nato anno M. CV.

HENRICVS V. patre auóque violentior, paternorum scelerum, quorum vltor fuerat, æmulator extitit. Nam Romam progressus Paschali II. Pontifice, Cardinalibúsque comprehensis, per vim imperij titulos & ius deferendi Episcopatus, aliáque Ecclesiastica munera, quibuscumque vellet extorsit. Pontifex ergo post Henrici discessum, in Concilio Lateranensi illa omnia quippe per vim expressa, irrita esse declarauit.

Et Alexius Comnenus Græcus Imp. per Legatos imperij insignia petiit, quanquam non impetrauit. Subinde Mathildis fœmina omni æuo memoranda ditionem suam vniuersam Apostolo Petro moriens legauit pulchrius rata, Diuos hæredes habere, quàm homines. Id S. Petri patrimonium hodie appellatur.

Exin Romæ turbatum est. Gelasius II. nouus Pont. à Cincio Frangipanio ciue Rom. opibus præpollente male acceptus Caietam profugerat; cùm Henricus ad vrbem profectus Mauritium Episcopum, à quo ipse imperij titulos denuò acceperat, Pontificem obtrudendum curat. Cæterum vtrique raptum decus in dedecus vertit. Henricus cum suo in Conuentu Capuano ignominia notatus. Et Pseudo-Pontifex auerso camelo impositus ludibrium vrbis fuit, in qua summum fastigium inuaserat. At Henricus gliscentibus in Italia bellis velut expergefactus, aliquando resipuit. Itaque remisso Episcoporum, Abbatúmque instituendorum iure, anathematis,

anathematis ignominia exemptus, bona fide cum Calisto II. Pont. redit in gratiam: ita demum pax Ecclesiæ reddita. Cæterùm superbia, cupidóque dominandi turbauit Italiam. Pisani, & Genuenses de Episcopo Corsicæ dando contendebant. A certamine dignationis ad bellum venitur; quod ingenti animorũ armorúmque contentione multos per annos vario euentu gestum est, non sine magna vtriusque populi clade. At Rogerius Siliciæ Comes, Guilielmo Apuliæ Duce Bysantium nuptiarum causa profecto, contra ius, fásque eius ditionem inuasit; ac sine certamine Apuliam, Calabriámque Siciliæ adiecit, magna conscientiæ, famæque iactura.

Per idem tempus Romæ egregium modestiæ certamen fuit. Callisto rebus humanis exempto, diuisis Cardinalium studiis, duo Pontifices creati, Honorius, & Cælestinus. Sed vterque pacem Ecclesiæ suæ prætulit dignitati. Cælestinus quippe Patrum pleróśque accedere ad Honorium cernens vltrò se abdicauit. Et Honorius cùm non omnibus Patribus suam creationem probari sentiret, in cœtu Cardinalium ornatum pontificium sua sponte deposuit. Tanta hæc modestia, etiam alienissimis consiliandis, summum illi sacerdotium adfirmauit. Porrò Henricus Cæsar, pace quoad vixit, sanctè, piéque culta, decessit, principatus sui anno XXIV. hoc vno laudabilis, quòd turpis, impiíque regni finem quæsiuit honestum, piúmque.

Henrico regnante, Hierosolymis duo sacræ militiæ ordines inchoati, Templariorum, & Hospitaliorum, seu S. Ioannis qui peregrinorum hospitio, sacrorúmque locorum tutelę destinati, & rem Christianam auxerunt in Syria, & ipsi ingentibus

ingentibus opibus aucti, penè Reges ipsos opulentia vicerunt. His accessit tertius Ordo militaris Teutonicorum, à Teutonis ex suæ nationis hominibus institutus quē Paulus Æmilius sub idem tempus, alij multò pòst extitisse tradiderunt.

LOTHARIVS II.

A Christo nato anno M CXXIX.

LOTHARIVS II. è Duce Saxoniæ Cæsar non virtute solùm, sed etiam pietate insignis extitit. Nam simul regnum iniit, Pontifici Rom. deditus acerrimum Ecclesiæ defensorem futurum se professus est Quocirca à Friderico, & Conrado germanis fratribus, regni æmulis cùm premeretur, haud ægrè ab Honorio II. Pont. impetrauit, vt intentato anathemate vtrumque è bellis consiliis absterreret.

Eodem fermè tempore Alexio Comneno Ioannes Comnenus filius successit. Qui multiplici de Turcis, Scythis, Seruiis, Hungaris parta victoria, Deiparæ, cuius ope vicerat, imaginem pro se triumphare voluit. Et illa triumpho decorata multiplicem ei reddidit materiam triumphorum.

Rogerius porrò ab Honorio II. Pontifice Dux Apuliæ, Calabriæque appellatus & Beneficiarius Romani Pontificis factus. At Pisani terra, maríque à Genuensibus debellati; conditiones à victoribus accepére, quarum præcipua illa fuit; vt ædes suas ad primam vsque contignationem demolirentur, quò ciuium elatos animos premeret humilitas tectorum. Magnus subinde motus Romæ exortus rem Christianam concussit. Post decessum Honorij, Innocen

Innocentius II. à maiore, ac meliore Cardinalium parte sublectus erat, illo loco dignissimus. Huic ab aliis Petrus Petri Leonis filius, obductus nobiltate, atque opibus pollens Anacleto nomen factum. Fouit in primis Anacleti audaciam Rogerij Siciliæ Comitis infinita dominandi cupido. Namque is Roberto Principe Capuano Pisas ad Innocentium profecto, eius principatum occupauerat, similiter vt paulò antè ducatum Apuliæ, Calabriæque. Itaque Rex Siciliæ, Dux Apuliæ, Calabriæque, & Princeps Capuæ ab Anacleto Pseudopont. appellatus, vicissim illi Episcopos, Abbatésque suæ ditionis aggregauit. At Ludouicus Franciæ, Henricus Angliæ, & Lotharius Germaniæ Reges à D. Bernardo, Claræuallensi Abbate conciliati, Innocentio fauebant. Itaque Lotharius Cæsar Genuensium, Pisanorúmque classe instructus Romam petit, & vrbe sine certamine recepta, Innocentium in Lateranensem restituit Sedem, ipse Augustali diademate, ac titulo ab Innocentio insignitur. Exin Longobardia, quæ Anacletum sequebatur, à Lothario pacata. Protinus vis belli in Rogerium versa. Qui multis acceptis cladibus, Campania, Apulia, Calabria exutus, tandem in Siciliam compellitur. Capuanus principatus Roberto veteri Domino restitútus. Ranulphus ex Germana noblitate Dux Apuliæ datus. Ita Rogerius per scelus parta dedecore amisit. Lotharius porrò pacata Italia sanxit, vt in Longobardia Italici populi omnes vno iure ciuili Romano vterentur. Et eodem auctore in Italiæ gymnasiis, maximè verò Bononiæ ius ciuile explicari cœptum. Subinde Rogerius, absente Augusto, Campania per vim recepta, Capuam cædibus, & incendiis fædat: Barióque expugnato, cuncta Apulia potitur, & quidem in præsentia impunè.

Nam

Nam Lotharius in Germaniam regrediens repentino, exitialique morbo sub tugurio in sylua decessit. Imperitauit annos X I. non bellicâ virtute magis, quàm Christianâ pietate inclytus.

Haud lætior per id tempus Ioannis Comneni Alexio geniti exitus fuit. In venatione prætereuntem aprum ferire festinans, sagittâ veneno illitâ vulnerauit manum: quo ex vulnere interiit, cùm præcidi sibi manum à Medicis noluisset, negans *tantum imperium vna manu regi posse*. Moriens præterito Isaaco natu maiore filio, quòd ferocem ingenio, atque impotentem iræ iuuenem minùs aptum imperio iudicaret, Manueli minori natu legauit imperium.

Atrocior subinde Fulconis Hierosolymitani Regis in venatione casus extitit. Is leporem fortè obuium insectans, subitâ equi ruinâ præcipitatus terræ caput afflixit, cerebróque per nares, auréſque erumpente, in Reginæ oculis expirauit. Eadem tempestate Bernardi æqualis Rupertus Abbas, illustris fuit.

CONRADVS III.

A Christo nato anno MCXL.

CONRADVS III. interim Lotharij frater à Germanis proceribus Cæsar lectus, dum summa vi Henricum Saxoniæ Ducem premit, & propinquos suos extollit, ingens in Germania conciuit bellum. Quo ille bello districtus Romam ad capessanda imperij insignia venire non potuit. Et Innocentius I I. Pont. Rogerio Siculo Regi, quòd Cassinas Monasterium diripuisset infensus ei primo sacris interdixit: deinde etiam bellum ipsemet

ipsemet intulit; sed pari euentu, atque olim Leo Pont. Normanis. Dum Rogerium in Gallutio castro obsidet, à Guillelmo eius filio circunsessus ipse capitur. Deductus inde Neapolim, magnificèque à Rogerio cultus, tandem eum contracta solutum noxa, Siciliæ Regem, Ducem Apuliæ, & Calabriæ, Capuæque Principem appellat. Ita beneficiarius Pontificis ex hoste factus. Nouum exin bellum excepit maiorum causa turbarum. Tiburtes, aliique Latini populi à Pontifice Romano iam pridem defecerant. Postquàm interdicto non mouebantur, ventum est ad arma.

Tiburtes igitur acriter obsessi, eruptione facta Romanos adoriuntur incautos, eósque fusos, fugatósque exuunt castris. Cæterùm maiore inde belli mole conterriti facta deditione, veniam à Pontifice impetrant. Sed Romanorum ira ab hoste in Pontificem vertit. Certatim ciues ab Innocentio desciscunt, & veterem libertatem capessunt. Extemplò prisci magistratus reuocati. Senatus restitutus: sola sacrorum procuratio Pontifici relicta. Quæ res & Innocentio mortem ex mœrore peperit, deinceps Pontifices vsque ad Clementem III. exercuit. Inter hæc Romani inexpiabili odio, bellum Tiburtibus mouent. Nec ante vrbis exicidium, finis bellandi factus. Inde superbia inflati, Conradum Cæsarem per legatos, ad accipienda ab eis Augustalia insignia inuitant. Cæterùm eorum vanitas à Cæsare irrisa, legatióque repudiata. Et Eugenius III. Pontifex, Tiburtibus, aliisque Latinis populis, in Romanos concitatis, vanos eorum spiritus fregit.

Per idem tempus, Henrico I. Anglorum Rege, sine liberis mortuo, Stephanus, genere Francus, Henrici sorore genitus, subrogatur. Ita Angliæ regnũ à Normanis

Normanis transit ad Francos. Tristis deinde fama Edessæ, cunctæque Mesopotamiæ à Turcis subactæ, Eugenium III. Pontificem perpulit, vt sacrum bellum indiceret. Præcipua in eo D. Bernardi opera enituit. Is Conradum Cæsarem, & Ludouicum VII. Galliæ Regem sui ardoris zelo impleuit. Moles erat belli tanta, quæ totum Orbem terrarum subigere posse videretur: sed hominum siue incuria, siue discordia ad nihilum recidit. Itaque Damasco frustrà oppugnata, irrito incepto discessum est. Feliciùs in Occidente aduersùs Saracenos gesta res. Alphonsus Henricus Dux Lusitaniæ Eboram vrbem regiam, Olyssiponem, aliáque Lusitaniæ oppida de Saracenis recepit. Inde cælesti viso, oblatáque Christi crucifixi specie erectus, & ab exercitu Rex salutatus cũ Ismaële, aliisque Saracenis Regibus acie conflixit, diuináque ope hostem profligauit. Itaque victoriis ingens ab Alphonso Rege Castellæ, cuius beneficiarius erat, Rex Lusitaniæ appellatur. At ille Lusitaniæ regnum Romanæ Sedi stipendiarium fecit. Rogerius porrò Rex Siciliæ Manueli Comneno (Ioanne genitus erat) Græco Imp. ob Legatos contra ius gentium violatos, ingenti classe intulit bellum. Nuda erat ob Quæstoris imperatorij parsimoniam, Græcis classibus ora maritima. Itaque sine magno certamine Corcyram, Thebas, Chalcidem capit. Ex Græcia nulla præda nobilior deportata, quàm serici artificium: quod, vt pleræque artes, ex Græcia in Italiam accersitum est artificibus inde traductis, anno eius sæculi circiter L. Porro Conradus Cæsar Apulium bellum meditans iureiurando cõfirmauit se primo quoque tempore in Italiam transiturum. Sed repentino morbo extinctus documento fuit, quam humana consilia à diuina prouidentia pendeant. Decessit anno

sui

ſui principatus XIV. Rex omninò pius, ſed fortis magis, quàm fortunatus. Illud in Conrado nouum, quòd ſanus, & incolumis regalia inſignia Friderico fratris filio reliquit, paruum filium ſuum eius fidei commendans,

Eodem regnante litteræ, quæ à Barbaris conculcatæ iacuerant, oculos aliquando tollere cœperunt. Itaque in Græcia Euſtathius Interpres Homeri, in Hiſpania Auerroës, & Rabbi Moſes; in Francia Hugo, & Ricardus à S. Victore, in Germania Otho, Epiſcopus Friſingenſis, in Italia Gratianus, Petrus Lombardus, & alij extiterunt.

FRIDERICVS

ÆNOBARBVS.

A Christo nato anno MCLIV.

FRIDERICVS ÆNOBARBVS (Barbaruſſa vulgo dicitur) è Sueuiæ Duce Cæſar, nobile ſanè, piúmque regni ſui rudimentum poſuit; traducto in Italiam exercitu, turbatam Mediolanenſium armis pacauit Italiam. Inde Viturbum Adrianum IV. Pontificem adiens Pontificiæ maieſtatis ſpeciem renouauit. Aduentanti Pontifici obuiam pedibus prodiit, & deſcendentis ex equo ſtapedam tenuit manu. Porrò ad vrbem cum Pontifice progreſſus, eluſis Romanorum legatis Auguſtales titulos deferentium, ab Adriano Pontif. in Æde Apoſtoli Petri Romanus Imperator appellatur abſente populo Rom. Romaniſque deinde domitis in Germaniam remigrauit. At Guilielmus Siciliæ Rex Rogerio patre importunior, Epiſcoporum ſuorum conſecra

consecrationem Pontifici ereptam vindicabat sibi. Nec anathematis fulmine ictus resipuit, sed irritatus Pontificiam ditionem inuasit armis: tandémque Pontifex bello fessus pace facta, Guillelmum ad pedes prouolutum in gratiam recipit, eidémque beneficiarium Romanæ Sedis se profitenti paternos titulos firmat. Inde Vibeuetum profectus ædes inibi Pontificias condidit, desiderium Pontificis populo Romano facturus. Mediolanenses interim finitimas vrbes armis oppresserant. Itaque à Frederico Mediolanum circunsessum, ciues ferro, fame, pestilentia domiti in fidem Augusti venerunt. Sunt, qui tradunt primores vrbis ad victoris iram placandam maximè humili habitu ad Fredericum in castra processisse: illum iam insigni humilitate motum, & ciues vrbi, & vrbem ciuibus conseruasse: hinc Humiliatorum Ordinem natum. Atrox inde ex paruis initiis inter Augustum, ac Pontificem orta dissensio ingentium malorum causa, & origo fuit. Fredericus ab Alexandro III. Pont. petierat, vt Rauennæ Antistitem ab se designatum consecraret. Id cùm non impetrasset, totum se à Pontifice auertit. Et Gibellinorum, & Guelphorum nominibus ex veteri Germaniæ discordia repetitis, pestiferas factiones tota Italia excitauit. Qui Augusti partes sequerentur, Gibellini; qui Pontificis, Guelphi appellati. Nec eo contentus Pontificatum Alexandro III. abrogat, & Reges Franciæ, Angliæ, Hispaniæ ad Victorem Pseudopontif. venerandum inuitat. Sed apud pios Reges plùs religio, quàm gratia valuit. Itaque Ludouicus Franciæ, Henricúsque Angliæ Reges apud Toria cum oppidum Alexandro venienti præstò fuêre: ac dextra, læuáque frænum equitantis Pontificis pedites ipsi tenentes, cum ad destinatum hospitium perduxêre: qua
specie

specie Pontificiæ maiestatis non alia augustior visa. Subinde Alexander Romanorum animis per Legatum delinitis, vrbem, pontificiámque ditionem recepit. Et Guillelmus Bonus nouus Siciliæ Rex, missis ad Alexandrum Legatis, se Pontificis beneficiarium professus omnibus eum rebus impensè iuuit. Ænobarbus interim, Mediolano euerso, & sacris trium Regum Magorum Reliquiis Coloniam deportatis, Brixianis, Placentinis, Bergomatibus, Bononiensibus domitis, Germanos præfectos dederat. Quorum iniuriis irritatæ ciuitates ex composito ab Ænobarbo deficiunt: & Præsidibus eiectis, veteri instituto Consules creant. Cæterùm Tusculani Germanis auxiliis subnixi, Romanis arma inferentibus ingentem intulêre cladem; & Latinis populis in prædæ societatem vocatis populabundi in vrbis mœnia peruenêre. Per eam occasionẽ Ænobarbus Vaticanâ ęde per vim potitus Paschalem pseudopont. in Petri Sede statuit. Nec læta victoria Germanis fuit. Fœda lues maximam exercitus partem, ac primę nobilitatis Duces absûmpsit. Deum Vicarij sui vltorẽ oculos aperuisse sentires. Exin cùm nihil aduersùs conspirantes Longobardię ciuitates proficeret, quòd aliæ aliis venirent auxilio, Ænobarbus desperata regni Italici possessione, remigrat domum. In eius contumeliam noua vrbs à fœderatis ciuitatibus condita, cui ab Alexandro Pontif. Alexandriæ nomen factum. At Federicus Mediolani magnificentius instaurati fama excitus, cũ instructissimo exercitu ad eius excidium redit. Extemplò fœderati coniunctis armis, animísque occurrunt hosti. Collatis signis, Germani diuina ope cæsi, Aquila Imperatoris capta; Imperator ipse suffosso equo, penè oppressus. Hęc Cęsaris clades finem attulit Longobardię cladibus, initium otij,

K pacis

pacisque. Tandem Federicus non cum hominibus, sed cum Deo bellare se sentiens, pacem denique cum Alexandro fecit. Et Venetias ad eum profectus pedem Pontificis venerabundus osculo contigit. Et ascensuro in equum stapedam tenuit. Augusti in colendo Pontifice submissio Romanorum superbiam fregit. Itaque Alexander Romam regressus, non vrbi solùm, sed vniuersæ Italiæ pristinum reddidit decus. Ante omnia tollendi imposterum schismatis causa sanxit, vt Pontifex creatus ratus non esset, nisi minimùm duas tertias suffragiorum tulisset partes.

Annus erat eius sæculi LXXX. quo Manuel Græcus Imper. decessit, pietate humanitate, magnificentia egregius, Deuictis Hungaris, Deiparam Virginem Ioannis patris instituto, triumphantem ipse ouans secutus est. Balduinum III. Hierosolymæ Regem, eundémque generum suum, qui citato ad cursum equo brachium fregerat, humanissimè fouit. Quippe ipse Augustus posito genu afflictum Regis brachium sua manu curauit, nec curationem deseruit, quoad ille planè conualuit: adeò amor vicerat maiestatem. Inde Sultano Iconiensi suos thesauros ostentans iubebat eum sumere quicquid liberet. Cùm is se eo contentum fore diceret, quod Augustus dedisset: Manuel vniuersos thesauros ei dono dedit. Cæterùm Chaldæorum scientiæ (si scientia potiùs est, quàm credularum mentium ludibrium) & Astrologorum prædictionibus deditus fuit. Sed vbi XIV. annis antè præstitutum ab illis vitæ finem, adesse supremum diem sensit, Patriarchæ admonitu, chirographo suo Astrologorum damnauit artem, & moribundus pullum Monachi habitum pœnitentiæ indicium sumpsit. Hæc inter Saladinus genere Turca,

nouus, Sultanus Ægypti, Calypha interfecto, inuasit imperium ita Ægyptus in Turcarum venit potestatem. Et Saladinus ab rebus secundus ferox, Syriam inuasit. Itaque Balduino, Hierosolymitano Rege victo, captóque, bellum circumferens, pleraque oppida, ipsámque Hierosolymam in deditionem accepit, anno fermè x c. quàm recepta, de Barbaris fuerat. Nec minor Græcis, quàm à Turcis per id tempus edita strages est Latinorum. Alexius Comnenus, Manuelis Imperatoris filius, hæréśque Ludouici Franciæ Regis filiam sibi desponderat. At Græci Latinos ab Augusto impensiùs coli indignè ferentes, Andronicum exulem Alexij patruelem in spem imperij accersunt qui tyrannide occupata, Augustum interficit. Protinus in Latinos qui Bizantij versabantur, rabies vertit. Legatus ipse Pontificis, Sacerdotes, ac pleriqae Latinorum cæsi, vt ne ægris quidem in Nosocomio cubantibus temperaretur. Cæteri Turcis in seruitutem addicti. Super hæc omnia, mortuorum cadauera sepulcris eruta, & per vias tracta, execrandum spectaculum præbuêre. Nec impunè Andronicus Tyrannus, & ipse in crudelitatem effusus, Græcorum plurimos rerum nouarum suspectos, quà vinculis quà morte mulctauit. Ad vltimum per populi seditionem regni fastigio deturbatus, omnique contumeliæ genere oneratus ludibrio fuit, quibus modò terrori fuerat. Demum in foro inter duas columnas capite in terram verso suspensus à ferente populo gladiis confoditur. Cæterùm inter tot contumelias, cruciatúsque magnitudine animi enituit inuicta. Vna in tot malis Andronici vox audita. *Domine miserere.*

At Romæ Clemens III. Pontifex, pace cum Romanis facta, sacram expeditionem vrgere institit.

ſtitit. Nec fruſtà. Ex Anglia, Francia, Sicilia, Italia ingentes copiæ inſtructiſſimis Danorum, Friſonum, Hollandorum, Genuenſium, Piſanorum, Venetorum claſſibus tranſmiſerunt. Et ipſe Federicus Auguſtus iam ætate grauis cum robore Germanici exercitus, Syriam profectus Iconienſi Sultano acie ſuperato, Iconium capit. Sed ſiue fluminis, in quod refrigerandi per æſtum corporis gratia deſcenderat cæcis vorticibus hauſtus, ſiue equi ruinâ oppreſſus exanimatur, anno imperij ſui XXXVI. egregia ſanè animi indole Imperator, qui virtute, gloriáque Germanos Auguſtos omnes facilè ſuperaſſet, ſi Othones potiùs in tuenda, quàm Henricos in oppugnanda Eccleſia eſſet æmulatus, Philippus deinde Franciæ, & Ricardus Angliæ Reges cum ſuis exercitibus ſecuti. Et Ricardus Cyprum ſubegit, captæque Ptolemaidis præcipuum decus tulit. Saladinus Ægypti Calypha prælio victus, aliquot de Turcis oppida recepta. Cæterùm orta inter Reges, vetera odia retractantes, diſcordia domum vtrunque reuocauit. Ricardus vanum Hieroſolymitani regni titulum, Cypro inſula à Vidone Rege emptum, pro præda retulit. Hic exitus tertij belli ſacri fuit, Deo non tam Turcarum immanitati, quàm Chriſtianorum Principum diſcordiæ infenſo.

Sunt qui per id tempus Teutonicorum militum Ordinem à Germanis in Syria inſtitutum tradant bellicis operibus, atque opibus inſignem. Eadem fermè tempeſtate duo ſacræ militiæ Ordines in Hiſpania extitere, Calatrauæ, & ſancti Iacobi, rebus geſtis aduersùs Mauros inclyti. Itémque Hiſtorici aliquot floruerunt: Radeuicus, qui Federici Ænobarbi ſcripſit hiſtoriam, & Conradus Abbas Vrſpergenſis, qui Chronicon texuit.

Hæc inter Iſaacus Angelus Græcus Cæſar, qui Andronico

Andronico Tyranno successerat, luxu diffluere cœpit, & ad mensæ aulæque magnificentiam sacra è templis vasa detraxit, omnia Deo, & Cæsari licere dictitans. Ergo vltore Deo magnas à Barbaris accepit clades: tantóque eis ludibrio erat, vt diuturnum illi imperium palàm optarent. Ad vltimum ab Alexio fratre, quem à Turcis redemptum consortem imperij fecerat, regno, ac luminibus est orbatus, & in vinculis habitus, vt superioris ætatis scelera captus oculis, & videret meliùs, & lugeret.

Porrò Constantia, Virgo Deo sacra, Guillelmi Siciliæ regis consobrina, atque hæres, Clementis III. Pontificis permissu, Henrico Cæsari Ænobarbi filio nupsit. De quibus nuptiis Ioachimus Abbas vaticinatus dicitur, eas funestam Italiæ facem parituras. Iam Tācredus Rogerij Regis ex pellice nepos, fauore Siculorum regnum Siciliæ obtinebat, cùm Henricus in Italiam ingentem traduxit exercitum, regnum dotale recepturus.

HENRICVS VI.

A Christo nato anno MCXC.

HENRICVS VI. à Cælestino III. appellatus Augustus, Ænobarbo patre truculentior fuit. Campaniæ oppidis pluribus receptis. Neapolim frustrà obsedit, Atrox lues in castris orta obsidionem soluit. Inde, Tancredo Siciliæ Rege vita functo, reparat exercitum, & Genuensium, Pisanorúmque classibus fultus Caietam, Neapolímque in fidem accepit. Cætera inde prona fuêre. Messana, Catana, Syracusæ vi captæ. Sibylla Regina cum nouo Rege in deditionem accepta. Denique Panormo

expugnata, & Constantia in matrimonium ducta, Rex Siciliæ salutatur. Cæterùm repentè è Rege Tyrannus extitit. Direptis per calumnias, & supplicia ciuium bonis, sacras Ædes per sacrilegium expilauit. Exin ditionem pontificiam penè omnem in suam redegit potestatem. Alexium quoque Comnenum Græcum Imp. stipendiarium fecit. Cæterùm X. imperij anno nondum expleto, mortalibus, immortalibúsque inuisus morbo ex venatione contracto cessit è vita, Tyrannus veriùs, quàm Augustus. Meliore fama Saladinus Christiani nominis terror, paulò antè decesserat; quippe in eius funere, vt ipse iusserat, signifer interiorem eius tunicam lanceâ sublimem prætulit, clamitans, id vnum Saladinum domitorem Orientis secum ex tantis opibus auferre: spectaculum Christiano magis Rege, quàm Barbaro dignum. Porrò Innocentius III. Pontif. Henrico mortuo, Æmiliam, Picenum, Vmbriam recepit armis. Inde Constantiam Augustam, & Federicum eius filium, Siciliæ Reges appellat, Ducatu Apuliæ, & Pricipatu Capuæ adiectis. Itaque Constantia moriens Innocentium Federici pupilli tutorem instituit. Qui summa cum tutelæ laude pupillum Regem impensè fouit, quàm funestum Ecclesiæ anguem sinu foueret, gnarus.

Quartum subinde sacrum bellum susceptum quod in Græcum imperium vertit. Balduinus Flandriæ Comes, aliíque Franci Proceres, Innocentij hortatu sacræ militiæ nomina dedêre. Hi Venetorum classe, & auxiliis aucti Alexium Isaaci Angeli filium extorrem obuium habuerunt. Cuius ingentibus promissis onerati Byzantium petunt. Ibi ingens Græcorum exercitus à non magna Francorum manu cæsus. Byzantium torpentibus Tyranni fuga & desperatione ciuibus captum. Alexius puer paternum

paternum in Regnum restitutus. Alexius Comnenus Tyrannus fuga elapsus Trapesuntem se recepit, ibique Trapezuntij imperij fundamenta iecit. Cæterùm, dum Alexius puer promissum Francis, Venetísque aurum exigit, Myrtilius vnus è Græcis Proceribus, Alexio per seditionem populi obtruncato, tyrannidem inuadit. Igitur vrbs regis à Francis denuò expugnata Græcum imperium Procerum consensu Balduino Flandriæ Comiti delatum. Rediit Orientis imperium ad Latinos anno post Christum natum circiter MCC. Balduinus igitur beneficij memor, omnes Ægęi, atque Ionij maris insulas, ipsámque Cretam attribuit Venetis. Ex Proceribus Francis Gothofredum Athenarum, & Achaiæ Principem, Bonifacium ex Montisferrati Marchione Thessaliæ Regem constituit, & Balduino Augustalia insignia ab Innocentio missa; contráque ab Augusto Græcia ad Romani Pontificis Auctoritatem reuocari cœpta. Cæterùm Balduinus Adrianopolim obsidens, commisso prælio, in Myrtili Tyranni potestatem venit, à quo cum cruciatu necatus dicitur. Ei Henricus frater subrogatus Asiatico bello impensè fauit. Eodem fermè tempore Constantinopolis à Francis capta, & Bæticę pars ab Hispanis Alphonsi nobilis Castilonensium Regis ductu, recepta.

O T H O IV.

A Christo nato anno MCCIX.

OTHO IV. Augusti diademate, & titulo ab Innocentio III decoratus, Imperatorum deterrimus fuit, breuissimúsque. Is Pontifici, à quo in

eo fastigio positus fuerat, infensus, pontificiam ditionem inuasit. Inde regnum Siciliæ Pontificis fidei, tutelæque commissum contra fas occupare institit. Igitur ei, vertente anno, in Concilio Romæ habito imperium est abrogatum; atque ignominia anathematis addita. Et Germani Proceres Pontificis auctoritatem secuti, Fridericum, seu, vt alij Federicum Regem Siciliæ Cæsarem creant. Nec defuit ira diuini Numinis: Otho multis vel in Italia, vel in Germania attritus cladibus, in Saxoniæ latebram se recepit, vbi haud ita multo pòst obiit in mœrore.

Inter hæc Ioannes Ricardo fratre interfecto, regnóque Angliæ per parricidium occupato infamis, rem Anglicam infeliciter gessit, eius odio Normania tota in fidem Francorum venit, quæ res deinceps multorum fuit causa bellorum. At Ioannes exhausto bellis ærario, opes Deo sacras inuasit Pontificio anathematis fulmine contempto. Tandem bellicis cladibus, malísque victus aperit oculos, pacem à Pontifice orat. Nec fefellit. Pontificis Legatum prostrato humi corpore excepit; & regium insigne ad eius posuit pedes. Ad hæc priuatus quinque dies exegit. Sexto demum die diadema beneficij loco recepit à Legato. Ergo beneficiarium se Romani Pont. professus, Angliam, Hyberniámque Romanæ Sedi stipendiarias fecit. Subinde Innocentius decessit, non minus factorum gloria, quàm Pontificatus diuturnitate memorandus. Multæ religiosorum hominum familię illo Pontifice institutæ restitutæve; almæ Trinitatis, seu Redemptionis Captiuorum, Cruciferorum Eremitarum S. Augustini, Carmelitarúmque, vt vitæ innocentia sub Innocentio reuixisse videatur. Innocentium secutus Honorius multarum rerum, quæ illo Pontifice ortæ erant, decus

cius tulit. Instituta SS. Dominici, & Francisci Pontificali auctoritate comprobauit. Petrum Antissiodorensem tertium à Balduino, Orientis Imperatorem cum coniuge Romę augustalibus decorauit insignibus: parem deinde Federico Cæsari honorem habuit.

Cæterùm Antissiodorensis Augustus Dyrrachij inter epulas Theodoris fraude extinguitur: Cui Robertus filius successit, Veneto nomini adeò deditus, vt Venetorum Ducem charissimum imperij Collegam appellaret. Qui Romæ Augustus ab Honorio Pont. appellatus haud diu superstes fuit.

LIBER IX.

FEDERICVS II.

A Christo nato anno MCCIX.

FEDERICVS II. interim Ænobarbi nepos, improbitate cum auo, & Henrico patre certauit. Imperij titulis ab Honorio III. honestatus, in pontificiam deditionem impetum fecit. Itaque ei decus, & nomen Augusti idem, qui dederat, aboleuit, adiectáque solemnis ignominiæ notâ interdixit piorum congressu, sacrisque. Interim Andreas, Hũgariæ Rex, & paterno voto, & Honorij Pontificis hortatu, cum Bauariæ, & Austrię Ducibus profectus in Syriam, aduersùs Turcas benè pugnauit. Cæterùm omnibus in spem recipiendæ Hierosolymæ erectis, in ipso operum limine finem belli quæsiuit: nam vt primum Iordanis aquã corpus abluit, veluti voti religione absolutus,

belloque perfunctus, exercitum deportauit. At Brennus Cypri, & Hierosolymæ Rex nouis Francorum, Germanorum, Italorum, Anglorúmque auxiliis fultus Damiatam celeberrimum Ægypti emporium cepit. Bellum inde in Cairum regiam vrbem promotum. Sed inundata Nili emissariis castra necessitatem imposuêre victoribus, vt Damiata relicta, ipsi incolumes abirent. Brennus porò Romam aduectus, Honorio pontif. auctore, Iolen filiam suam Hierosolymæ Reginam appellatam, Federico Cæsari in matrimonium dat, ea mente, vt ille dotali sacri regni titulo auctus, maiore animo sacrum capesseret bellum. Hinc Siciliæ Reges Hierosolymitani regni titulum habuêre. At Federicus tandem Gregorij IX. Pontif. impulsu, cum exercitu profectus in Syriam, vrbem Hierosolymam à Sultano; non armis, sed auro recepit anno eius sæculi circiter XXX. Itaque maiore fama, quàm gloria reuectus è Syria, haud ægrè veniam à Pontifice, & imperij titulos impetrauit. Cæterùm breui ad ingenium rediit, & Pontifici infensus, Guelphorum, Gibellinorúmque factionibus longo interuallo reuocatis, fœdum in modum lacerauit Italiam. Ad hæc Beneuento, Cassinatíque Cœnobio direpto, Rauennam in suam redigit potestatem. Saracenis, quorum opera, aut instituto, vsus erat in bellis, Nuceriam attribuit, quæ deinde Saracenorum est appellata. Cardinalium complures, qui Gregorio Pont. extincto, Romam ad comitia tendebant, fortè in itinere interceptos in custodiam tradit. Inde Ecclesiæ orbitatem, suam occasionem ratus, Flaminiam Æmiliam occupat; Bononiáque expugnata, Gymnasium transfert Patauium. In vltimum venerat discrimen Romana res, nisi Balduinus Cæsar Orientis, opportunitate

mira

mira venisset in Italiam. Huius rogatu dimissi à Federico Cardinales, Innocentius IV. Pont. creatus. Qui comperto, Federicum sibi domi, forisque insidias struere, in Franciam tendit. Ibi in Concil. Lugd. Federico ius imperij, ac titulum abrogat. Cardinalibus deinde, vt eum Ordinem augustiorem faceret, rubri galeti insigne dat, anno eius sæculi circiter XLV. Inter hæc Federicus Parmam obstinata obsidione cinxit, haud dubia spe victoriæ. Tenuit obsidio biennium. Tandem eruptione à Parmensibus facta, Cæsar funditur, castrisque omnis opulentiæ plenis exuitur. At ille velut re benè gesta, inter spadonum, & pellicum greges vitam egit, bellicum dedecus domestico probro cumulans.

Eadem tempestate Tartari, gens Scythica. Hoccotæ Regis ductu, maximis agminibus inundarant Asiam, Europamque. Iámque Perside subacta, victores cum literis superstitionem victæ gentis hauserant; hac totam fermè Asiam vsque ad Tanaim amnem, qui Asiam, Europámque medius interfluit, victoriis emensi, per Poloniam, Hungariámque populabundi ad Austriam vsque peruenerant. Igitur Innocentius tantæ pesti obuiam eundum existimans, egregios viros è Franciscana, Dominicanáque Familia ad efferatas Barbarorum mentes Euangelio mitigandas destinat. Nec spes fefellit. Mago, seu Mero nouus eorum Rex Christianis initiatus est sacris. Subinde affertur, Parthos patria sede à Tartaris pulsos in Syriam penetrasse: Hierosolyma capta dirutáque, augustissimum Christi Sepulchrum indignis modis polluisse. Hæc fama Ludouicum IX. Franciæ Regem sanctitate inclytum ad maturandum iter in Syriam accendit. Extemplo igitur ingenti classe claustra Ægyp. aggreditur. Et Satrap. debellato, Damiata potitur. Protinus ad

Cayrum

Cayrum belli moles transit. Iámque accisæ erant cladibus Ægypti Calyphæ vires, cùm castra Francorum ex locis palustribus lues inuasit, quæ ipsum quoque corripuit Regem. Itaque malis victus, captúsque conditiones accepit, vt tradita Damiata, incolumem deportaret exercitum. Inter quæ Federicus Cæsar è longinquo luxu, velut alto excitus somno, impium Pontifici intulit bellum. Et pontificiæ opes ad vltimum periculi venerant, cùm Federicus, haud dubia Superûm ira, atroci morbo, seu potiùs Manfredi dolo extinguitur. Imperauit annos XXXIII. Imperatoris nomine, quo bis iure exutus est, prorsus indignus.

Federico II. imperante Gregorius IX. Decretalium Auctor, & Innocentius IV. earundem interpres, Vincentius Belluacensis Theologus, & Historicus copiosior, quàm elegantior; Alexander Alensis, egregius Theologus; Albertus Magnus non sua doctrina, quàm Thoma Aquinate discipulo clarior; Alphonsus, Castellæ Rex, celeberrimus Astrologus, extiterunt.

Meliore fama Theodorus Lascarus, qui Augusti titulo assumpto, Græci imperij reliquias tutabatur in Asia, quàm Federicus Cæsar, decessit: diuino quippe fretus Numine, aduersùs ingentes Turcarum copias manu pugnauit: ingenti periculo, sed prospero euentu. Sultano ipso, à quo ex equo præcipitatus fuerat, obtruncato, eius caput lancea præferens, insignem peperit de Turcis victoriam: adeò illos Ducis casus conterruit. Nec partæ gloriæ Lascarus diu superstes fuit. Huic Ioannes Ducas, Ducæ Theodorus Lascari filius subrogatus. Is moriens Ioanni filio Principatum, & Michaëlem Palæologum tutorem reliquit, qui per occasionem tutelæ, principatum sibi vindicauit. Eodem fermè

tem-

tempore, Theodorus Angelus Thessaliæ regno, Rege absente, potitus est. At Manfredus Federici ex pellice filius, ne gratuitum foret parricidium, paternum regnum per tutelę speciem, dum Conradus frater, regnis hęres à Sueuia veniret, occupauit Conradus, quippe falsis Manfredi criminibus irritatus Campanis, Neapolitanisque bellum intulit: quo bello Neapolis, & Capua mœnibus nudata est, Aquinum etiam incendio fœdatum. Exin Conradus ipse morbo, seu (quę suspicio tenuit) veneno fraude Manfredi dato absumptus. Manfredus igitur regnum per vltimum scelus partum pari scelere augere institit. Nucerinis Saracenorum copiis subnixus inuadit Pontificiam ditionem. Cæterùm à Pontificio Legato Germanicis copiis repressus est, Eccelinus quoq; (Azolinum alij vocant) Patauij Tyrannus, ob res impiè, nefarieque gestas, ab Alexandro IV. Pontif. anathemate notatus pœnas luit crudelitatis, suę. Namque Marino Turriano Mediolanensium Duce fusus, & graui vulnere saucius fugit. Itaque cladis, ignominięque impatiens consuetum rescidit vulnus, dignáque Tyranno morte decessit. Ciuitates tyrannidis iugo libertate frui cœpêre sub tutela Pontificis.

Alexander igitur, pacatâ Italiâ, ad Hierosolymam recipiendam curas intendit lætis subinde nunciis excitatus. Meto Tartarorum Rex iam Christianus Haloni fratri Hierosolymitanam expeditionem destinarat. Is Babylone potitus, Galypham Mahometanę sectę Antistitem in suo thesauro destitutum fame necauerat, iámque vniuersa Perside, ac Mesopotamia subacta, Hierosolymam belli caput petebat. Sed orta inter Venetos, Genuensésque discordia spem penè exploratá sacrę vrbis recipiendę primo morata est deinde discussit.

discussit. Quippe Venetos, inter, & Genuenses mercatores controuersia de templo, quod in vrbe Ptolemaide commune habebant, exorta, ingens inter duos potentissimos Italiæ populos bellum excitauit quod cum magno, & ipsorum, & rei Christianæ detrimento, per plures ætates gestum est adeò ancipiti Marte, varióque euentu, vt propiores victis fuerint, qui vicerunt. Byzantina res, vt quæ harum ciuitatum viribus nixa stabat, primam huius discordiæ cladem accepit. Michaël quippe Palæologus Genuensi classe subnixus, Byzantium ciuibus prodentibus cepit. Et Balduinus Latinus Augustus à Veneta classe nudus desperatis rebus profugit. Ita Constantinopolitanum imperium rediit ad Græcos, anno fermè LX. quam ad Latinos abierat. Subinde Palæologus Cæsar Venetorum armis fractus labare cœperat, cùm Genuenses, seu Venetorum odio, seu spe præmiorum laboranti tulerunt opem. Ab his repulsa Veneta vis: imperium Palæologo firmatum; Genuensibus Chios insula merces data. Inde bellum in Syriam transiit. Venetus Ptolemaidem tenebat, Genuensis Tyrum. Proinde quicquid Christianorum in Syria fuit, in duas factiones abiit: & arma, quæ in sacrum bellum destinata erant, in ciuile versa, alienissimo quidem tempore. Halon quippe Metonis Tartari Regis frater (vt supra dictum est) accisis Turcarum viribus, Syriam receperat, ánque Hierosolymam Barbaris adimere, & Christianis reddere moliebatur, Cæterum dum res Christianis armis cunctantibus trahitur; Halon Metonis morte ad fraternum regnum reuocatus abscessit.

Inter hæc Manfredus Siciliæ Tyrannus Picenum Saracenis copiis occuparat. Igitur Vrbanus IV. Pontifex Francorum armis, qui ad Syriacum bellum nomen

nomen dederant, Saracenos Picenos præcipites agit. Mox Carolum Comitem Andegauensem, eundémque D. Ludouici Regis fratrem ad spem euocat Siculi regni. Dum Carolus expectatur, noua Reipub. forma Romæ inchoata est, absente Pontifice, Brancaleo ciuis Bononiensis, Senator populi Romani cum summo imperio factus. Et regionatim magistratus creari cœpti cum potestate vitæ, necisque. Itaque vt Andegauensis Comes Romam venit: Clementis IV. Pont. rogatu, Senatorium munus tantisper obiit, quoad Hierosolymæ, Siciliæque, quo nomine etiam Neapolitana ditio continebatur, Rex est à Pontifice declaratus. Onus ei cum imperio impositum, vt XL. aureorum millia Romanæ Sedi quotannis pensitaret: Carolus igitur regni titulo nitens in Manfredum ducit. Ad Beneuentum collatis signis cum hoste confligit Tyranno victo, cæsóque, regno potitur. Inde Conradinum Germaniæ Regem (is Siciliæ regnum Conradi patris iure ad se trahebat,) nouum hostem in Etruria nactus, in insidias mira arte pellexit. Ibi Conradinus victus, posteáque Neapoli cæsus: ita demum pax Italiæ parta.

Subinde Agabas Tartarorum Rex (Halonis Regis is filius, hæréſque erat) Ægyptiorum Calypha victo, Hierosolymæ recuperandæ animum adiecit. Ergo literis ad Pontificem, Christianósque Reges datis, omnium ad sacrum bellum erexit animos. Primus Ludouicus Franciæ Rex in Asiā soluit eo consilio, vt Tuneto, quod fraterno Siciliæ regno infestum erat, expugnato, cum suis fraternísque copiis in Syriam pergeret. Læta belli initia. Carthago in fidem accepta, Tunetani Regis vires accisæ. Iámque vrbs circunsessa deditionem spectabat: cum sæua in Francorum castris orta lues pium quoque

Regem

Regem absumit. Enituit in eo anceps diuinæ prouidentiæ vis: quippe hic exitus in speciem funestus auxit magis, quàm imminuit eius sanctimoniæ famam. Funestis regia morte castris Carolus Siciliæ Rex superuenit, qui barbarum Regem malis domitum, stipendiarium fecit, aditu in Africam, Euangelij præconibus patefacto. Porò Gregorius X. Pontif. indicto Concilio Lugdunensi, pleròsque Christianorum Principum conciuit. Adfuerunt frequentes. Nec Palæologus Græcus Imp. defuit, Græcique Antistites, & Tartarorum Proceres nonnulli. Ibi Græci, Palæologo auctore, de Spiritu sancto Latinis assensi, Romanum Pont. communem humani generis parentem agnouerunt. Tartari sacro Baptismate expiati. Palæologo Græcum imperium adiudicatum.

Eadem tempestate Thomas Aquinas, & Bonauentura, duo duarum Familiarum lumina enituêre.

RODVLPHVS.

A Christo nato anno M C C L X X.

RODVLPHVS interim à Germanis Proceribus post varia multorũ annorũ certamina, Cæsar creatus, nihil ferè magis memoria dignum gessit, quàm quod Boëmiæ Regem bello victum cepit, atque in seruilibus ministeriis habitum in regnum restituit, filia Bona Venceslao eius filio in matrimonium data. Nec defuit Cæsari occasio rei bene gerendæ in Italia. Carolus Siciliæ Rex, idémque Senator Populi Rom. Romæ omnia ad arbitrium suum administrabat. Itaque Nicolaus III. Pontif. ex Familia Vrsina, comprimendæ arrogantiæ, Rodulphum Cæs. euocat in Italiam, eique Etruriæ administra-

nistrationem Carolo ademptam tradit. Cæterùm cunctante Rodulpho, Nicolaus repentina morte decessit. Pontificem cætera egregium nimis suorum amor inuisum aliis fecit. Et odium in propinquos eius erupit. Post eius decessum Cardinales Vrsini in vinculis habiti. Vrsus Viterbij Prætura deiectus est. Secutus inde Martinus IV. Carolum Siciliæ Regem in gratiā recepit, concessitque populo Rom. vt è suo corpore binos crearent Senatores. Palæologum inde Græcum Augustum, qui contra decreta Concilij Lugdunensis Græcos ab Rom. Sedis auctoritate discedere passus esset, anathemate perculit. Subinde Petrus Aragoniæ Rex, Ioanne Prochitæ olim Domino instigante, Siciliæ regnum velut hæreditarium Constantiæ vxoris suæ (ea Manfredo genita erat) vi, aut fraude recuperare statuit. Fraus prior interuenit. Ioanne à Prochyta impulsore, Messanæ, Panormique coniuratio facta aduersùs Francos. Igitur ipso die Christo resurgenti sacro, Siculi signo vespertini Officij dato, ex composito arma capiunt, Francósque omnes, nullo ætatis, sexúsque discri mine occidione occidunt. Huic Siciliæ Vesperæ in prouerbium abiêre, funestæ victis, non admodum honestæ victoribus. Protinus Aragonæ Rex cum ingeniti classe Panormum profectus, ingenti totius, insulæ concursu Rex Siciliæ salutatur. Inde cùm Carolus maritimisque, terrestribúsque copiis superior Insulæ immineret, Rex Hispanus præsens periculum noua arte discussit, Carolo ad equestre paucorum certamen Burdigalæ prouocato, elusóque. Ad hæc Rogerius Lorius Classis Hispanæ Præfectus Carolum Claudum, Caroli Regis filium, iuuenem improuidum haud procul Neapoli ad certamen elicuit, eumque nauali prælio victum cepit, priusquam pater,

qui

qui haud longè aberat, cùm regia classe, adesset. At Martinus Pont. Petrum Aragoniæ Regem; quod Siciliam contra ius, fásque occupasset, regio titulo exutum hostem Ecclesiæ iudicauit, eiúsque res occupandi fecit volentibus potestatem. Quæ ille contemptim eludens, Patrem duorum regnorum, marisque Dominum se appellabat. Sed Pontificiæ notæ contemptor non diu felix, aut superstes fuit. Philippus Pulcher Rex Franciæ infesto exercitu in Hispaniam transgressus, Tarraconensibus bellum intulit. Milites omnes, velut sacra militia, crucibus insignes erant. Nec tantùm in speciem pium, seu etiam felix bellum fuit. Perpinianum, finitimáque oppida in fidem accepta. Ora maritima, qua vi, qua metu subacta, Petrus Rex viribus impar hostem captabat insidiis: sed fraude patefacta, periculum in auctores vertit. Insidiatores Hispani insidiis à Franco excepti, cæsique. Rex ipse vulneratus irato Deo, haud ita multò pòst extinguitur, amisso etiam auito regno pro aduentitio, quod nefaria fraude quæsierat.

Exin Honorius IV. ex familia Sabella, vir sapientia inclytus aduersùs Ferdinandum Siciliæ Regem per Legatum benè pugnauit, Vidonem Feltrium acie superatum, Flaminia expulit. Rodulphus porrò Cæsar; scriba suo in Italiam misso, ciuitatibus Etruriæ venalem proposuit libertatem. Itaque Lucenses, Florentinique empta libertate magistratus sibi, & vexilliferum creauêre. Pisanorum opes, accepta ad Lamellam insulã suprema à Genuensibus clade, conciderunt. Pace deinde inter Iacobum Aragoniæ, & Philippum Pulchrum Franciæ Reges, facta, Carolus Claudus è custodia dimissus Romam venit. Ibi à Nicolao IV. Pont. diadema & regni Siculi titulum sumpsit, materiam belli aduersùs

uersùs Hispanum. Eademque tēpestate bellum inter Eduardum Angliæ Philippúmque Franciæ Reges ortum, Christianam rem in Syria funditùs perdidit. Calypha Ægyptius simul Tartarorum metu solutus, simul Christanorum Principum fretus discordiâ, Tripolim, ipsámque Ptolemaïdem cepit, diruitque, tectisque ac mœnibus solo æquatis, fundamenta quoque murorum ab imo molitur, ne quod Christianæ rei, ac nominis vestigium extaret in Syria. Annus ipse XCI. eius sæculi erat, quo eodem anno, ac penè mense, natalis Deiparæ Virg. domus, deficiente cultu, ex Asia in Europam, cælestium ministerio transit. Quæ primò in Dalmatia, inde quadriennio post in Piceno consedit. Ædi miraculis, & opulentia inclytæ à Laureta syluæ eius, quàm insedit; domina, Lauretanæ nomen inditum.

Per idem tempus Ordo seruorum Deiparæ (Seruitas appellant) institutus extremis Rodulphi Cæsaris temporibus, qui cùm XIX. imperasset annos, cessit è vita. Per idem quoque tempus extitit B. Clara à Montefalco.

ADVLPHVS.

A Christo nato anno MCCXC.

ADVLPHVS Cæsaris nomen potius, quàm Cæsar, Rodulpho sublectus est, eodem fermè tempore, quo Nicolao IV. Cælestinus V. ex Anachoreta Pont. Max Qui cùm tanto oneri ferendo esse sibi non videretur, singulari exemplo summum sacerdotium posuit. Subrogatus ei Bonifacius VIII. qui sancti viri virtutem ærumnis exercitam illustra-

illustrauit. A Cælestino Cælestinorum disciplinæ orta, quam magnoperè eius mors euidentibus nobilitata miraculis auxit. Memorabili Iacobi Siciliæ Regis factum traditur. Hic Alphonsi fratris Aragonense regnum adeptus Siciliam Carolo Regi, & filios obsides reddidit. Cæterùm Federicus Iacobi frater certior factus, Siculos, extrema pati potiùs, quàm Francorum imperium, paratos; eò cum classe contendit: summísque incolarum studiis acceptus Rex salutatur. Sed in Sicilia populorum voluntas vim iuris obtinuit; in Flandria vis pro iure fuit. Philippus Rex Francus Flandriam partim vi, partim metu per Carolum Valesium fratrem subegit, Flandriæ Comite cum liberis in fidem acceptis. Et Albertus Rodulphi Cæsaris filius Adulphum Cæsaris prælio victum pariter vita exuit, regnóque, cùm is regnasset fermè sexennium.

ALBERTVS.

A Christo nato anno MCCC.

ALBERTVS inde Cæsar fuit, cuius principatus initio, ingens, ac diuturnus terræ motus concussit Italiam. Quo terrore, & simul imminentibus Orbi cladibus motus Bonifacius Pont. auertendæ diuinæ iræ sæcularem annum (Iubileum vocamus) instituit. Apostolorum Petri, & Pauli Ædes ritè adeuntibus delictorum omnium veniam indulgens. Incidit ea celebritas in ipsum annum MCCC. à Virginis partu. Noui pontificalis beneficij fama in omnes Orbis Christiani partes perlata incredibilem totus Occidentis exciuit sedibus suis molem. S. Antoninus auctor est, nullum ferè abiisse diem,

quin

quin vrbs Romana CC. peregrinorum millia hospitio exciperet. Venit inter cęteros illustres viros Carolus Valesij Comes Francię Regis frater germanus. Et per idem tempus Hierosolymę recuperandę spes affulsit. Cassanus Scytha Persis subactis, Armeniique Regis filia in matrimonium ducta, eius impulsu Christiana sacra susceperat, victóque Ægyptio Calypha Damascum, Syriámque suę ditionis fecerat. Iámque Hierosolymam ipsam petebat, cùm subita defectio Persarum eum domum reuocauit. Ergo Oratores ad Bonifacium Pontif. & ad Francum Regem destinauit, de sacra vrbe communibus viribus recuperanda. Cęterùm missus à Pontifice ad Pulchrum Francię Regem Apameensis Antistes nimio ardore animi cuncta turbauit. Nam Francum ad sacram expeditionem impellens, dum proceribus miscet minas, adeò Regis accendit iram, vt is atróci edicto vetaret, quenquam è suo regno Romam ire, aut pecuniam mittere. Hinc irę exarsére inter Pontificem, Regémque: & per eam occasionem cum nouis factionum nominibus veteria odia renouata. Nouę quippe factiones Alborum, Nigrorúmque Pistorij exortę sunt, ac tota penè Italia propagatę. Pro Gibellinis Albi, pro Gulephis Nigri appellati.

Noua quoque per id tempus Fratricellorum facta extitit, res in speciem pia reuerà flagitiosa, & viduarum, matronarum, virginum, quas ad nocturna sacra pelliciebant, nefaria corruptela. Itaque & à Bonifacio, & ab aliis Romanis Pontif. omni ope repressa est. Inter hęc Carolus Valesij Comes Calabriam, à Federico Siciliæ Rege occupatam recepit armis: Federicúmque ad leges accipiendas compulit, ut insula contentus continentem Carolo Clau-

do

do cederet. Porrò Claudus pace parta, Saracenos Nucerinos diuitiis præpollentes magna ex parte ad Christi pellexit fidem. At Bonifacius Pulchro Franciæ Regi iratus, quòd velut Sede Apostolica vacãte, ad Concilium appellasset, cum anathemate percussum regni iure spoliauit: quæ res in Pontificis caput vertit Sara Columna vnus è Romanis proceribus deformatus, atque eiectus à Pontifice apud Pulchrum erat. Hic igitur Regis instinctu Anagniam, vbi tum erat Pontifex, seruili habitu venit, & noctu à suæ factionis hominibus receptus per vltimum nefas, Bonifacium Pontif. comprehendit, Romamque perducit in vinculis, vbi ille non multo pòst tempore mœrore decessit, exitus vtique pontificali fastigio indignus. Certè Ausonensis Episcopus, vir sanctitate inclytus, vaticinatus dicitur, pestiferum id gaudium Franco Regi futurum: quippe imminere ipsi, sobolique eius ingentes clades ac dedecora ab irato Deo, cuius Vicarium tam atroci iniuria deformasset. Prædictionem comprobauit euentus. Tres deinceps eius filij regnum adepti, qui magnis afflicti cladibus sine stirpe periêre.

Eadem tempestate illustres doctrina viri, Florentiæ præcipuè floruerunt. Accursius Iuris ciuilis consultissimus. Dantes Aldigerius, Poëta Etruscis carminibus clarus & Ioannes Villanus Historicus non ignobilis. Horum æqualis Nicephorus Callistus Historicus; & Ioannes Scotus fuit acumine ingenij, & doctrinæ subtilitate nulli secundus.

Benedictus porrò X I. Pontificiam maiestatem, graui exemploanciẽdam ratus, Franciæ Regem, Saram, cæteróſque nefarij sceleris participes ignominia notatos sacrorum fecit exortes. Cæterùm Rex veniam orans in piorum cœtum receptus, có-

que

que deprecatore, etiam aliis venia data, Subinde Clemens V. absens Pontifex creatus, Cardinalibus Lugdunum excitis, pontificiam Sedem in Franciam transtulit anno eius sæculi V. Deo id cordi non fuisse, multis prodigiis declaratum ferunt. Super cætera, Laterana Basilica, Sedes Rom. Pont. (incertum quo casu) deflagrauit. At Clemens Sardiniam à Saracenis occupatam Federico Aragonensi Regi concessit vindicandam armis. Eadem tempestate Albertus Cæsar à Ioanne fratris filio: cuius oppidum occuparat. interemptus est anno principatus sui X. sublectus Cæsar Hencicus Comes Lucemburgensis. Et Clemens Pont. vltrò ei detulit augustalia insignia tradenda Romæ, qui honos ante id tempus est habitus nemini. Ioannes quoque Alberti percussor, cùm à Pont. veniam, pœnámque petiisset, ad Henricum Cæsarem est reiectus: cuius iussu Monachorum septo clausus vitam reliquam egit. Et monastica vita dignum tanto parricidio supplicium iudicatum. At Carolus Rex moriens regnum Roberto filio natu minori legauit. Nam Martellus natu maior in Hungaria regnum materno iure debitum quærens, vitam amiserat, Carolus autem Martelli filius, regnum Hungaricum iure auiæ adeptus obtinebat.

HENRICVS VII.

A Christo nato anno MCCCX.

HENRICVS VII. Cæsar Romam petens turbauit Italiam, Mathæum, seu Maffeum Vicecomitem Gibellinarum partium Principē ab exilio reuocatum, Vicarium suum Mediolani reliquit, Vidone

done Turiano Guelpho à regimine vrbis amoto. Inde ex omnibus penè Longobardiæ oppidis Guelphos eiecit, Gibellinis restitutus. Itaque Clemens Pontifex veritus, ne Cæsar Romam occuparet, absente Pontifice; Roberti Neapolitani Regis fidei vrbem commendat. Henricus igitur à Legato Pontificis appellatus Augustus, Roberto Regi abrogat regnum. Iámque Federicus Rex Siciliæ Henrico fœderatus, Roberto bellum intulerat, totiúsque Neapolitani regni fides nutabat cùm Henricus ipse belli auctor Roberto, & Florentinus exitium minitans ad Bonum conuentum, Etruriæ oppidum, non sine veneni suspicione decessit, anno quàm Cæsar lectus erat, VI. Cum belli concitore bellum extinctum, subinde in plerisque Longobardiæ ciuitatibus, qui præpollebant opibus, principatum occuparunt. Scaligeri Verona, Passerini Mantua, Catarij Patauio potiti. Per id tempus Dulcinus cum Margarita coniuge promiscuos ferarum ritu concubitus in Longobardiam inducebat. Iamque fœda pestis libidinis dulcedine, serpebat latiùs: & licentiæ Ducem ingentia agmina sequebantur. Igitur scelerata manus à legato Pontificis, armis oppressa. In duces atrocia edita exempla.

Haud pari laude Pulcher, Francorum Rex, Templarios eorum opulentiæ inhians extinxit. Multi auctores sunt falsis Pulchri criminibus Templarios in Francia circumuentos conflagrasse. Regem in illorum opes penè regius inuasisse. Cæterùm Templariorum Ordo abolitus: prædia Hospitalariis sancti Ioannis à Clemente Pontifice attributa. Qui opibus aucti in insula Rhodo, quam de Turcis ceperant, sedem posuêre. Inde Rhodij Equites appellati qui nunc sunt Melitenses, Sub idem tempus in Lusitania aduersùs Saracenos nouus Christi mi-

litum

tium Ordo natus, & Templariorum opibus locupletatus.

Veneti porrò, Ferraria dedentibus ciuibus in fidem accepta, non interdicto solùm, sed etiam grauissimis in negotiatores edictis à Pontifice male mulctantur, & à Legato Pont. victi Ferrariâ expelluntur. Tandem malis fessi pacem, veniámque à Clemente nequicquam petitam Francisci Danduli memorabili patientia impetrarunt. Is quippe collo catena inserta tamdiu ad mensam Pontificis iacuit, donec mitigata eius ira ignominiosam patriæ aboleret notam. Ex eo Canis Dandulo cognomen inditum. Et hæc humilitas illi ad summum in Veneta ciuitate fastigium viam fecit.

Per idem tempus Ludouicus Hutinus, Pulchri Regis Franci filius, patri successit, qui regnum Nauarræ maternam hæreditatem creuerat, Francique regni opes auxerat. Cæterùm diuisa Germanorum Procerum in Cæsare creando studia diuiserunt imperij vires. Duo erant Cæsares paribus suffragiis lecti, Ludouicus Bauariæ, & Federicus Austriæ Duces: qui ingentes conciuêre turbas.

LVDOVICVS

BAVARVS.

A Christo nato anno MCCCXV.

LVDOVICVS Cæsar, cognomento Bauarus, inita cum Matthæo Vicecomite societate, Genuam bello premebat, vt Gibellini exules restituerentur. Obsessi Ioannis XXI. Pont. qui Sede Auenione locauerat, implorare fidem, opémque. Igitur

L Ioannes,

Ioannes, postquam denunciatio nihil proficiebat, Bauarum, & Vicecomitem solemni ignominia notatos persequi cœpit armis. Interim Fraticelli (hi errore ducti opes, purpuram, dominatum à Sacerdotibus aliena esse docebant (Theologo subnixi Guilielmo Occhamo) Bauarum Cæsarem sui furoris impleruut, Pontificem, à quo ipsorum hæresis damnata erat, vltrò hæresis arguentes. Ille igitur, victo, captóque Federico imperij æmulo, Romam venit. Ibi cùm in cœtu populi Rom. Ioanni XXI. Pontificatum nequicquam abrogasset, Petrum Corbarium Franciscanum Pontificem legit, qui Nicolaus V. est appellatus. Ab eo Bauarus augustalibus insignibus ornatur. Cæterùm captus honos vtrique probro fuit. Pseudopontifex Pisis à Bonifacio Pizano Comite comprehensus in catenis Aueniomem ad Pontificem mittitur: & Bauari imperium à Pontifice non probatum.

Per eadem tempora Mathæus Vicecomes Mediolanensem, Passerinus Bonacossus, Mãtuanum dominatum occuparunt. Mastinus, & Albertus Scaligeri Fratres ex Eccelini Tyranni latrocinio Veronensem tyrannidẽ obtinuerunt. Castrucius capitali supplicio exemptus à ciuibus exacto Vgucione Tyrãno, Lucensem tenuit principatum. In Põtificis quoque ditione noui repentè Domini exorti Galeottus Malatesta Arimini, Franciscus Ordelaphus Forojulij, Manfredus Fauentiæ, Poletanus Rauennæ, Ferraria ab Estensibus occupata: Bononia, pulso Pontificis Legato in libertatem asserta. Tanti Gallicana mansio Pontifici stetit. Itaque tam tristi nuncio mœstus Ioannes Pont. moritur, maxima auri summa in thesauris relicta. Sunt qui tradant ad xx. talentorum millia fuisse, hoc est, ad ducenties quinquagies centena millia aureorum nostratium.

Per

Per idem tempus Florentini à Castruccio, intestinisque discordiis fatigati sese Carolo Duci Calabriæ, Roberti Neapolitani Regis filio dediderunt. Ludouicus Gonzaga Passerino, Bonacosso Mantuæ Domino interfecto, dominatum occupauit. Canis Scaliger, Veronæ Dominus, Patauio de Scarrariis in deditionem accepto, Taruisióque expugnato, moriens Mastinum filium hæredem reliquit. At Galeatius Matthæo Vicecomite natus paterno principatu dejectus sub Castruccio mœrens obiit, Azone filio ad spem Mediolanensis principatus relicto. Porrò Castruccius Lucæ Dux à Bauaro appellatus: idémque Pisarum, & Pistorij Dominus, cùm de Pistorio triumphans Lucam iniisset, à Legato Pontificis anathemate ictus interiit. Et eius filij paternis opibus à Bauaro, cuius causa Pontificem offenderat spoliati. Isabella Angliæ Regina Franci Regis fratris sui pecunia, & Alandi Ollandriæ Comitis generi copiis vsa; Eduardum II. Angliæ Regem virum suum adulterum cepit: & quia resipiscere noluit, regno spoliatum in vinculis habuit, Eduarno filio in regnum adscito.

Nec minus in Græcia per id tempus, quàm in Italia, rerùm est facta conuersio, Andronicus, Palæologi filius, damnata suorum populariuм fide, Tarraconenses aduersùs Turcas conduxerat: Qui cùm stipendiis fraudarentur, Athenarum Duce debellato, Thebas, Athenásque suæ ditionis fecêre. Et Andronicus Augusti nepos in imperij consortium ab auo adscitus, consortis impatiens auum debellatum in ordinem cogit, anno principatus L. At ille, amissis mærore luminibus, mentis oculos aperuit. Itaque cùm tonsus in Monasterium includeretur, illam misit plenam moderationis vocem: *Conuertere anima mea, in requiem tuam.* At per

occaſionem diſcordiarum inter auum, & nepotem Auguſtos, Turcarum opes creuêre. Othomanus Artoguli Regis filius Pruſam Myſiæ caput, magnámque Aſiæ partem ſubegit, anno eius ſæculi circiter XI. Manſit deinceps omnibus Turcarum Regibus cognomen Othomani.

Inter hæc Scaligerorum opes in Italia creuerant, ſuprà quàm finitimis tutum eſſet. Maſtinus Canis Veronæ, Patauij, Taruiſiique Domini filius, atque hæres, paternæ ditioni Vicetiam, Brixiam Bergomum, Parmam, Lucámque adiecit. Felix, ſi ſtatuiſſet rebus ſecundis modum. Iámque Boëmicis auxiliis ſubnixus, Venetiis imminebat, cum commune periculum finitimos ad ſocietatem belli compulit. Ergo Veneti, Petri Rubri Parmenſis egregij Ducis opera, Patauium, & Taruiſium, Luchinus Vicecomes (Azoni fratris filio in principatu ſucceſſerat) Brixiam, Bergomúmque Scaligero adimunt. Victo ita pax data, vt quod quiſque cepiſſet, retineret: ipſe Verona, Vicetia, Parma, Luca contentus eſſet. Pacata Italia, Benedictus XI. Pont. Legatum ad componendas res vrbanas deſtinat Romam. Ibique Franciſcum Petrarcham, Poëtam nobiliſſimum, in Capitolium triumphali pompa inuectum laureâ donari iubet. Inde Lucino Vicecomiti, Guillelmo Gonzagæ, Maſtino Scaligero, Obicioni Eſtenſi principatus ratos facit. At Bauarus Cæſar gratiam Pontifici relaturus, dominatum à priuatis in Pontificiæ ditionis oppidis partum pro imperatoria poteſtate ratum eſſe iuſſit. Et malus auctor iniuſtis dominis pro bono auctore fuit. Viterbij Vicanus, Cæſanæ Sinobaldus, Vrbini Feltrius, Piſauri Malateſta, Camerini Varanus, alij alibi Principes extiterunt. Ortum inde bellum inter Florentinos, Piſanóſque, penè in caput eorum,

rum, qui arma intulerant, vertit. Valterus Dux Athenarum à Roberto Neapolitano Rege Florentinis auxilio missus penè exitio fuit. Nam ad sedandas ciuiles discordias conseruator Reip. constitutus, dominatum occupare cœpit. Vrbem vtique tyrannide oppressurus erat, nisi Angelus Acciaiolus Florentinus Antistes concitatis ad tuendam libertatem ciuibus, Tyrannum expulisset. Cæterum multitudo rerum nouarum cupida, nobilitatem regimine ciuitatis amotam exegit vrbe. Maior subinde regnum Neapolitanum discordia agitauit. Robertus Rex, Claudi filius, sine virili stirpe moriens Ioannam ex filio neptem hæredem reliquerat. Ea Andreæ Caroli Hungariæ Regis minori filio desponsa erat: sed nouo sponso per insidias interfecto, nupserat Ludouico patrueli suo Tarentini Principis filio. Igitur Ludouicus Hungariæ Rex infesto exercitu in Italiam venit, indignam fratris necem vlturus, Regnum Neapolitanum à Regina, nouóque Rege destitutum sine certamine subigit. Cæterùm deinde Clemente VI. Pontifice deprecante, regnum Ioannæ Reginæ ab Hungaro redditum.

At Orchanes, Othomano genitus per Andronici Cæsaris socordiam, Nicæam, ipsámque Nicomediam Bithyniæ caput vi cepit. Nec ita multò post Andronicus cùm neglectis Medicorum præceptis, vberiore victu, noxiisque cibis vteretur, vrgente morbo temeritatem morte luit, anno quàm imperare occeperat XX. Moriens Ioanni (Caloioannem alij appellant) paruo filio regnum legauit, addito Catacuzeno tutore.

Eadem tempestate Petrarcha, Lyranus, Durandus, Gregorius Ariminensis, Bartolus Iurisconsultorum facilè princeps, extiterunt.

CAROLVS IV.

A Christo nato anno MCCCL.

CAROLVS IV. Boëmi Regis filius, Cæsar creatus haud indignum se parto titulo præbuit. Inter principatus eius initia Nicolaus Rentius (Colarentium appellabant) Scriba pop. Rom. multitudine ad spem libertatis erecta, Tribunitium nomen, ac potestatem imperatoriam inuasit. Inde omnes fermè Italiæ populos libertatis dulcedine delinitos perpulit, vt pacem ab eo, amicitiámque peterent. Cæterùm res maiore animo, quàm consilio mota, vt breui creuerat, facile corruit. VII. mense, quàm Tribunatum acceperat vnam ciuitati Rom. sanctionem amplexus, offendit alteram. Igitur, cùm ruinæ proximus in lubrico staret, ad Carolum Cæsarem in Germaniam tendit societatem eius, & amicitiam petens. At ille turbulentos ciues minimè fouendos ratus, Tribunum vinctum ad Clementem Pontificem mittit Auenionem. Ibi importunus ille vindex libertatis in vinculis habitus: rebus vrbanis compositis populo Rom. bini Senatores redditi.

Eodem fermè tempore Roma liberata est, & Constantinopolis tyrannide oppressa. Catacuzenus Ioãnis pueri tutor sub specie tutelæ inuasit imperium, & per annos XVI. pro Imperatore se gessit, peioribus etiam artibus, quàm quæsierat, firmans tyrannidem. Amicitiam quippe, affinitatémque cum Orchane Turcarum Rege iunxit, filia illi in matrimonium collocata, ingenti cum Græciæ malo. Nam barbaris amicitia cũ Græcis inuadẽdæ Græciæ occasio fuit.

Porrò

Porrò Clemens VI. Pontif. rogatu populi Rom. sæcularem Iubilei celebritatem ad quinquagesimum annum reuocauit, egítque anno eius sæculi L. Cæterùm eam celebritatem deformauit lues, qua non alia fœdior, ac funestior memoratur. E Scythia in Græciam transgressa, inde Illyricum emensa. Italiam peruasit. Trienniόque præcipuas funeribus exhausit vrbes, vix centesimo quoque superstite. Diceres Italiam etiam sanctissimo illo tempore ciuilibus bellis deditam pœnas luere temeritatis suæ. Itaque sequestra, cessatum ab armis est. Inter quæ Clemens Auenionem ab Ioanne Regina Neapolitana emptam pontificiæ ditionis fecit. Bononiam à Ioanne Vicecomite Luchini fratre ademptā amisit. At Carolus Cæsar ad Vrbem profectus, & à duobus Cardinalibus Innocentij VI. Pontif. nomine imperij insignibus ornatus, intacta cessit Italia. Et Cardinalis Carilla, Pontificis Legatus, quà vi, quà metu recepit, quicquid noui Dynastæ in Piceno, Vmbria, Æmilia occuparant. Dynastarum conditio varia pro cuiusque meritis fuit. Malatestæ, Polentano, Varano quòd obsequentiores Pontifici fuissent, fiduciarius principatus relictus: Ordelaphi, cæteríque bello domiti, eiectíque: arces oportunis locis excitatæ. Vix dum pontificia ditio liberata à Tyrannis erat, cùm Roma iugum accepit. Franciscus Baroncellus iisdem artibus, quibus Nicolaus Rentius Tribunatu potitus, à Pontifice per Rentium ipsum extinguitur. Sed Rentius fidei datæ immemor, Tyranno sublato, ipse tyrannidem occupauit. Itaque breui ab infensa olim factione captus necatur: dignus vtique qui Tyrannus moreretur. Secundùm Rentianam cædem vnicus Populi Roman. Senator creari cœptus, & ad vitandos ambientium motus, peregrinum vrbi

Senatorem Innocentius dedit.

Eadem tempestate, & Roma nouæ, & Constantinopolis veteris tyrannidis iugo exempta Caloioannes, catacuzeno Tyrannno, Gatalusij Genuensis ope, operáque exacto, Constantinopolitanum recepit imperium. Eius meriti pretium insulas Lesbum, & Mitylenen Ligur accepit. Cæterùm Caloioannes cùm Bulgaricis armis premeretur, inita cum Turcarum Rege societate, se eius stipendiarium fecit: quæ res Græci imperij labes fuit, Amurathes Orchane genitus, Græco Cæsari opem adversùs Bulgaros Turcica fide tulit. Bellum dedita opera trahens, per speciem supplementi ex Asia transportandi, Callipolim, aliáque oppida circa fauces Hellesponti occupat. Bona inde Thraciæ parte potitus, Adrianopolim imperij sedem transfert, anno eius sæculi L.

Maiore Germania periculo defuncta est, damno minore, Iudæi consilia inter se agitarant de puteis veneno inficiendis, vt Christianum nomen extinguerent. Quæstione habita conuicti, omnesque ad vnum combusti. Eadem tempestate consternatio Romæ exorta salutis initium fuit. Populus Roman. peregrini Senatoris pertæsus septem viros constituendæ Reipub. causa creauerat. Itaque Vrbanus V. Pontifex ad res vrbanas componendas Romam aliquando venit, Catharinæ Senensis (& ipse Senensis) sanctissimæ Virginis hortatu. Septemviris abrogatis, Senatores peregrinos semestres restituit. Vrbis regimen penes Banderesios, (hodie Capita regionum vocantur) esse voluit. Eodem tempore Carolus Augustus cum vxore & liberis Romam venit : itémque Birgitta, Sueciæ Princeps, eximiæ sanctitatis mulier. Cæterùm Vrbanus vrbanis rebus compositis remigrauit in

Fran

Franciam, relatæ in Italiam Romanæ Sedis titulum; ac decus alteri relinquens. Inauditum inde Florentinorum facinus proditur. Hi legato Pontificis infensi vexilla complura, vbi aureis litteris inscriptum erat LIBERTAS, per cohortium duces circum Pontificis oppida misêre, populos ad defectionem à Pontifice inuitantes. Immane dictu, quàm facilè omnes libertatis dulcedo pellexerit. Vniuersæ penè Tusciæ, Piceni, Flaminiæ, Æmiliæque ciuitates, atque oppida à Pontifice defecêre magno Rom. vrbis bono. Gregorius XI. Pont. ratus ea mala ex Pontificis absentia orta, eiusdem præsentia discuti posse, Catharinæ Senensis impulsu tandem remigrat Romam anno eius sæculi LXXVII. Rediit Romana sedes in Italiam LXX. ipso anno, quàm Clemente V. Pontif. abierat in Franciam. Pontificis reditus vrbi, & Pontificiæ ditioni saluti fuit.

Per eadem tempora Casimirus Magnus Poloniæ Rex sine liberis decedens regnum Ludouico Hungariæ Regi legauit. Ex quo tempore Poloni peregrinis Regibus parere cœperunt. At Carolus Augustus XXXII. imperij anno moriens Vincislaum filium successorem habuit : vir Musarum fautor (quippe Pragensis Academiæ auctor) & pace magis quàm bello clarus. Cuius æqualis Carolus V. Franciæ Recognomento Sapiens, fuit, qui bonis artibus vnicè deditus, consilio magis, quàm armis, quæcunque pater amiserat, ab Anglis recepit.

Eadem ætas, & doctis viris, & sanctis floruit. In his Baldus iuris consultissimus idémque Bartoli auditor, & Gregorij XI. magister; & Ioannes Columbanus Iesuatorum Conditor, Catharinæ Senensis, & ciuis & æqualis extiterunt.

VINCISLAVS.

A Christo nato anno MCCLXXX.

VINCISLAVS Cæsar ob inertiam inane Cæsaris nomen gessit. Eius principatus initium, ingens Christiani Orbis discordia, insigne fecit. Nam per id tempus, Fundis Ioanna Regina Neapolitana fauente, Clemens VII. Pseudopont. aduersùs Vrbanum VI. à Francis Cardinalibus creatus, rem Christianam distraxit. Francia, & Hispania Clementem, cæteri Vrbanum Pontificem agnoscebant. Per id tempus Iagello Lituaniæ Princeps Christianis sacris initiatur, Lituaniam ad Christi nomen adduxit. Vladislao nomen inditum. Qui deinde Poloniæ Rex creatus Lituaniam, Samagitiam, Russiam regno Polonico adiunxit, & regnum ad posteros in centesimum fermè annum propagauit. Eius opus Academia Cracouiensis fuit.

Eadem tempestate Veneti, bello Genuensi multis illatis, acceptisque cladibus in vltimum venêre discrimen, quod tandem in Ligurem vertit. Petrus Auria Ligusticæ classis Dux, accisis ad Polam per insidias nauali prælio Venetorum viribus, Istriam perpolatus, Venetias ipsas rerum caput inuasit. Iámque circa vrbem locis vi captis, imminebat vrbi, cùm Venetus malis victus Oratores de pace per æqua, & iniqua componenda, ad hostem misit. Ligur victoria ferox hanc vnam spem pacis ostendebat, si se, suáque permitterent victoris arbitrio. Creuerunt Veneto, vt fit, ex desperatione, animi: & vltima experiri, quàm indigna pati maluit. Peropportunè Germanus machinator tor-

menti

menti bellici genus Bombardæ (ab sonitu, & ardore nomen factum) excogitarat, anceps humanis rebus inuentum. Hoc igitur nouo præsidio fretus Venetus cum noua classe occurrit hosti. Et Ligures improuiso malo perculsi, nec minore terrore, quàm strage victi ad Clodiam obsidentur. Tandem fame domiti eandem conditionem à victoribus Veneris acceperunt, quam victis ostenderant: haud leve temperandæ victoriæ documentum. Cladem pax est consecuta. Haud ita multò pòst; cùm vtrique bellis, malisque fatigati essent, pax inter eos stabilis constituta anno eius sæculi circiter LXXX. Hanc pacem noua belli vis excepit. Carolus Dyrrachinus, cognomento Paruus, missu Ludouici Regis Hungariæ (erant enim patruelium filij) cum Hungaricis copiis in Italiam venerat ab Vrbano Pont. ad Neapolitani regni spem euocatus. Per summam felicitatem Campania sine certamine potitur. Neapolim faustis acclamationibus receptus, Ioannam Reginam in arce noua obsessam capit. Subinde Ludouicus Andegauensis, regia Francorum stirpe natus, Clementis Pseudopont. impulsu, cum XXX. equitum millibus Alpes transiit, Ioannæ Reginæ aduersus Hungaros opem laturus. Serum id auxilium fuit. Vix regni fines ingressus eam exanimatam cognoscit, puluino faucibus intruso. Et Carolus Francum certaminis auidum cunctando fregit. Dum bellum in Apulia trahitur, Andegauensis (incertum morbo an veneno) decessit. Exercitus, amisso Duce, dilapsus. Subinde Ludouicus Hungariæ Rex cùm maiorem natu filiam Sigismundo Vincislai Cæsaris filio despondisset, extinguitur. Carolus ergo regno Neapolitano ingens, accersitu Procerum in Hungariam profectus Rex salutatur. Ita Neapolitano Hungaricum regnum adiecit,

adiecit, felicior alterutro regno futurus. Hungariæ Regina Sigismundo genero fauebat, Huius fraude Carolus necatur. Sigismundus Hungarico regno potitur. Pari scelere Ioannes Galeacius Vicecomes Bernabone patruo in custodiam tradito, Mediolanensem principatum occupauit. Inde Antonio Scaligero, & Francisco Carratio inter se bellum gerentibus, Veronam, & Viceriam Scaligeris, Patauium Carrariis ademit:quod tamen non tenuit. Franciscus filius, Venetis adiuuantibus paternum principatum breui recepit.

Dum Italia domesticis bellis quatitur; Bizantij ingēs inter principes orta discordia Turcis Græciæ subigendæ locum dedit. Andronicus Caloioannis Augusti filius ob affectatum imperium oculis captus à patre ad Baiazetem Turcarum Regem (Amurathe is genitus erat) confugit. Itaque constantinopoli Turcicis armis potitus, precarium à Turcis accepit imperium. Caloioannē patrem cum Emmanuele fratre in vinculis habuit. Qui deinde custodia elapsi ad Baiazetem & ipsi confugiunt. Certamen fuit de imperio inter patrem, filiúmque apud Barbarum Regem qui velut auctionaretur imperiū, Emmanueli plùs licitanti demum addicit. Caloioanni, & Andronico Augustis inter Ianizaros locus datus. Quia etiam ipse Emmanuel nouus Augustus in eundem numerum venit: adeò obsoleuerat iā Græci Imperij maiestas, Bajazetes porrò his ipsis adiuuantibus, aliquot oppida Phocidis, Peloponnesi, ac Thessaliæ cepit. Nicopolim inde, aliásque haud ignobiles Bulgariæ vrbes cepit. Exin Hūgariæ fines vrere, ac vastare instituit. Itaque Ioannes Audacis Burgundiæ Ducis filius cum valido exercitu auxilium Sigismundo Hungariæ Regi tulit aduersùs Turcas. Cæterùm ad Nicopolim ingens

gens clades accepta temeritate Burgundi. Is vt victoriæ decus suum faceret, priusquàm Sigismundum copias suas castris educeret, cum hoste conflixit. Et audacia infelix fuit: exercitu cæsus à Turcis, Dux ipse captus CC. aureorum millibus se redemit. Sigismundus, misso exercitu, cum paucis Procerum effusa fuga periculum euasit.

Inter hæc Bonifacius I X. Pontif. consilio ætatem superans (xxx. quippe annos natus erat) tandem pontificiam restituit maiestatem. Namque S. Angeli arce communita, populo Rom. frænos iniecit, primusque pontificum Romanos Magistratus ad arbitrium suum creauit. Ladislaum, Caroli Regis filium, in Neapolitanum regnum restituit, debellatis Tyrannis. Et Franci proceres cùm vidissent Benedictum Lunam Pseudopontificem de continuando magis, quàm de tollendo dissidio laborare, cum non edictis solùm, sed etiam armis Francia exegerunt. Itaque ille in Hispaniam ad natale solum concessit. Ibi à Ferdinando Castulonensi Rege cultus, cui Aragonense regnum caducum adiudicarat. Ex numero Iudicum Vincentius Ferrerius Euangelij Prædicator, miraculis inclytus fuit, qui nondum Lunam Pseudopontificem esse censerat. Vinceslaus porrò Cæsar ingenti pecunia accepta Galeacium Vicecomitem Mediolanensium Ducem appellauit anno eius sæculi circiter x c. Per id tempus præerat Mediolanensibus copiis Albericus Agidarius, Cunij Comes, ab Hispania oriundus, vir bellicis artibus clarus. Is quippe militarem disciplinam longo interuallo reuocarat in Italiam, vt peregrino milite non egeret. Hinc Brachius, & Sfortia, egregij bello Duces, hinc Brachianæ, & Sfortianæ cohortes etiam Barbaris formidandæ. Hic igitur Albericus Florentinis Pisas

obsiden-

obsidentibus arma intulit Galeacij missu. Iámque omnia suburbana populatus Florentiæ imminebat, cùm Paulus Vrsinus vnus è præcipuis eius Ducibus ad Florentinos transiit. Et ipse Albericus à Galeacio ad domisticum bellum est reuocatus. Iacobus quippe Comes Armeniacus, Florentinorum auro pellectus, Vicecomiti bellum intulerat. Sed Ioanes Vermis, Mediolanensium cohortium Dux nobilis, aduersùs vim arte pugnauit. Alexandriæ inclusit se, dum Francorum impetus resideret. Illi, veluti iam debellatum esset, auidè discurrunt ad prædam. At Vermis incautos, ac palantes adortus cædit impunè. Comes saucius in potestatem hostium venit. Hæc victoria mirè Galeacij opes auxit, Perusia, Luca, Pisæ, Bononia, aliáque oppida in eius venêre ditionem, vt iam XXX. ferè nobilissimæ Italiæ ciuitates Galeacio Duci parerent.

Per idem tẽpus Antoniottus Adurnus Dux Genuensium Remp. fessam discordiis, exhaustam sumptibus, Carolo VI. Franciæ Regi dedidit anno (vt Augustinus Iustinianus Episcopus Nebiensis tradit) MCCCXCVI.

Aderat iam sæcularis Iubilei celebritas, quæ Romæ à Bonifacio IX. agitata est anno post Christum natum MXL. Non alia, ætas inusitatis, & atrocibus Principum casibus fœcundior extitit, Carolus II. Nauarræ Rex, cùm ad excitandam libidinem, aqua, quæ ardens vocatur, corpus suum perfudisset, ambustus est. Haud ita multò pòst à Germaniæ Proceribus Vinceslao; ob eius inertiam, imperium abrogatum. Carolus VI. Franciæ Rex, ob insaniam regni gubernaculis amotus.

Bajazetes Rex Turcarum à Tamerlane, Tartarorum Rege, victus, captúsque, & in cauea ferrea ad ludibria reseruatus. Fama est, cum, cœnante

te

te Tamerlane, emissum catenâ aureâ collo insertâ, inter canes cibum sub mensa cepisse. Ad hæc Regi equum conscensuro substratum tergum præbuisse, adeò barbarè barbarus Rex à Rege barbaro tractabatur. Hac victoria Tamerlanes domuit, quicquid terrarum est à Tanaï flumine ad Nilum. Cæterùm breui tam horribilis tempestas detonuit. Regnum moriens duobus, tribùsve filiis reliquit, quorum discordia paternas opes in immensum auctas dissipauit. Nec maior Baiazetis filiorum concordia extitit. Quatuor deinceps fratres inter se infensi, infestique regnum tenuère Quorum postremus Mahometes stabile, ac diuturnum obtinuit regnum; & quæ pater in Asia amiserat, recepit.

Eadem tempestate Paulus Venetus extitit, & Chrysoloras Græcas litteras in Italiam reuexit. Nec ita multò pòst Latina lingua, cùm siluesceret, excoli cœpta.

LIBER X.

ROBERTVS.

A Christo nato anno M C C C C.

ROBERTVS interim ex Bauariæ Duce Cæsar ingentibus Florentinorum promissis oneratus, Galeacio Mediolanensium Duci bellum intulit. Sed collatis ad Benacum (Gardæ lacum appellant) signis victoria penes Vicecomitem stetit. Cæterùm haud ita multò pòst victor improuisa morte extinctus est. Eius liberi partim oppressi partim eiecti. Imperium dissipari cœptum, aliis alias

alias vrbes ad se trahentibus. Per idem tempus Vicecomitum oppressæ opes, & Scaligerorum, Carrariorumque extinctæ. Franciscus Carrarius, Guillelmo Scaligero per fraudem extincto, Veronáque occupata, Scaligeros deleuit: magna illi fraus stetit. Breui ipse à Venetis ductu Francisci Gonzagæ victus, Veronáque, Vicetia, Patauio exutus, cum liberis, ac nepotibus necatur. Carrariorum, & Scaligerorum ruinis Venetæ opes creuêre. Et Florentini, Pisis ad deditionem compulsis, potentiores esse cœperunt. Sigismundus quoque, Hungariæ Rex, fratre mortuo, Boëmico auctus est regno. Nouum deinde, & anceps exemplum traditur. Subinde Gregorio XII. Pontifici, & Benedicto Lunæ, quòd schismatis tollendi causa ad colloquium; vti promiserant, venire detrectarent, in Concilio Pisano Pontificatus est abrogatus. Alexander V. sublectus liberalitate insignis. Pauperibus, bonisque viris largiendo nihil penè, sibi reliqui fecit. Cuius illa vox, *se diuitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem*. Is Ladislaum Regem pontificiæ ditionis inuasorem sacra ignominia notatum Neapolitano regno exuit, Ludouico Andegauensi Comite in spem regni euocato.

Eadem tempestate Canonicorum Regularium, & Benedictinorũ disciplina Patauij instaurata, nouúsque Sacerdotum Regularium Ordo (Apostolici dicebantur) B. Laurentij Iustiniani opera Venetiis ortus. Robertus Cæsar X. imperij anno cessit è vita, cùm B. Francisca Romana assiduo Angeli custodis conspectu insignis Romæ vigeret.

SIGIS-

SIGISMVNDVS.

A Christo nato anno MCCCCX.

SIGISMVNDVS ex Rege Hungariæ & Boëmiæ Cæsar pius in paucis, & rei Christianæ salutaris est habitus, hoc auctore Ioannes XXII. Pontifex concordiæ causa Constantiense Concilium indixit. Quo in Concilio Ioannes multis, & grauibus criminibus Augusto Præsente conuictus, & Pontificatu deiectus, decretum Concilij comprobauit. Exinde Gregorius, Sigismundi suasu, Pontificatus insignia deposuit. Quam ob causam Piceni Legatus constituitur à Pontifice Cardinalis. Tandem Regibus Angliæ, Franciæ, Hispaniæ, Augusti ipsius legatione, ad auctoritatem Concilij reuocatis, Benedicto Lunæ Pontificatus nomen abolitum. Ita pace aliquando Ecclesiæ reddita, Martinus V. Columna omnium consensu Pontifex creatus anno eius sæculi XVII. Qui Germaniæ, Franciæque populis sedem deferentibus, in Italiam protinus transiit, dictitans, *rectorem nauis in puppi, non in prora esse oportere* ad eum Baltasar Cossa (Ioannes XXII. olim fuerat) Florentiam profectus in numerum Patrum cooptatur, vt eadem ætas duos videret ex Pontificibus Cardinales.

Inter hæc Ladislao Rege in Florentiæ obsidione nuper extincto, Ioanna Regis soror, atque hæres probrosam agebat vitam. Nec eo contenta, cum Brachio Montonio, nouo Pontificis hoste, arma iunxerat. Ergo Pontifex regnum Ioannæ abrogat, bellúmque infert, Sfortiæ ductu. Illa necessitate subacta Alphonsum Aragoniæ Regem adoptat, eius

opem

opem Implorans. Cæterùm Alphonsus hostium victor, mulieris inconstantiam veritus maritimi regni arcibus in potestatem redactis, Reginam in ordinem cogit, ipse regno potitur. Igitur Ioanna, Alphonso exhæredato, Ludouicum Andegauensem adoptione filium adsciscit, qui per eos dies fuerat à Pontifice Rex vtriusque Siciliæ appellatus. Et Philippus Maria Vicecomes; paterna ditione recepta ingens, in Pontificis gratiam Andegauensem auxiliis, & classe iuuit. Itaque debellatis Hispanis, Regnum in noui Regis Franci fidem venit. Subinde Sfortia Brachium persequens, in Aterni fluminis (Pescariam vocant) transitu, fluctuante ab æstu maris amne, abreptus hauritur fluctibus.

Eodem anno Brachius Sfortiæ æmulus, Duce Iacobo Caldora ad Aquilam victus, cæsúsque est, Dux fortis magis, quàm fidelis. Porrò Philippus Vicecomes Brixia, Cremona, Parma potitus, Genuam quoque, eiecto Thoma Frigosio Duce, in deditionem acceperat, cùm Franciscus Carminiola Dux egregius ab eo transiit ad Venetos. Et Veneti Florentinis in societatem assumptis, Carminiola Duce ingentes Vicecomiti intulére clades. Demum pace facta, Brixia,& Bergomum Veneto cessêre.

Eadem tempestate insania Caroli Regis Franci regnum concessit Anglis. Ioannes Burgundiæ Dux aduersùs Comitis Armeniaci dominatum à Regina imploratus, Parisiis captis Regina ipsum in suam redegerat potestatem. Iámque regnum omne ad Burgundionem inclinabat, cùm is speciem colloquij fide data, acceptaque, à Delphino Regis filio interficitur. Igitur Philippus Ducis filius, herésque, rei indignitate motus, vrbem regiam, Regem, Reginámque, cum Catharina filia, Henrico Angliæ Regi tradit. Protinus Catharina,

patre-

patre annuente, qui nec regni, nec mentis potens erat, Anglo Regi nubit his legibus, vt ad Regis Franci generum, liberósve ex Catharina genitos, regnum Franciæ, Rege mortuo, perueniret. Ita Caroli insani morte Franciæ regnum ab Angelis occupatum anno eius sæculi fermè xx. regni tamen eius, ac titulus penes Carolum Delphinum mansit.

Per eadem tempora Amurates, Rex Turcarum, Thessalonicam Venetis ademit. Ætoliam per Dynastarum discordiam subegit. Inde etiam Vallachiam (Dacia olim fuit) Serviam, Bossinam stipendiarias fecit. Interim diuina prouidentia Francicam rem mira prorsus ratione restituit. Ioanna erat virgo Lotharinga viriles animos gerens: hæc diuinitùs instincta, impetratis à Carolo Rege copiis, Aureliarum obsidionem soluit. Victricia inde arma circumferens, circumiecta oppida, & Rhemos capit. Cæterùm in Parisiorum oppugnatione cùm vulnus accepisset, à Burgundione circumuenta, & ab Anglo Rege cremata est, maiore inferentis, quàm subeuntis supplicium probro. Quippe illa & vixerat secunda integritatis, & innocentiæ fama, & moriens facile, ac procliue Regi bellum, ac victoriam tradidit. Itaque Rex pace cum Burgundiæ Duce facta, per eum amissas vrbes oppidáque de Anglis recepit, restitutus in regnum eiusdem ope, cuius opera fuerat deiectus.

Sigismundus porrò Augustus ab Eugenio V I. ritè appellatus, Francisco Gonzagæ Mantuæ Domino Marchionis titulum dedit. Cæterùm Sigismundo in Germaniam regresso, Philippus Vicecomes nefarium Pontifici bellum pessimis artibus fecit. Confictæ sunt ab eo litteræ, quibus ipse Concilij Basileensis Dux, & Pontificiæ ditionis Præfectus constitueretur, Eugenio in ordinem coacto. His

literis

literis Picenum Francisco Sfortia Duce, subegit: per Columnenses populum Romanum in Eugeniũ concitauit. Qui tempori cedendum ratus Florentiam se recepit. Ibi Pontifice auctore, Medicei ab exilio reuocati. Cosmus vexillifer creatus. Inde Ioãnes Vitellescus Patriarcha Alexandrinus, Romam à Pontifice destinatus Columnenses, Sabellósque Gibellinę factionis principes armis domat. Protinus in Campaniam progressus pontificia oppida recepit.

Inter hæc Ludouico Rege; Regináque eodem anno sine liberis vita functis, ingens in regno Neapolitano extitit belli moles. Neapolitanorum plerique Rainerio Renato Andegauensi Regis fratri regnum deferebant, in testamento Reginam iussisse præferentes. Præcipui Procerum fauebant Alphonso. Hic igitur, instructa classe, Caietam terrâ marique acriter oppugnabat, cùm Genuensis classis à Vicecomite missa subsidio venit obsessis. Ibi Ligur viribus inferior arte vicit. Regiam nauim subito concursu ictam penè demersit, & simul magno viuæ calcis numero ante oculos hostium in mare coniecto Hispanorum animos ingenti terrore perstrinxit. Itaque positis armis in calcis caligine statim est deditio facta. Capti duo Reges, Aragonensis, & Nauarrus, Proceresque complures ac magna Genuensium fama ad Vicecomitem adducti. Cæterùm ab eo non vt hostes, sed vt hospites accepti, tandem cum muneribus dimittuntur vltrò. Ratum in hoste, & omni æuo memorabile humanitatis exemplum. Verum enim verò Genuenses ea re infensi, Francisco Spinola Duce, excusso Vicecomitis iugo, asserunt se in libertatem. Inter hæc Vicecomitis opera corruptum Basileense Concilium, lasciuire in pontificem cœperat. Plerique Patrum, Pisani, & Constantiensis Cõcilij memores rei Chri-

stianæ

stianæ summam, abiit iúmque à Pontifice ad Concilium transferebat. Ergo Eugenius, ne quod monstrum conuentus ille pareret, Iuliano Cæsarino Legato inde reuocato, Concilium Bononiam, inde Florentiā transfert. Eodémque fortè tempore Sigismūdus Augustus decessit anno principatus sui XXVI.

Per idem tempus Maffæus Ægius Poëta, Laurentius Iustinianus, Dionysius Carthusianus, Antonius Florentinus, doctrina pariter, ac sanctimonia clari extiterunt.

ALBERTVS II.

A Christo nato anno MCCCCXL

ALBERTVS II. Inde Dux Austriæ, Sigismundi gener, hæresque regnorum, Cæsar creatus. Eodémque anno Ioannes Palæologus Græcus Imperator, cum Patriarcha Constantinopolitano, magnóque Orientis Antistitum numero Ferrariam ad Eugenium venit. Et Basileensis Conuentus monstrum, quod parturiebat, maturauit. Eugenio Pontificatus abrogatus, & Amadeo Sabaudiæ Duci (is cum paucis familiaribus studio sanctioris vitæ secesserat) delatus Felici nomen inditum omine infelici. Quippe Basilea basiliscum peperisse vulgò ferebatur. Subinde Florentino Concilio, Græci, Palæologo præsente, conuicti tandem ad Latinæ Ecclesiæ religionem, Romaníque Pontificis auctoritatem summa omnium gentium lætitia, & gratulatione rediêre anno eius sæculi circiter XI. Mox Armenij, Indique, Concilij auctoritatem secuti in lætitiæ cumulum accessêre. Permissum Græcis vt suo ritu in Baptismo vterentur, fermentatum panem consecrarent, vxores ante sacerdotiū ductas haberent.

haberent, Per idem tempus ratio imprimendorum librorum apud Germanos inuenta, magno ingeniorum compendio, bonóque.

Porrò, ne læta omnia essent, Nicolaus, cui Piccininus à corporis breuitate nomen, Viceconitis Dux, Rauennã, Bononiã, cæteramque Æmiliã Pontifici ademit: inde Venetorum ditionem inuasit. Cęterùm Sfortia Philippi promissis elusus ad Venetos defecit. Et Verona, Viceáque obsidionis periculo liberatis, rem Venetam inclinantem erexit: tantum in illo Duce in vtramque partem momenti fuit. Inter hæc Albericus Cæsar, vix expleto biennio, regni vitæque finem fecit. Renatus ingenti Genuensium classe subnixus regnum Neapolitanum sine certamine occupauit. Sed post discessum Ligusticæ classis, Alphonsus Aragoniæ Rex Neapolim obsidet; & intromissis per aquæductum militibus (vt olim Belisarius) vrbem capit. Renatus, amisso regno, profugit in patriam. Ita demum Neapolitanum regnum Tarraconensibus cessit anno eius sæculi XLII.

FEDERICVS. III.

A Christo nato anno MCCCCLXII.

FEDERICVS. III. Cæsar interim creatus Cuius principatus initium Hungarorum, ac Polonorum clades nobilitauit. Vladislaus Hungariæ, Poloniæque Rex ad Varnam Mysiæ vrbem collatis signis cum Amurathe conflixit. At primò impetu Ioannes Hunniates Præfectus Hungariæ Turcarum equitatem in fugam verterat. Sed Rex castra hostium temerè aggressus cecidit cum ingenti suorum

suorum clade. Iulianus quoque Cæsarinus, Pontificis Legatus, incertum quo casu, periit. Regis caput à ceruicibus abscissum, ac tota fermè Græcia circumlatum. Cæterùm testis huius nuncij mærorem Alexandri Ducis Epirotarum (Scanderbechus à Turcis appellatur) virtus abstersit. Is cùm ab Amurathe defecisset, paterna ditione recepta aduersùs Turcas secunda prælia multa fecerat. Inde Troiam præcipuam Epiri (quæ nunc Albania est) vrbem Amurathe oppugnante defendit parua manu mirabilia opera edens: & quamdiu vixit Turcarum terror, Epiri propugnator fuit.

Inter hæc Eugenius Pontif. cœtum Basileensem cùm decretis non posset, disiecit armis, Delphino Caroli Franciæ Regis filio Basileam immisso. Et per id tempus Bononia in Pontificis fidem venit. Æmilia per Legatum recepta. Sfortia Vicecomitis ex hoste gener, ex Piceno pontificiam ditionem incusans, Piccinini ductu, Alphonsique Regis auxiliis, Piceno tandem exactus. Hac Eugenius victoria lætus decessit, Pontifex doctorum hominum, doctrinæque fautor in paucis. Leonardum Aretinum, Carolum Poggium, Georgium Trapezuntium, Flauium Blondum historiâ nobilem, secretorum participes habuit. Gymnasia omnia enixè fouit, Romanum in primis, quod omnium disciplinarum magistris instruxit.

Nicolaus V. sublectus, qui doctrinæ, ac virtutis gradibus ad Pontificatus fastigium ascendit, eodem anno Episcopus, Cardinalis, Pontifex creatus. Et Felix Pseudopontifex concensu omnium & Cæsaris auctoritate victus, pontificalem deposuit ornatum. Igitur ei Cardinali creato Germaniæ legatio delata. Per id tẽpus Veneti Philippo Vicecomite extincto, Laudam, & Placentiam occuparant. Et

Sfortia

Sfortia Mediolanensibus infensus defecit ad Venetos. Quorum auxiliis fultus Papiam, cæteráque oppida Mediolanensium vi capit. Quanquam, deserentibus Venetis; Cosmi Medicei pecunia adiutus, Mediolano potitur, & Mediolanensium Dux salutatur. Secutus est annus MCCCCL. Iubilei celebritate, & Federici Cæsaris cum Leonora coniuge aduentu in vrbē, & inauguratione insignis Augustus Borsium Estensem Mutinæ Ducem appellauit. Cæterū Nicolai V. Pōtificatum Constātinopolitana clades insignem fecit. Græci religionem in Concilio Florentino nuper iureiurando firmatam; haud sine leuitate damnarant. Ergo Mahometes, Rex Turcarum, Deo Græcis irato, Constantinopolim vi capit, & Constantino Palæologo Imperatore (vt à Constantino ortum cum Constantino deficeret imperium) interfecto, ingentes nobilitatis, ac vulgi edidit strages: anno eius sæculi LIII, Mahometes sede Græci imperij potitus, Imperatorem se dici iussit. Callistus inde III. Pontifex Turcis bellum illaturus, nihil nec diuinæ, nec humanæ opis prætermisit. Perpetuis supplicationibus indictis; Vssumcassanum Persarum Regem muneribus in Turcam incitauit. Copias in Hungariam, classem in Græciam destinauit: & apparuit cæleste auxilium in multiplici victora; Belgradum nobile Hungariæ oppidum Mahometes C C. armatorum millibus oppugnabat. Igitur Hunniades, Ioanne Capistrano Christi crucifixi effigiem in hostem inferente, ingentem Turcis intulit cladem. Exercitus omnis parua manu fusus, ad XX. millia hostium cæsa, Mahometes ipse vulneratus. Classis hostilis maxima ex parte capta, aut demersa. Bombardæ ad C L X. ademptæ. Castra omnis opulentiæ plena direpta.

Porrò

Porrò Ludouici Aquileiensis Patriarchæ ductu classis Turcica ad Rhodum victa,ac magna ex parte capta. Asiæ ora depopulata.Smyrna,Lemnus,Imbrus,aliæque Ægei maris insulæ receptæ. Vssumcassanus quoque & de Mahometis filio, & de ipso Mahomete egregias victorias retulit, quibus amplius cccc. Turcarum millia deleuit, diuinæ magis ope victor (vt in epistola ad Pontificem data professus est) quàm humana.Cæterùm Mahometes Græcorum Dynastarum discordia inuitatus Corinthum, magnámque Achaiæ, & Pelopõnensi partem subegit. Athenas,Atticámque vniuersam in deditionem accepit.Spartam, Thoma, & Demetrio Palæologis fratribus decertantibus,occupauit,Thoma expulso,& Demetrio,qui Turcarum opem implorabat, abducto.Ita Peloponnesus penè omnis, præter Methonen vrbem; quæ Venetorum fœderatorum erat, in Turcarum ditionem redacta.

Pius II. interim Pontifex creatus est : is Pontificatum à pio bello orsus, Christianos Principes impellere statuit in Turcam : Mahometes quippe Peleponneso penè omni subacta, iam Epiro imminebat. Scanderbechus Epiri Princeps periculo motus, iuncta cum Ferdinando Rege Neapolitano amicitia, Neapolim primùm ad Regem, inde Romam ad Pontificem venerat. Ab vtroque benignè acceptus, & cum muneribus, ac spe auxiliorum domum remissus : sed mox domestica bella fuêre impedimento, quominùs opem ferret, vti decreuerat, Scanderbecho Pius. Itaque Sigismundum Malatestam Arimini Dynastam armis domat, & Ferdinandum Neapolitanum Regem, ad regnum paternum à Ioanne Renati filio tuendum auxiliis iuuat. Pacata Italia, in Mantuano Concilio Sacrum bellum indicit.

Inter hæc Mahometes Trapezunte, vniuersâque Chalcide potitus, Dauidem Trapezuntium Imperatorem cum omni nobilitate Byzantium, velut in triumpho, duxerat, vt vnus Turcarum Rex per Latinorum Principum diſcordiam, duo imperia Græcorum euerteret. Matthias Hungariæ Rex erat, Hunniade genitus, Turcicis victoriis nitens. Hic vel in primis ſacri belli ſocius aſſumptus. Non alia res magis animos hominum mouit, quàm fama Pontificis, ad ſacrum bellum ituri. Cæterùm dum Pius Anconæ per autumnum ſociorum copias expectat, ſiue tædio animi, ſiue cœli intemperie deceſſit.

Paulus II. Pontifex ſecurus, ſacro bello Matthiam Hungariæ Regem propoſuit: qui venetorum claſſe, auxiliiſque ſubnixus magnas Turcis intulit clades, Veneti Peloponenſiis ad defenſionem ſollicitatis Spartam, Arcadiam, aliaſque regiones in fidem accepere. Sed poſt claſſis diſceſſum, omnia à Turcis recepta ſunt. Inſuper Leſbos inſula Cataluſio Liguri, qui fratre interfecto principatum obtinebat, adempta. Paulus inde Pontifex Cardinalibus purpuram inſigne dedit. Borſium Eſtenſem Ferrariæ Ducem creauit. Georgio Poggebrachio, Boëmiæ Rege, hæreſis damnato, Boëmicum regnum Matthiæ Hungaro Regi condonauit. Itaque Morania Sileſia, cæteræque regiones, & vrbes catholicæ Hungarum ſecutæ. Per idem tempus Franciſcus à Paula Ordinem Minimorum. Ludouicus XI. Rex Franciæ Ordinem Equitum S. Michaëlis inſtituit.

Xyſtus inde IV. Pontifex ſubrogatus antiquam Ædis Lateranenſis poſſeſſionem Canonicis ſæcularibus, qua inde vſque à Bonifacio VIII. pulſi fuerant, reddidit Regularibus Cœnobium, & templum

plum pacis extruxit. Ita controuersia inter eos aliquando sublata. Federicum Feltrium Vrbinatium Ducem appellauit, sibique affinitatem iunxit, eius filia Ioanni Roboreo fratris filio collocata Franciscus Maria inde genitus, qui ab auunculo Vidone Vbaldo Federici filio adoptatus, ad ducatum Vrbinatium deinde peruenit.

Inter hæc Mahometes, Rex Turcarum Bossinam, Rege debellato, & per summam perfidiam necato, subegit. Bossinæ Regina Romam ad Xystum confugit. Qui societate cum Venetis, & Ferdinando Neapolitano Rege inita, Oliuerij Carafæ Cardinalis ductu, bellum intulit. Turcis Carafa igitur Smyrna capta, minùs damni hostibus, quàm terroris attulit. Et domesticum bellum Pontificis curas auertit. Nicolaus Vitellius Tiferni regulus, Laurentij Medicei (Magni Cosmi hic nepos fuit) pecunia adiutus tumultuabatur, finitimos populos ad defectionem trahens. Itaque Pontifex Vitellio per Iulianum Legatum domito, in Medicem arma vertit. Quem insidiis frustrà appetitũ, aperto persecutus est bello, Ferdinando Neapolitano Rege in Belli societatem adscito. Iámque res Florentina inclinabat, cùm Laurentij singularis animi magnitudo, prudẽtiáque præsens periculum discussit. Neapolim profectus Regem ex hoste socium fecit. Mahometes interim rerum successu ferox Eubœam insulam, (Negropontum vocant,) & Scodram vrbem munitissimam (vulgò Scutarim appellant) ademit Venetis, Rhodóque frustrà oppugnata in Italiam arma vertit; & Hydrunte improuiso impetu capta, Italiam terrore compleuit. Extemplo omnium curæ à domesticis bellis in communem hostem versæ. Verùm, vbi subita Mahometis mors Italiæ Principes metu soluit, Hydrus ab Alphonso

Calabriæ Duce recepta eſt. Per id tempus Veneti, Cypri Rege cum ſtirpe extincto, Cyprum inſulam, Regina tradente, occuparunt.

Inter hæc Xyſtus Iubilei celebritatem ad xxv. annum reuocatam egit, anno eius ſæculi LXXV. Quam Ferdinandi Regis Neapolitani aduentus inſignem fecit. Et eodem Pontifice duo Reges, alter Daniæ, Suetiæ, Noruegiæ, Gothorum; alter Valachiæ, & Boſſinæ, duo item Duces Saxoniæ, & Calabriæ voti cauſa ad Apoſtolorum limina venêre. Per idem tempus Iudæi Tridentini in Simone puero Chriſtiano omnes Chriſti cruciatus renouarunt. Galeacius Maria Dux Mediolani à Ioanne Andrea Lampragnano, ob iram adempti ſibi fundi, eſt interfectus. Quæ res Genuenſes impulit, vt Auria auctore, excuſſo Sfortiarum iugo, ſe in libertatem vendicarent.

Xyſto IV. Pontifice Ioannes Trithemius, Rodulphus Agricola, Ambroſius Calepinus, Angelus Politianus, Ioannes Iouianus, Pontanus, Hieronymus Vida, Sanazarius, illuſtres fuerunt.

Sublectus Xyſto Innocentius VIII. Pontifex amicus pacis, & otij, ſed Aquilanis, qui à Rege Neapolitano defecerant, in fidem acceptis, ingenti ſe implicuit bello. Cæterùm Zirimi Sultani captiuitas eius Pontificatum nobilitauit. Is Mahomete natus erat, & à Baiazete fratre prælio victus ad Rhodiorum Equitum Magiſtrum cõfugerat. Itaque Romam ad Innocentium bellum iam Turcicum meditãtem eſt miſſus. Ibi honeſta cuſtodia habitus. At Baiazetes, vt Pontificem ſibi conciliaret, ſacroſanctam Chriſti lanceam ei dono miſit. Et eodem tempore ſanctæ Crucis titulus à Petro Mendozia Cardinali repertus, quo ipſo die Ferdinandus, & Elizabetha Hiſpaniarum Reges, Granata vrbe per

vim

vim potiti; Maurorum in Hispania regnum exciderunt anno circiter DCCL. quàm Saraceni Hispaniam inuaserant. Saraceni, Iudæíque, aut Christum colere, aut exulare iussi. Subinde sacræ Inquisitionis officium institutum. Ob eas res Ferdinando Regi ab Innocentio Catholici cognomen datum. Porrò Rex Catholicus Christophori Columbi Genuensis opera nouum Orbem auri fodinis prædiuitem, antiquitati penitùs ignotum aperire cœpit anno eius sæculi circiter XC. Subactæ primùm obuiæ insulæ, inde terra continens, cui Mexico est nomen. Exin Americus Vespucius Florẽtinus, Emmanuelis Lusitani Regis missu, Brasiliam, noui Orbis partem, lustrauit, anno circiter MD. quæ deinde à Lusitanis paulatim occupata est. Ab hoc Americæ nomen factum. Memorabiles vtique viri, sed memorabiliores, si eos ad lustrandas ignotas oras, gentésque religio impulisset. Subinde & Innocentius Pont. & Laurentius Mediceus Italicæ pacis perpetuus custos cessit è vita, Petro filio relicto, nec virtute, nec consilio pari.

Innocentio VIII. rebus humanis exempto subiectus est Alexander VI. non sine ambitus infamia. Satis constat, omnes, qui spe præmiorum illi suffragati fuerant, exitiales exitus habuisse: & eius pontificatus grauissimo Italiæ bello insignis fuit. Eodem fermè tempore Innocentio Alexander. Ferdinando Regi Alphonsus filius, & Federico Augusto Maximilianus item filius successit, cùm eius parens obiisset anno post initum imperium LIV.

Sub idem quoque tempus Iacuppus Vssumcassano genitus impudicæ vxoris fraude oppressus est. Eius liberis de imperio decertantibus, Ismahel Sophus sororis filius auitum Persarum regnum recepit.

MAXIMILIANVS.

A Christo nato anno M D.

MAXIMILIANVS Cæſar Federico patre non virtute clarior, ſed Italiæ funeſtior fuit. Inter principatus initia, Ludouico Sfortia (Mauro ex colore cognomen erat) qui per tutelæ occaſionem, tyrannidem occuparat, Mediolanenſium Duce contra ius, fáſque appellato, grauiſſimi belli materiam dedit. Alphonſus, Calabriæ Dux, mox obitu Ferdinandi patris, II. hoc nomine, Rex Neapolitanus Ioannis Galeacij pupilli ſocer generum in paternum principatum reſtituere moliebatur armis. Maurus ergo, vt bellum auerteret, Carolum VIII. Franciæ Regem ad Neapolitani regni velut hæreditariam poſſeſſionem vocat. Et Carolus ingentibus copiis, inuſitatóque Bombardarum apparatu in Italiam tranſgreſſus in Etruriam diuertit. Ac Petri Caponis virtutem reueritus, Florentinos æquis conditionibus in fidem recepit, ſalua libertate, quam Petro Medico Laurentij filio pulſo recuperarant. Eodem tempore Piſani, conniuente magis, quàm concedente Carolo, ſe in libertatem vindicarunt. Rex Romam profectus ab Alexandro VI. Pontifice amicè accipitur, Zizimóque abducto Neapolim petit.

Inter hæc Alphonſus Rex non magis hoſtis apparatu, quàm ſuorum Procerum odio exterritus ceſſit, Ferdinando filio Rege declarato. Qui Francis impar, ne tanto quidem bello, in Ænariam inſulam (Iſchiam vocant) ſe recepit. Ergo Carolus victor priùs, quàm hoſtem videret, tam opulen-

to

to regno sine vllo certamine potitur. Sed extemplò in Franciam remigrans documento fuit, quantò difficiliùs sit tueri res, quàm parare. Tam felix victoria omnes fermè Christianos Principes sibi metuentes in Francum armauit. Haud procul Parma dubio Marte dimicatum est. Rex Francus amisso exercitus robore, ac flore discessit. Itaque Ferdinandus Rex quà fauore Procerum, quà auxiliis Catholici Regis, Consalui eximij Ducis opera regnum Neapolitanum faciliùs penè quàm amiserat recepit. Cęterùm recepto regno, haud diu superstes fuit. Sine liberis moriens Federico patruo regnum legauit. Eodémque tempore, Ludouicus XII. Aurelianensium Dux Carolo VIII. subrogatus. Hic Catholico Rege in societatem belli assumpto, Ludouicum cognomento Maurum Mediolani Ducem, debellatum capit. Mediolano potitus regnum Neapolitanum Federico Rege tradente, recepit. Cæterùm in regni diuisione ex fœdere, ortum inter victores certamen, Hispanos, Gallósque commisit. Consaluus igitur Dux, Francis cæsis, regnum Ferdinando Regi Catholico vindicat: ex eo Magnus Dux appellatur. Ita Neapolitanum regnum rediit ad Hispanos anno circiter MD. qui annus Iubilei celebritate insignis fuit.

Magnus subinde motus Italiam agitauit. Cæsar Borgia Dux Valentinus Franciscis auxiliis fultus, Æmiliam omnem (præter Bononiam, quæ à Ioanne Bentiuolo Tyranno tenebatur) Flaminiámque in suam ditionem redegit, dissimulante Alexandro VI. Pontifice, & filij opibus fauente. Mox Vidonem Vbardum Vrbini Ducem principatu exuit. Camerino, sublatis Varanis, potitur. Neque his contentus, Columnensium, Vrsinorum, Caietanorúmque oppida; quà vi, quà fraude occupat. Cæterùm Ale-

xandri Pontificis mors eius tyrannidi finẽ imposuit.
Alexandro VI. Pius III. breuissimus Pontifex, Pio Iulius II. sublectus, Qui Borgiam omni ditione ac dignitate spoliatum dimisit: vt qui aut nihil, aut Cæsar esse concupierat, quoniam Cæsar esse non poterat, nihil esset. Inde Pontifex Ioanne Bentiuolo exacto, Bononiam recepit. Exin Maximiliano Cæsare, & Franciæ, Hispaniæque Regibus in societatem assumptis, Venetos continentis possessione exutos in Venetiarum angustias compulit. Res captæ inter victores diuisæ: Cæsari Verona, Vicetia, Patauium cum Carnis; Regi Gallo Bergomum, Brixia, Cremona, & Crema; Hispano Tranum, Monopolis, Bariolum (Barlettam vocant) Apuliæ oppida cessêre. Pontifici Rauenna, Ariminum, Æmilia omnis reddita. Per idem tempus Pisani cladibus fracti, arcta obsidione domiti, tandem Florentinorum iugum recepêre. Iulius porrò minuendas in Italia Francorum opes ratus, Alphonsum Ferrariæ Ducem ab eorum amicitia auellere cùm non posset, bello petit. Mutinam Francisci Gonzagæ ductu capit. Mirandulam suis auspiciis expugnat, haud satis dignum tantis laboribus præmium. Cæterùm ad Rauennam Gastionis de Foix ductu ingentem accepit à Francis, & à Ferrariensi Duce cladem. Nec incruenta hostibus fuit victoria ad xx. hominum millia, æquata fermè vtrinque strage, cecidisse traduntur. Et ex Francis Dux ipse Gasto cum nobilitate cæsus. Ex Pontificiis Ioannes Medices Cardin. Legatus captus. Qui paulò pòst fuga elapsus Hispanicarum copiarum ope, Florentiæ principatum Medicis restituit. Et Longobardi Heluetis subnixi copiis, cæsis Francorum præsidiis; in pristinum statum redierunt. Ita Mediolanensis possessio Francis adempta, & Maximiliano,

miliano Ludouici Mauri filio ex auctoritate Cæsaris, & Pontificis reddita. Per idem tempus Genua, quæ Francis parebat, à Fregosiis asserta est in libertatem. Bononia pulsis denuò Bentiuolis, Ravennáque à Iulio receptæ. Parma, & Placentia ex fœdere pontifici traditæ. Inter hæc Veneti omnia fermè, quæ superiore bello amiserant, armis receperunt. Iulius II. pont. Bisanum conuentum Rege Franco auctore institutum Lateranensi Concilio indicto actóque dissoluit. Baiazetes Naupacto, & Methone potitus, cum Venetis pacem fecit. Ad vltimum filiorum rebellantium bellis implicitus Selimi filij fraude interiit.

Per idem tempus Baptista Mantuanus, poëta, vt illis temporibus nobilis, floruit.

Leo inde X. Laurentij Medicei filius, pontifex pacis otiíque amator, & custos fuit. Cùm Franciscus I. Rex Franciæ, Mediolano recepto, Parmam, Placentiamque pontifici ademisset; Leo cum Franco de pace transegit. Pragmaticam sanctionem de sacerdotiis à Franco Rege mandandis per eam (quam Concordata vocant) aboleuit. Subinde Ferdinandus Rex Catholicus, Nauarra in potestatem redacta, decessit, Carolo nepote ex filia (hæc Philippo Austriaco Flandriæ Comiti nupserat) hærede regnorum relicto, porrò Martinus Lutherus aduersùs Rom. Pontificem debacchari in Saxonia, vnde ipse erat, cœpit, Saxoniæ Duce fauente: & Ignatius Loiola, qui deinde Societatis IESV auctor fuit sanctimoniæ fama florere cœpit, Deo nouam piorum hominum cohortem, aduersùs impios fidei desertores parante.

Inter hæc Selimus Baiazete patre, fratribusque extinctis, Turcarum inuasit imperium. Iactata est sermonibus barbara illius vox; *Nihil iucundius,*

M 5 esse

esse in vita, quàm sublato proximorum metu regnare. Inde duobus Sultanis debellatis Syriæ, & Ægypti, amplissima regna suæ ditionis fecit. Ismaëli quoque Sopho Persarum Regi Taurinium vrbem regiam ademit. Iámque Italiæ imminebat, cùm cancro absumptus, Solimano filio legat imperium.

Porrò Hispania cùm ab Austriaco Rege, & Belgis Prætoribus regeretur magnis motibus agitata est: adeò Hispani peregrina imperia non ferunt. Haud ita multò pòst Maximilianus Cæsar XXVI. principatus anno cessit è vita.

CAROLVS V.

A Christo nato anno MDXX.

CAROLVS V. Maximiliani Cæsaris ex Philippo filio nepos, Cæsar bellica virtute clarus in paucis fuit. Huius ope Leo Pont. Prosperi Columnæ ductu iussus Italia expulit Francos. Mediolanensis principatus Francisco Sfortiæ Mauri filio, Parma, Placentiáque Pontifici ex fœdere restitutæ. Leo Pontif x., siue ex tam læti nuntij gaudio, siue ex veneno in morbum incidit, quo breui est absumptus. Pontifex, nisi fama luxus obstaret, memorabilis, pietate, iustitia, liberalitate insignis, litterarum, litteratorúmque fautor eximius paterno instituto. Gymnasium Roman. nobilibus Doctoribus vndique accitis celebrius fecit. Ex doctorum numero Ianus Parrhasius, Augustinus Niphus, & Basilius Chalcondilas Demetrij filius, fuêre. Petrum Bembum, & Iacobum Sadoletum ab Epistolis habuit. Franciscum à Paula in San-

ctorum.

ctorum album retulit. Eodem anno, quo Leo decessit Emmanuel Rex Lusitaniæ, Armusia celeberrimo Arabiæ emporio, Indiæque, & vltima Orientis ora subacta nobilis.

Adrianus VI. Pontif. lectus est absens, cùm præesset Hispaniæ. Eius pontificatum Rhodiensis clades funestum fecit. Rhodus quippe dum Christianorum Principum cunctantur auxilia, à Solimano in deditionem accepta est, anno eius sæculi XXII. Inde Rhodiis Equitibus Melita insula assignata. Per idem tempus Belgradum quoque Hungariæ propugnaculum amissum. Genua à Cæsaris copiis direpta, pulso Franci Regis præsidio, in cuius tutela annos octo fuerat, in Hispanorum fidem peruenit. Habitus est vtique Adrianus in negotiis lentior, tardiórque. Itaque celebrata est illa Hieronymi Balbi Hungari Legati Libera in Cardinaliũ Senatu vox: *Fabius Max. cunctando rem Romanam restituit: tu, P. Beatissime, rem Romanã, Christianámque perditurus videris.* Egregius cætera Pontifex Adrianus fuit. Eum Alexãdrinus Patriarcha per litteras Christi Vicarium agnouit. Obiit cum ingenti opinione sanctitatis, quæ ex eo orta est maximè, quod neminem ex cognatis honoribus, atque opibus extulit, nolle se ædificare Sion in sanguinibus dictitans. Celebratur etiam sapiens illa eius vox, *Pontificiam Sedem spinosam esse, iter vndique obsitum sentibus.* Proinde in eius sepulchro inscriptum: *Adrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm quòd imperaret, duxit.*

Eadem tempestate Lutherana pestis è Saxonia emergens, proxima Daniæ regna corripuit. Christianus, seu Christernus Rex Daniæ, Suetiæ, Noruegiæ primus Regum, Lutherum secutus ab orthodoxa religione desciuit. Et documentum cæteris Regibus.

Regibus fuit. Haud ita multò pòst à tribus regnis ob crudelitatem exutus, à suis, & à successore vinctus in clathrata cauea ad mortem vsque habitus dicitur. Subinde Lutherana secta, dissidentibus à Magistro discipulis, in Zuinglianos, & Carolostadianos, Caluinianósque diuisa est.

Clemens VII. Leonis X. patruelis Pontificatum auspicatus est à celebritate Iubilei, qui in xxv. eius sæculi annum incidit. Qui idem annus Francorum clade insignis fuit, Franciscus Rex Franciæ, dum Papiam obsidet, amisso exercitu, in Cæsariorum potestatem venit. Inde abductus in Hispaniam sese, filiis traditis, filios vicies centenis aureorum millibus redemit. Exin Mediolanum à Cæsare receptum est Francisco Sfortia in ordinem coacto. Rhegium Lepido Pontifici ademptum. Itaque Clemens à Cæsare alienatus ad Francos accessit. Eam ob causam cùm à Columnensibus oppugnaretur, eos hostes Ecclesiæ iudicatos, dignitate atque opibus nudat. Pacem demum cum Cæsare hac conditione fecit, vt Lanoia Prorex Neapolitanus Carolum Borbonium, Cæsariani exercitus Ducem ab vrbe auerteret. At ille, contempto Lanoiæ Proregis interdicto, Romam aduolat. Ergo vrbs sine magno certamine capta, direptáque anno eius sæculi XXVII. Borbonius ipse Dux inter primum certamen cecidit, ne captę vrbis gaudio frueretur. Arx deinde, quo se Pontifex receperat, acriter obsessa. Cæterùm aduentante Lautreco, Franci Regis Duce, Cæsarianæ copiæ cesserunt, pestilentia in vrbe relicta.

Deterior Hungariam per id tempus clades afflixit. Ludouicus Hungariæ, & Boëmiæ Rex ingenti prælio à Solimano Turcarum Imp. victus, cæsúsque est. Subinde Buda vrbs regia cum magna Hungariæ parte, quà dolo, quà vi à Turcis subacta.

subacta. Eius morte Boëmię, & Hungarię regnum ad Ferdinandum Caroli Cęsaris germanum, cui Ludouici Regis soror erat nupta peruenit. Per eadem tempora, & Genua, auctore Andrea Auria, Francorum iugo excusso, Cęsarem Patronum adoptauit: & Florentia, Mediceis eiectis recuperauit libertatem. Cæterùm Lautreco cum exercitu in Neapolitana obsidione extincto, pax inter Carolum, & Franciscum facta. Rex etiam inter Cęsarem, & Pontificem ita conuenit, vt Alexandro Mediceo Laurentij iunioris filio Cęsar Margaritam filiam nuptiis iungeret, éique Florentiæ Principatum armis recuperaret. Itaque Cęsar Bononię Augustus à Pontifice appellatus, Florentinis domitis Alexandrum Ducem imposuit. Clementis rogatu Mediolanensem Ducatũ Francisco Sfortię reddidit.

Subinde Solimano ad Viennam cum florentissimo exercitu Augustus occurrit. Itaque Barbarus, nihil aliud quàm perfusis vano timore Germanis abiit. Cęterum Henricus VIII. Angliæ Rex in Annæ Boleniæ pellicis amorem effusus, cùm impetrare nequisset à Clemente, vt repudiata Catharina coniuge Boleniam duceret, à Pontifice defecit: & Lutheri sectam, quam scripto confutarat, magna ex parte vita complexus, vexare Catholicos cœpit rapinis, & cruciatibus. Clemens porrò Romanus Pontifex, ob Rhegium Tepidi Ferrariensi Duci à Cęsare adiudicatum se ab eius amicitia denuò auertit, & fœdere cum Rege Francorum inito, Catharinam Florentini Ducis sororem germanam Henrico Francisci Regis filio collocauit.

Per eadem tempora Ferdinandus Cortesius primus post Columbum ad Mexicana regna (vnde & ad Peruana auri fodinis celebrata patefactus aditus) peruenit, Mexicanóque Rege subacto, po-

pulos

pulos Christianis initiauit sacris, A Mexicano, témq; ab Æthiopiæ Rege Legati ad clēentē Pont. venēre, Christi Vicarium eum agnoscentes. At Ariadenus Ænobardus, ex Archipirata Rex Algerij, per speciem restituendi Rosceti Regis, expulso eius fratre Muleasse, regnum Tunetanum in Solimani ditionem redegit.

Paulus III. deinde Pontifex factus, quo tempore Henricus Angliæ Rex publico edicto se Anglicanæ Ecclesiæ caput & esse, & dici voluit, & cum Rege Anglia à Pontifice defecit. Cæterùm hoc dānum Deus Barbarorū accessione in Orbe nouo sarsit. Itaque Paulus tres patriarchales Sedes inibi instituit quibus septenos ferme contribuit Episcopatus: adeò res Christiana illis locis creuerat. At Henricus, Thoma Card. Eboracensi, qui tot malorum auctor exstiterat, interfecto, furere in insontes cœpit: mox imbutus Catholicorum sanguine, Cænobiorum, sacrarúmque Ædium inuasit opes: sed sacrilegum Regem sacra præda pauperem fecit. Pontifex ergo illum anathemate percussum regni titulo, ac iure spoliauit. Itaque breui Rex impius sentire iram diuini Numinis cœpit: Boleniam delicias suas adulterij compertam, damnatámque, adulter ipse capite damnauit. Tristem hanc Anglicanæ hæresis memoriam lętus Tunetanæ victoriæ nuncius abstersit. Carolus Augustus, fugato Ænobardo, Tunetum receperat & precarium regnum Muleassi reddiderat: victor inde Romam profectus, triumphali penè excipitur pompa.

Subinde Alexander Florentiæ Dux à Laurentio Mediceo cognato suo per insidias interfectus, Florentinis speciem quamdam libertatis reliquit: subrogatus ei Cosmus Medices Ioannis clarissimi bello Ducis filius, cum titulo vexilliferi, Cæterùm,

is

is paulatim prouectus, principatum vrbis, quem maiores eius obtinuerant, recepit.

Per idem tempus Francisci Sfortiæ mors nouis bellis agitauit Italiam. Franciscus Franciæ Rex, Taurino, aliisque Subalpinæ regionis vrbibus vi expugnatis, exercitum in Italiam traduxit; Mediolanum recepturus. At Pontifex apud Niceam Prouinciæ vrbem cum Carolo, & Francisco collocutus, id bellum auertit. Protinus belli societate cum Cæsare, & Venetis inita auctor fuit, vt C C. triremium classe contracta, Græciæ ora bello peteretur. Igitur itum est in Turcas: obuius fuit ad actium promontorium Ænobardus cum classe Turcica. Victus haud dubiè foret, si nostri ausi essent vincere. Sed Andrea Auria Hispaniæ classis Præfecto certamen detrectante; non sine dedecore discessum est.

Per eadem tempora Margarita, Cæsaris filia, olim Alexandri Florentini Ducis vxor, Octauio Farnesio Pontificis nepoti matrimonio iuncta. Octauius, virili Varanorum stirpe extincta, Camerini Dux creatus. Posteà tamen Parma, & Placentia Petro Aloysio Farnesio datæ, Camerinum Ecclesiæ redditum. Exin Perusini à Pontifice rebellantes domiti. Ascanius Columna ob contumaciam, fastigio deiectus est, Societas IESV condita, pontificiáque auctoritate firmata anno eius sæculi XL. Paucis antè annis alius Regularium Clericorum Ordo ab Episcopo Theatino (qui deinde Paulus IV. Pont. fuit) institutus, ab eòque Theatini appellati. Similitudo habitus fecit, vt Societatis IESV homines vulgo Theatinorum nomine appellarentur. Subinde Cæsar, rebus Flandriæ compositis, Algerianam expeditionem alienissimo tempore recepit, frustrà reclamante Pontifice. Itaque classis vento-

rum

rum vi fluctibusque disiecta, Augustus, irrito incepto domum mutilatum exercitum deportauit inglorius. Clauem Algerianam maior Francisci belli moles excepit. Rex Francus Turcis in belli societatem assumptis, arma inferebat Hispaniæ. Et Cæsar Henrico Angliæ Rege belli socio Aquitaniam inuasit. Verùm enim verò cruenta illa, & Hispanorum clade insignis ad Cærasulam pugnam pacem toties à Pontifice frustrà expetitam inter Francum, & Hispanum peperit. Et pacem Francisci Regis mors sequuta.

Inter hæc Germania penè omnis simul à Cæsare, & ab orthodoxa religione defecerat. Defectionis principes Philippus Landgrauius Hassiæ, & Federicus Saxonum Regulus erant. Carolus, etsi viribus impar, consilio superior extitit. Germanorum velut parta victoria triumphantium, feroces impetus cunctando fregit. Inde hæc opinantes aggressus, pari virtute, ac felicitate deleuit. Hostium vterque Dux captus. Saxo suffragij iure spoliatus. Germania omnis pacata.

Ingens subinde motus in Italia exortus est. Petrus Aloysius Parmæ Dux, à sicariis interfectus: & Placētia inter tumultū à Cæsarinis occupata. Qui nuncius Paulo Pōtifici ex mœrore mortem attulit.

Per idem tempus Franciscus Xauerius è Societate Iesu à Paulo Legatus in Indiam, non modò Indiæ, vltimásque Orientis oras, & Molucas, Mauritiásque insulas Christianis excoluit institutis; sed etiam Iaponiam regionem satis amplam in vltimo Orbis terræ angulo sitam Euangelio imbuit primus.

Per eadem tempora Paulus Æmilius Paulus Iouius, Franciscus Guicciardinus Historici, Ambrosius Nouedius Poëta floruerunt.

Iulius inde III. Pont. Iubilæi celebritatem à Paulo

Paulo indictam egit anno eius sæculi L. Armeniæ maioris Patriarcham, qui ad Paulum venerat de Religionis capitibus benè sentientem, muneribus cultum remisit. Exin nouus Assyriæ Patriarcha per Legatum à Pontifice petiit, vt Patriarchatus sibi delati auctor fieret. Re satis explorata, voti compos factus Legato creditum, affirmanti Nestorianorum Ecclesias hæresi vacare, quod à Patriarcha quodam, qui trecentis abhinc annis à Pontifice Rom. creatus eò redierat, conuersi ad catholicam fidem dicerentur.

Inter hæc bellum inter Gallos, Hispanósque reuocatum. Belli causa fuit Gallicum præsidium ab Octauio Farnesio Parmam introductum. Rursúsque Hispanum præsidium Gallorum ope à Senensibus eiectum. Itaque & ad Parmam, & ad Senas bellatum est. Ad vltimum Henricus Rex, Petri Strozij Florentini exulis ductu, Etruriam bello premebat. Igitur Cosmus Medices, iunctis cum Cæsare viribus, Ioannem Iacobum Medicem Meleniani Marchionem Francis opponit. Hoc duce Strozius prælio victus. Senæ tandem in deditionem redactæ Cosmóque concessæ: ita Senenses, libertate amissa iugum accepêre anno eius sæculi LV. Biennio antè Eduardo VI Angliæ Rege mortuo, regnum ad Mariam Henrici ex iusta vxore filiam peruenerat. Itaque Reginaldus Polus Card. Pontificis Legatus, Regina adnitente, Angliam hæresibus expiatam ad auitam religionem reuocare cœpit, anno post eius exilium fermè XX. Et Maria Regina Philippo Cæsaris filio, vtriusque Siciliæ Regi, nuptiis iuncta, spem in posterum affirmabat, si aut diuturna vita Reginæ, aut Elisabethæ Henrici ex Bolenia filiæ breuis fuisset.

Marcellus inde II. veteri sanctitate Pontifex, à

Deo

Deo ostensus magis est Romæ, quàm datus. Vix trium hebdomadarũ Pontificatum gessit, quo tempore tot, támque illustria pontificiarum virtutum documenta dedit, vt in plurimos annos desiderium reliquerit sui.

Paulus IV. inde successit Ordinis Theatinorum conditor idémque Orthodoxæ religionis vindex acerrimus: Multa, & præclara eius instituta etiamnum vigent: ex quo numero illud est, vt Iudæi certis septis inclusi habitent croceis pileis insignes. Cæterùm Paulus Pontifex à Cæsare abalienatus in Cęsarinos sibi suspectos impetũ fecit Itaq; M. Antonio Columna fortunis euerso, Ioannẽ Montorij Comitem fratris filium Paliani Ducem appellat. Mox accitis è Francia auxiliis, de Neapolitano bello agitare cœpit. Igitur Dux Albanus multis Campaniæ oppidis, ac Latio potitus vrbem obsidet. Inter hæc Pontifex Petri Seroziæ ductu, magna ex parte recepit; & Guisius Dux valido exercitu Neapolitanum regnum frustrà tentauit. Cæterùm nuncius de clade Francorum ad S. Quintinum, vbi Franciæ nobilitatis flos ceciderat, páxque inter Cæsarem, & Henricum Regem facta est, Neapolitano, Romanoque bello finem imposuit. Pax conuenit anno eius sæculi LVII. qui annus Tiberina inundatione insignis fuit.

Per eadem tempora Carolus V. rerum humanarum pertæsus imperium Ferdinando Cæsari fratri, Hispaniæ regnum Philippo filio per manus tradit; cùm imperasset annos XXXVIII. ipse in Monasterium S. Iusti secessit, piæ, tranquillæque vitæ auidus, egregio ad posteros exemplo. Imperator omnino virtute, ac felicitate secundus nemini.

FERDI

FERDINANDVS.

A Christo nato anno MDLVIII.

FERDINANDVS intereà Cæsar iam pridem à Germanis Proceribus lectus, pro Augusto se gerere cœpit. At Paulus Pontifex fratrum filiis, in quos indulgentior fuerat, ob effusam eorum licentiam infensus in cœtu Cardinalium eos publicis muneribus exuit, exegitque, nunquam in gratiam redituros. Inter hæc Christiana religio in India, & Oriente magnis auctibus creuerat. Itaque Paulus, Lusitani Regis rogatu, aliquot inibi Sedes Episcopales instituit. Cæterùm per idem tempus Angliæ regnum, Mariæ Reginæ morte ad Elisabetham Boleniæ filiam deuolutum est, & Angli ad errores pristinos reuoluti.

Eodem anno Henricus Franciæ Rex pacem cum Philippo Rege affinitatémque iunxit, filia enupta. Cæterùm nuptialibus ludis, in ludicro certamine, lethale vulnus accepit, quod non magis Regi, quàm regno exitio fuit. Caluinus nequior Luthero magistro discipulus, nouam, & sanguinariam condidit sectam, quæ per vrbes Franciæ serpens; contẽpta tenera Regum ætate, florentissimum regnum bellis ciuilibus atriuit.

Pius IV. Pontifex Paulo successit: is Ferdinando Cæsari Augustales titulos dedit: in Pauli IV. cognatos grauiter animaduertit. Carolo Carafæ Cardinali fracto gutture spiritus interclusus. Dux paliani, Aliphanus Comes, aliiq; capite mulctati, memorabile documentum, nimiam licentiam impunitam non esse. Cæterùm Pij Pontificatum Gerbensis.

sis clades funestauit. Classis instructissima Philippi Regis Tripolim Africæ vrbem Siculis infestam bello petebat, quæ ad Gerben insulam dum sedet, per Ducum socordiam à Turcica classe opprimitur, haud minore damno, quàm dedecore nominis Christiani. Porrò Pius Tridentinum Concilium à Paulo III. inchoatum, integratum à Iulio, ab se reuocatũ absoluit, ingenti rei Christianæ bono. Eodem in Concilio Assyriæ Patriarcha Orthodoxam professus Religionem, ad Pontificis auctoritatem rediit.

Per idem tempus in Francia ab infelici Regis Henrici casu, Christiana res ruere cœpit. Nam, cum Francisci II. ac deinde Caroli IX. Regum pueritia contẽptui esset, Caluiniani ingẽtes excidêre motus. Etenim Principe Cõdensi & admiralio Frãciæ Ducibus, multas vrbes Regi ademptas sua peste oppleuerant, atrocissima supplicia Catholicis inferentes sacraque omnia populantes. Itaque Cardinalis Estensis Legatus à Pontifice in Franciam destinatus; malũ serpens paulisper repressit. Inde ad mores ex Concilij Tridentini præceptis formandos Pij cura conuersa. Militia Equitum S. Lazari restituta. Nouus Equitum Ordo sancto Stephano sacer Cosmo Florentino Duce auctore, inchoatus. Pij Equites honorarij instituti, Ferdinando Imp. qui annos regnauit circiter VII.

MAXIMILIANVS II.

A Christo nato anno MDLXV.

MAXIMILIANVS II. subinde, Ferdinando patre iam rerum humanarum fesso, Cæsar creatus est, & Pontifex eius deinde imperium ratum habuit. Porrò in Francia Caluiniani à Catho-

licis,

licis, Caroli Guisij ductu cæsi: sed haud ita multò pòst Guisius à sicario interfectus, Theodori Bezæ Genuensis Heresiarchæ, vt creditum est, instinctu. Guisij mortem illaudata pax secuta, qua cuique, qua libitum esset, religione, viuendi potestas permissa. Exin Melita insula ingentibus copiis à Turcis obsessa in vltimum discrimen venerat, cùm Garzia Toletano, auxilium ferente, Turcæ fugati, obsidio post decimũ mensem soluta, anni eius sæculi LXV. quo eodẽ anno pius IV. decessit.

Pius exinde V. subrogatus: pius vtique Pontifex, & religionis in primis acerrimus vindex Diplomate cauit, ne pontificiæ ditionis oppida alienari fas sit; vtque Cardinales comitiis põtificiis in eam rem iurent. Cûm Augustanis comitiis de religione agendum foret, Maximiliano Augusto denunciauit, si passus esset, se illi imperium abrogaturum. Elisabethæ Anglorum Reginæ Catholicis infestæ, anathematis notam inussit; regnique ius ademit. Ad hæc perfecit, vt Carolus IX. Rex Franciæ decretum Aurelianense de libertate religionis aboleret: societatem Franci Regis cum Turcarum Rege damnauit, eam Franciæ labem dictitans Christianis Principibus aduersùs Solimanum Hungariæ imminentem accensis, Cæsarem pecunia iuuit. Sed cunctanter Barbaris obuiam iturum. Itaque Alba Iulia, vrbs Transiluaniæ nobilis, ab hoste capta est Seghetum & natura, & manu munitissimum expugnatum solerter per triduum Solimani morte celata.

Eodem tempore Chios insula Turcarum fraude occupata: Francia ab Hugonotis populata, Rex ipse & appetitus insidiis, & aperto bello oppugnatus. Itaque Rex Francus Pij V. auxiliis, & pecuniis subnixus ad Xantonicũ collatis signis cum hoste cõfligit: & Pij belli felix euẽtus fuit. Hugonoti cæsi, Princeps

ceps Condensis cum Proceribus aliquot interfectus. Inde Gaspar Colineus Admiralius Franciæ exercitu reparato impium bellum integrauit, irato Deo. Henricus Regis frater pontificiis Copiis, ac precibus fultus, nobilissimam retulit de nefario hoste victoriam, Fama est cælestium equitum turmas conspectas pro Rege pugnantes, Haud dubium Pij precibus à Deo impetratum auxilium.

Dum Francia pacatur, Flandria concitari ab hæreticis est cæpta. Dux Albanus supplicio de comite Agamonte, cæterisque coniuratis sumpto, incurrerat odia multorum. Igitur Princeps Aurantius Saxonicis auxiliis, Anglicanísque pecuniis inflatus, Flandriam infestam non magis armis quàm Caluiniana peste habuit. Zelandiáque, & Hollandia furto occupatis, proxima quæque loca tentabat. At Pius V. pecuniam Regi Catholico ad pium bellum subministrans, eum admonuit, vt non nisi salua religione pacem cum perduellibus faceret. Intereà Maximilianus Cæsar confessionem Augustanam à Lutheri discipulis conflatam, Proceribus, & Austriæ nobilitati concesserat. Sed Pij Pontificis denunciatione perterritus nefarium Diploma reuocauit, ferunt, Cæsarem dixisse, visum sibi, loquente Legato Pontificis, Pium flagellum intentantem. Sigismundus quoque Poloniæ Rex de Caluinianis, & Augustanæ sectatoribus tolerandis, Pio auctore rescidit. Porrò Pius Cosinum Mediceum Etruriæ Ducem ob singulare studium religionis titulo aucto, Magnum Ducem appellauit; sceptróque, ac diademate insignem fecit, Humiliatorum Ordinem ob lapsos disciplinæ mores; & Antistitum insolentiam extinxit.

Exin Cyprus insula à Selimo Turcarum Rege oppugnari cepta. Belli itaque societate inter Pon-

tificem

tificem, Hispanum Regem, & Venetos inita, ingens classis auxilio obsessis mittitur. Cæterùm certamine dignationis inter Duces orto, dum ad Cretam sedetur, Cyprus expugnatur à Turcis anno eius sæculi LXX. vt Turca semper nostris discordiis cresceret. Insecuto anno feciliùs Ioannis Austriaci (is Caroli V. pellice ortus erat) ductu gesta res est. Pugnatum est nauali prælio ad Naupactum Corinthiaci sinus oppidum. Pio certam à Deo pollicente victoriam: & manifestum inita pugna, cæleste auxilium fuit. Ventus, qui aduersus nostris erat, in hostem versus: hostilis classis victa, captáque est memorabili ad posteros victoria, Captæ triremes fermè CC. ad xxx. Turcarum millia extincta: sex millia capta: Christianorum captiuorum xv. millia seruituri exempta. Hoc vltimum Pij V. mortalium operum fuit. Eodem anno Sigismundus Rex Poloniæ diem obiit, vltimus è familia Iagellonia, quæ regnauerat iam annos propè C C.

Non facilè alia ætas plures homines litteratos effudit, Adrianum Turnebum, P. Victorium, Petrum Perpinianum, Paulum Manutium, Marium Conradum, M. Antonium Muretum, Carolum Sigonium, Annibalem Ca:um, Petrum Angelium Bargæum.

Gregorius XIII. deinde Pontifex summis Patrum studiis electus. Cuius pontificatus initia lætiora lætus de Parisiensi Hugonotorum cæde nuncius fecit. Per occasionem nuptiarum Regis Nauarri, Caluiniani Proceres iussu Franci Regis oppressi, initio cædis facto à Gaspare Colineo Admiralio, qui vulneribus confossus, de fenestra deturbatur in viam. Secuta inde Hugonotorum cuiusque generis strages: ad LX. millia Parisiis cæsa traduntur. Mon-

gomerius

gomerius tamẽ Henrici Regis interfector ex media cæde elapsus Rupellam arcem maritimam, occupauit. Subinde, vigente Pontifice, Turcicum bellum communibus viribus renouatum. Cæterùm Occhialinus Dux Turcicę classis in Methonis potestatẽ se recepit. Ibi Fabianis artibus cunctãdo nostrorum conatus elusit, victricis classis imperium retardare contentus, Itaque Veneti belli tædio pacem cum Turca fecere, Eodem fermè tempore Henricus, Franci Regis frater, Poloniæ Rex lectus, sed pualò post Caroli fratris morte, ad Franciæ regnum reuocatus. Tunetum inde ab Ioanne Austriaco (haud magno certamine subactum, Mahometem Muleasse genitum Regem recepit. Sed nondũ vertente anno Tunetum à Sina Prætore Turcarum receptum. Insuper Guleta arx rebus omnibus munitissima, capta deletáque. Interim Poloni diuisi suffragiis duos Poloniæ Reges creant. Maximilianum Cæsarem, & Stephanum Sathorium Transiluaniæ Ducem. Cæterùm, cunctante Cæsare, Transiluanum regnum armis occupat ipso anno huius sæc. LXXV. qui Iubilæi celebritate insignis, Gregorij liberalitate insignior fuit. Subinde Maximilianus Cæsar anno principatus sui X. decessit ambigua fama.

RODVLPHVS II.

A Christo nato anno MDLXXV.

RODVLPHVS inde Cæsar, Maximiliani filius, imperare cœpit, quo fermè tempore cuncti penè Flandriæ populi Hispanorum militum licentia irritati de Hispanis pellendis conspirare cœperunt.

runt. Destinatus igitur eo ab Rege Ioannes Austriacus cum summa potestate. Is vt per æqua & iniqua Flandros ad Regis imperium, auitámque religionem reuocaret omnia Hispanorum, peregrinorum, militum præsidia dimisit; At illi soluti metu peregrini militis, Ioannem Austrium ipsum insidiis captant, ea mente catholici Regis omninò excutiant iugum: adeò præceps est licentia dempto metu. Ad hæc Matthia Archiduce Austriæ euocato, eius nomine ad suam libidinem abutuntur. Itaque Ioannes Austrius copiis, quas dimiserat, reuocatis quà Alexandri Farnesij ductu, quà suis auspiciis ingentes Flandris intulit clades. Louanium, bonáque Flãdriæ pars recepta. Sed Alansonij Ducis (Fraci Regis is frater erat) in Flandriam aduentus, & intempestiua Ioannis Austrij mors victoriæ cursum inhibuere. Eodem anno Sebastianus Rex Lusitaniæ ingẽtes copias traduxit in Africam, Seriphum Marrochi Regem, ab Emonucho patruo, Fesij Rege, exutum regno, in pristinum regnum restituturus. Vix aliud bellum funestius Ducibus fuit: tres Reges pariter vno fermè prælio ceciderunt. Cęterùm Alexãder Fernesius Flandriæ præpositus breui lucẽ rebus attulit. Traiectum, vrbẽ nobilissimam expugnatione, ac vi in Regis ditionem redegit: mox secundo victoriæ cursu magnam Flandriæ partem emensus, Antuerpiam memorabili obsidione, ac malis domitam recepit. Hæc inter Henrico Lusitaniæ Rege, demortui Sebastiani patruo magno humanis rebus exempto, Philippus Hispaniæ Rex Antonio Pseudorege debellato, Lusitaniam occupauit, anno eius sæculi LXXX. Ita Lusitania Hispaniæ regno adiecta, D. circiter anno, quam inde abrupta fuerat, Lusitanum Africæ, Indiæ, ac Brasiliæ, præfecturæ velut appendices secutæ: inde etiam Tertia-

riæ insulæ cæsis Gallicis auxiliis (hæ quippe solæ Antonio parebant) receptæ. Inter huius belli initia lues ex cœli intemperie in Lusitania primum orta, totam deinceps peragrauit Europam. Caput præcipuè vrgebat, inde arietis nomen morbo factum. Inter hęc Stephanus Poloniæ Rex Polociam, nobilem Lituaniæ vrbem, compluráque alia oppida de Mosco recepit, partim suis auspiciis partim Ioannis Zamóscij, magni Cancellarij ductu, quocirca Ioannes Basilius Moscouiæ Dux, cùm eodem tempore etiam premeretur à Tartaris, Legatum ad Gregorium Pontificem destinat, omnia pollicens, si per eum pacem à Rege Polono impetraret: missus eò à Pontifice Antonius Posseuinus è Societate IESV, qui denique pace conciliata, Mosco auctor esse cœpit, vt depositis Græcorum erroribus rediret ad Rom. Pontificis auctoritatem: at ille, qui obseruantiæ simulatione ad pacem vsus erat, pace parta obseruantiam Pontificis abiecit. Cæterùm haud impunè tulit: ex superiorum cladium mœrore homo iræ impotens furere, ac sæuire in suos cœpit, quoad ingrauescente morbo interiit.

Per eadem tempora Gregorius Pontifex Henricum Regem Nauarræ Catholicis infestum, anathemate notatum, regni iure priuauit, Anni Iuliani rationem feliciùs, quàm ille Pompiliani correxit, nouo Kalendario edito: quo Pascha ex decreto Nicæni Concilij agitetur. Subinde ex Laponia (quæ regio est in vltimo Oriente) tres Regij iuuenes à Christianis Regibus, Dynastísque missi ad Romanúm Pontificem venerandum Romam aliquando peruenerunt anno eius sæculi LXXXV. Mors deinde subsecuta Pontificis tam opportuna, vt siue in illorum aduentum diuinitùs seruatum Gregorium, siue nimia lætitia ex illorum aduentu extinctum crede

crederes. Pontifex fuit, si quisquam alius egregius, & paterna in omnes nationes charitate nobilis: Argumento sunt collegia tot gentium iuuentuti bonis artibus ac moribus instruendæ instituta.

Sublectus exinde Xystus V. is vrbem mirificè ornauit, Vaticano Apostoli Petri templo tholum imposuit: opus hoc mirabilius, quòd artem superare credebatur. Ad sexagies centena aureorum millia in thesauris reliquit. Inter hæc conspiratio Francorum Procerum olim Gregorio XIII. Pont. pro religione facta, quam ipsi sacrum fœdus vocabant, ingentes turbas conciuit in Francia. Rex eò demum erupit, vt Henricus Rex Francus Guisium Ducem conspirationis principem per insidias interficeret. Protinus Cardinalis Guisius eius frater, iussu Regis necatur, Cardinalis Borbonius, Archiepiscopus Lugdunensis, Dux Nemorensis, aliique eius factionis Proceres in custodiam dantur: Quo nuncio consternati Parisienses ab Rege deficiunt, Horum auctoritatem omnis penè Francia secuta. Humenæ Dux Prorex constitutus. Catharinam Regis matrem Guisianæ cædis nuncio perculsam exclamasse ferunt, Henricum eadem opera & Guisiis vitam, & sibi regnum ademisse, Vates fuit. Rex spreta Xysti Pontificis denunciatione, Romam ad causam dicendam de Cardinalis Guisij cæde eum vocantis, societatem iniit cum Rege Nauarræ cuius viribus auctus Parisios circumsedere parabat: cùm à cœnobita Dominicano percussus regno vitáque exuitur anno eius sæculi LXXXIX. Moriens Regi Nauarræ Franciæ regnum per manus tradit, Ab eo deinde Lutetia acriter obsessa. Ventum erat ad vltimum inopiæ, periculique, cum Farnesius Dux Parmensis opportuno aduentu obsidionem soluit, anno XC. qui idem annus Xysti V.

Pontificis excussu insignis fuit.

Secutus Vrbanus VII. non magis breuitate Pontificatus, quàm cunctorum desiderio memorandus, XII. die nondum delibato Pontificatu ereptus, maximas mortalium spes ingenti omnium luctu fefellit.

Subrogatus Vrbano Gregorius XIV. vir bonus ac pius, sed fermè valetudinarius. Itaque non sufficientibus viribus ad Pontificia obeunda, per Cardinalem Sfondratum fratris filium Pontificatum propè annum gessit: quem duo maxima mala, fames, ac lues maximè insignem fecêre. Satis constat in Italia tertiam mortalium partem quà fame, quà lue interiisse. Eadem tempestate Nauarrus Diguera duce Gratianopolim aliáque sensim Franciæ oppida haud ignobilia, Gallicæ nobilitatis accessu, in deditionem redegit. Itaque Comes Sfondratus Cardinalis frater, missu Pontificis, opem fœderatis Proceribus, adversùs Nauarrum tulit valida Heluetiorum, & Italorum manu: sed intempestiua Pontificis mors eum nulla re memorabili gesta Romam reuocauit.

Innocentius IX. deinde creatus Pontifex trimestris, sed egregium Pontificatus sui specimen dedit benignitate, ac facilitate omnibus charus, quo etiam eius mors bonis acerbior visa.

Sublectus inde Clemens VIII. antiqua pietate insignis. Per idem tempus noua belli tempestas à Turcis in Croatiam incubuit. Vitiscum oppidum, regionis caput, aliáque oppida ignobiliora vi expugnata. Iamque Sisacum summa vi oppugnabatur, cùm Prætor Croatiæ cum appendicibus Hungarorum in Barbaros, impetum dedit. Qui in fugā auersi in transitu pontis, dum ferrum fugiunt, amne pereunt, Haud humana res visa. LX. Turcarum millia fusa, fugatáque à non magna Hungarorum manu.

Hac

Hac victoria Hungari erecti passim arma ceperunt, & Maximiliani Archiducis ductu, Nouigradum, compluráque alia oppida recuperarunt. Fuit ille annus tot Turcarum cladibus insignis vt spes foret, omnem Hungariam breui receptum iri. Cæterùm insecutus annus spem in sollicitudinem vertit. Sina Amurathis Turcarum Regis Prætor cum ingenti Turcarum, ac Tartarorum exercitu Hungariam ingressus, Strigoniam obsidione soluit, & Iauarinum Austriæ propugnaculum obsedit. Quod non magis armis, quàm auro oppugnatum proditione cepit, ingenti non solùm Germaniæ, sed etiam Italiæ terrore illato. Et per idem tempus Alexandro Farnesio Parmensi Duce extincto, Frisia in Belgis à Mauritio Aurantij Principis filio subacta: aliæ quoque vrbes Catholico Regi ademptæ. Et in Francia, Comitia nouo Rege creando haud feliciter habita.

Dum Rex Catholicus ad filiam, quam daturus erat in matrimonium nouo Regi, regnum Franciæ contra legem Salicam trahit, re infecta discessum est. Procerum plerísque alienatis. Et Nauarrus se Catholicum professus, adeò promouit Francicam nobilitatem, vt Rex Franciæ salutaretur. Ex eo Lugdunum, aliæque præcipuæ regni ciuitates in noui Regis fidem venere. Et Henricus Parisiis proditione captis Parisiensibus Rex consalutatus ad maximum vrbis templum iuit, Catholici edens Regis indicia. Itaque Pontifice per Legatum suum exorato, abolita anathematis nota, in integrum restituitur, & Rex Franciæ à Pontifice appellatur.

Hæc inter Carolus Mansfeldius Rodulphi Cæsaris auspiciis in Hungaria bellum intulit Turcis, & obsessa Strigonia maximas Barbarorum copias ingenti clade prostrauit. Cæterùm hostium victor

morbo extinctus victoriæ fructum aliis reliquit. Strigonia, & Vicegradum à Ioanne Francisco Aldobrandino Pontificiarum legionum Duce pari virtute, ac felicitate de Turcis recepta. Et huius victoriæ gloria magna ex parte ad Sigismundum Transiluaniæ Principem redundauit; cuius virtute Turcæ ab Hungaria sunt auersi, obtritíque. Itaque Vallachiam, & Moldauiam maximè frugiferas provincias Turcis ademit, & victoriis nitens Siuam ipsum nobilissimum Turcarum Ducem maximis instructum copiis, solo nomine territum in fugam auertit cum ingenti dedecore, ac strage: ad hęc Lippam, & Litorgium oppida satis munita de Turca recepit. Subinde Agria sedes Episcopalis natura, manúque munitissima à Mahomete Turcarum Imperatore non tam vi, quàm proditione capta est.

Per idem ferè tempus perpetuæ Quadragenarum Horarum supplicationis, quàm Romæ in singulis deinceps templis Clemens VIII. ab initio instituerat, fructus apparuit. Iauarinum à Comite Schuvarzembergio, egregio Rodulphi Cæsaris duce parua manu receptum est; tanta omnium admiratione, vt diu prædicata magis, quàm credita res esset. Eodémque victoriæ cursu complura Hungariæ oppida in ditionem Cæsaris redacta: &, quod caput est, pax inter Hispaniæ, & Franciæ Reges facta, auctore Pontifice.

CLEMENS.

A Christo nato anno MDXCVIII.

CLEMENS Pontifex Ferrariæ Ducatum, Ecclesiæ Romanæ feudum (mortuo iam anno superiori

periori Duce Alfonso Estensi absque liberis (censuarum vi, & armorum minis adiungit: eáque de causa ipse post illius Vrbis deditionem eò proficiscitur.

Philippus Rex Catholicus Isabellam filiam primogenitam Alberto Cardinali (obtenta à Sede Apostolica sanguinis, & ordinis dispensatione) coniugem spondet, cum dote prouinciarum belgij. Inde pacem conficit cum Henrico Rege Christianissimo, redditis vtrinque, quæ occupata fuerant annitente præcipue Clemente Pontifice, per suum in Galliis Legatum Alexandrum Cardinalem Florentinum, posteà Papam Leonem XI. quę dicta est Veruinensis, quòd ad illud oppidum conclusa fuerit mense Maio. Ad quam etiam admissi sunt prædicti Albertus, & Isabella: necnon Carolus Emmanuel Dux Sabaudię certis conditionibus. Ac demùm idem Philippus 13. Sept. moritur in Monasterio Escuriali, ętatis anno 72. magnus planè Princeps, & in paucis prudentia, & pietate clarissimus. Successorem habuit, vnicum è pluribus superstitem filium nomine III. qui hoc eodem anno vxorem duxit Margaritam Caroli Archiducis filiam, quę sequenti Martio in Hispaniam delata est, & Aprili tam eius, quàm Alberti nuptię Valentię confectę: cùm priùs Ferrarię huius anni Nouembris, præsentibus Margarita, & Alberto, ab ipsomet Clemente Pontifice nuptiarum sacræ cæremoniæ magna pompa celebratæ fuissent.

Armorica vniuersa, Mercurium Ducem antè secuta, ad Regis obsequium redit.

In Hungaria Iauarium (siue Raba vocatum) munitissimum præsidium recuperatur mense Martio, virtute Adolphi Schuartzembergij; adminiculo instrumenti petardi: occisis intra vrbem quatuor

horarum certamine 1900. Turcis.

Sigismundus Transiluaniæ Princeps, post multa præteritis annis prçclarissimè in Turcas, & Sectarios gesta, nescio quo morbo veluti fascinatus, mutato vitæ instituto, mense Aprili vxorem Christiernam Caroli Archiducis filiam relinquit: ditionem consensu Ordinum Rodulpho Imperatori cedit, acceptâ Silesiâ, cum annua pensione 50. millium aureorum: sed paulò pòst pœnitentia ductus, Claudio polim redit mense Augusto.

Cæsariani Budam obsidentes à Calendis Octobris vsque ad 11. Nouembris, alterâ arce captâ, atque dirutâ, ab alterius occupatione cœli inclementia repelluntur: Turcæ eodem tempore à Varadini expugnatione, virtute Christianorum.

Sigismundus Rex Poloniæ, in Sueciam paternum regnum nauigans, quod patruus Carolus, quem Proregem illic reliquerat, omnia arbitratu suo ageret, nulla habita Sigismundi authoritatis ratione vix effugit eius insidias: magno suo damno expertus, quam periculosè Hæreticis, quantumvis sanguine proximis, concredatur Regnorum administratio.

In Hiberniâ Comes Tironius, submissis aliquot ex Hispania auxiliaribus copiis, pugnat pro Religione Catholicâ contra Proregem Anglum; initio quidem satis feliciter: sed demùm post biennium cum iis debellatum est à Comite Essexiæ, quem Regina Angliæ cum exercitu in Hiberniam misit Ipseque Tironius posteà Romam cum vxore se recepit; vbi omnia ad vitam necessaria liberaliter eis Pontifex exhibuit, donec ibidem vitam cum morte commutârunt circa annnum 1618.

Theodorus Magnus Dux Moschouiæ, & Russorum Imperator, moritur sub initium Ianuarij: cui, quod

quod sobolem nullam reliquisset, suffectus est à Moschis Borisius Federo Vvitzius Hoduvinus, cuius sororem Theodorus coniugem habuerat: cùm mortuus crederetur Demetrius frater Theodori, quem Borisius iam anteà ne sibi aliquando impedimento esset ad regnum, quod ambiebat, adhuc puerulum necari iusserat. At verò Demetrius neci sublatus, (alio in eius locum supposito) in Germaniam, indéque in Poloniam deductus, à Rege honestè educatus est, & in fide Catholicâ diligenter institutus de quo rursum posteà.

Romæ circa Natale Domini tanta fuit Tiberis inundatio, quanta nunquam anteâ fuisset, ingenti vrbis afflictione, & damno: cuius incredibilis eluvionis notata fuit Variis vrbis locis fidem futuris sæculis faciendam, monstrosa altitudo.

Moriuntur è viris doctis Benedictus Arias Montanus Hispalensis, Thomas Stapletonus Anglus, & Abrahamus Ortelius Antuerpianus: scriptis suis vbique notissimi.

ALBERTVS.

A Christo nato anno MDXCIX.

ALBERTVS & Isabella Principes Belgij ab Hispania veniunt in Belgium exeunte Augusto; ducto etiam Philippo Nassonio Aurantio Principe, cui bona paterna restituta sunt.

Carolus Sigismundi Regis patruus vniuersam ferè Sueciam in potestatem suam redigit: & habitis Regni Comitiis; procurat Sigismundo Regnum abrogari, electo tamen specie tenus Ladislao eius filio adhuc puerulo, ca conditione, vt mitte-

retur in Succiam instituendus in Lutheranismo. Indéque Carolus Finnonios à Sigismundo stantes subigit.

Sigismundi Battorij in Transiluaniam reditu, ea prouincia admodum turbata est, cùm ipse, rescisso contractu cum Imperatore inito, Transiluaniam patrueli suo Andreæ Battorio, qui tamen à Michaële Vvalachiæ Vvaiuoda mense Octobri profligatus periit in fuga, à rusticis Vvalachis occisus, & Transiluania in fide Imperatoris confirmata est.

Henricus Ioieusius Franciæ Marescallus, qui olim Ordinem Capucinorum professus fuerat, & inde annuente Pontifice Gubernatorem Occitaniæ bellorum ciuilium tempore egerat; iam iterùm, sæculo remittens nuncium, in pristinum Ordinem se recipit, In quo egregius factus concionator tandem sanctissimè obiit: vnica relicta ex matrimonio ante primum Religionis ingressum filia, quæ primò Duci Monpenserio è regio sanguine nupsit: eóque mortuo, Duci Guisio.

Celebratur mense Iunio in ciuitate *Diamper* Indiæ Orientali ab Alexio Archiepiscopo Goënsi, Ordinis S. Augustini *Concilium* de reformatione Ecclesiæ S. Thomæ, quæ à Nestorianis inficiebatur. Vbi Georgius eorumdem Nestorianorum Archidiaconus, qui Patriarchæ Babylonis adhærebat, & 153. Presbyteri, atque deputati 671. fidem Catholicam sunt professi: quos vniuersus populus secutus est.

LIBER

LIBER XI.

A Christo nato anno MDC.

INsIGNIs est hic annus Iubilæo, cuius occasione infinita confluxit Romam omnis status & conditionis hominum multitudo: & Clemens Pontifex nulla non charitatis, liberalitatis, & humilitatis opera peregrinis exhibuit, pecuniis eos subleuando, accumbentibus ministrando, pedes lauando, confessiones audiendo, omnes consolando, singulis benefaciendo, & Cardinales, aliósque Prælatos ad hæc eadem præstanda, verbo, & exemplo egregiè inuitando. Adeò vt non pauci ex iis Hæreticis, qui Romam spectatum aduenerant, his visis sese Ecclesiæ Catholicæ fidei addixerint.

In Gallia mense Maio apud Fontenobleum celebris illa habita est inter Iacobum Perronium, tunc Episcopum Eboracensem, posteà Cardinalem & Archiepiscopum Senosensem; & Philippum Mornæum Caluinistam; concertatio de eiusdem Mornæi falsis assertionibus insertis libro de Eucharistia, in amplissimo Principum, & summorum virorum consessu: constitutis ex vtráque parte Iudicibus Cognitoribus, præsentéque ipso Rege, & actionem summa prudentia moderante: qua Mornæus omnium sententia falsarius, & temerator pronunciatus est. Vnde pudore suffusus, fugam noctu conceptam summo manè celerans, Regem aliósque elusit, qui nouam quam promiserat pugnam spectare gestiebant.

Idem Rex Christianissimus mense Augusto Duci

ci Sabaudiæ, quòd Marchionatum Saluſſianum reddere procraſtinaret, bellum indicit; Móxque totam Sabaudiam occupat Miſſo verò à Clement. PP. Petro Cardinale Aldobrandino, fratris ſui filio, pax componitur ineunte anno ſequenti, quâ Marchionatum Dux retinens, Regi Breſſiam concedit.

Cùm verò iam anno ſuperiori Clemens matrimonium, quod inter Regem, & Margaritam Valeſiam ſub Carolo IX. contractum fuerat, de partium conſenſu nullum eſſe declaraſſet, tum propter conſanguinitatem, de qua nulla ſufficiens extitiſſet diſpenſatio, tum propter alias allatas, atque probatas cauſas Rex hoc anno vxorem accipit *Mariam Mediceam* Franciſci olim Magni Etruriæ Ducis filiam: quæ menſe Nouembri Maſſiliam appellens, regio comitatu Lugdunum ad Regem deducitur: vbi exeunte anno nuptiæ conficiuntur, ſolemnia celebrante Legato Aldobrandino.

Iacobum Regem Scotiæ Comites Gaurienſes inſidiosè arcem ſuam ſpecie theſauri indicandi deductum, & ad interiora conclauia ſolum, & inermem allectum armis interficere moliuntur: ſed Rex haud tanto periculo deſpondens animum, & voce, & manu vim auertens, accurrentibus ad tumultum aliquibus è ſuis, mortem effugit, quæ proditoribus illata eſt.

In Belgio, dum pars militum Hiſpanorum ſucceſſionem ob non ſoluta ſtipendia faciunt, Mauritius nonnulla loca munita Archiduci eripit: & dum Neoportum in Flandria aliquam obſidet, inuaſus ab Archiduce, poſt cladem acceptam, ſuos recolligens Archiducis exercitum 2. Iulij profligat, cæſis multis hoſtium millibus, ſed iterum nouis exurgentibus in eum copiis, ſuos in Hollandiam & Brabantiam reducit.

Turcæ

Turcæ Canissium, duce Ibraim Bassa, Sept. menſe obſidione cingunt: ac licèt in auxilium veniente Philippo Emanuele Duce Mercurio è domo Lotharingica: (qui poſt extincta in Gallia bella ciuilia ad Imperatorem profectus, exercitus eius adminiſtrationem acceperat:) tamen quòd cômeatu deſtitueretur, Caniſſium deditur: & nihilominus quòd præproperam deditionem profectus fecerit, capite truncatus eſt, precisâ manu.

Sigiſmundus Bottorius Tranſiluaniam iterum recuperare ſtudens, profligatur à Michaële Vvalacho. Ac paulò pòſt idem Michaël, quòd eam prouinciam ſibi, ac filio firmare cuperet, ac propterea clandeſtina cum Turcis, & Tartaris conſilia iniret; reuocatur ab Imperatore & in eius locum mittitur Georgius Baſta, qui Tranſiluaniam in fide imperatoris retinuit. Quæ hoc & ſequenti anno peracta fuerunt, demúmque Sigiſmundus interuentione Clementis Pontificis receptus in gratiam ab Imperatore, Pragam ſe recipiens, ibi tandem mortuus eſt apoplexia, an. 1613.

A Chriſto nato anno M D C I.

ROMÆ 29. Aprilis S. *Raimundus Pennafortius* Aragonenſis è Dominicano Ordine, ſolenni ritu à Clemente PP. refertur in SS. numerum.

Oſtendam vrbem Flandriæ maritimam, ab Ordinibus Batauicis detentam, Albertus Archidux obſidet ineunte Iulio: nec niſi poſt triennium magnis laboribus, atque etiam detrimentis, capit, quòd obſeſſis commeatus, & auxilia tutò mitterentur continuò,

continuo. Canisium item in finibus Syriæ & Hungariæ Ferdinandus Archidux obsidet mense Augusto auxiliis adiutus Summi Pontificis, & Principum Italorum: sed post multas molestias, ac mortem plurimorum, re infecta recedit impedimentis, & tormentis relictis. At verò Dux Mercurius Albam regalem in Hungaria occupat mense sept. & mox aduenientem numerosum Turcarum exercitum ad eam recuperandam, semel atque iterum parua militum manu profligat.

Carolus Dux Sudermanniæ patruus Sigismundi Regis Poloniæ, & Sueciæ; quem iam vidimus ab eo defecisse, à Statibus Regni Suecici perfidus à perfidis & Hæreticus ab Hæreticis, in Regem eligitur. In Liuoniam quoque mouet sed nullo operæ precio: quin potiùs Poloni eum magnis cladibus afficiunt, Vvolmarum Vrbem occupant, Carolique filium nothum capiunt.

Legati Regis Persarum, qui anno superiori Imperatorem in Germania conuenerant, Romam nunc mense Aprili adueniunt, in Hispaniam posteà transituri, vt Principes Christianos ad bellum in Turcas accenderent, sui Regis omnem spondentes operam.

Nascitur in Hispaniâ Regis primogenita *Anna Maria Mauritia*, 22. Sept. Et in Gallia Delphinus *Ludouicus*, 27. eiusdem mensis: cuius recens nati dexteræ Henricus pater gladij capulum inseruit, præcatus, vt ad Dei gloriam firmata ætate vteretur: quod ea vel nondum firmata prosperitate hactenùs conspeximus in comprimendis, internis rebellionibus; & externis motibus compescendis processisse. Eum de sacro fonte posteà leuauit Paulus V. Summus Pontifex ministerio Francisc. Cardinalis Ioieusij, Legati à latere specialiter ad hoc constituti.

Par

Par autem istud Infantium regiorum sacro matrimonij vinculo feliciter vnitum suo tempore visuri sumus.

In Anglia Comes Essexius quo duce in Hibernia cum Tironio Comite, & Hispanis felciter debellatum fuerat anno superiori, iam coniurationis reus factus Londini capite plectitur mense Martio.

Insignis quidam impostor Sebastianum Lusitaniæ Regem (*vide an* 1578.) tantâ arte se fingit, vt & quibusdam Principibus imposuerit, & Lusitanorum animos maximoperè excitauerit, qui postmodum detectus, & ad triremes Neapoli applicatus, periit, demum in Hispania.

A Christo nato anno M D C I I.

DVM Ostendæ obsidio protrahitur ingenti partium contentione, Mauritius Grauiã mense Sept. deditione accepit.

Post discessum Ducis Mercurij ab Hungaria (qui dum in Galliam redit nouum delectum habiturus, moritur Norimbergæ mense Feb.) Turcæ Albam regalem vi, & arte interim dum de induciis tractatur, expugnatum iterum recipiunt mense Augusto, magna accolarum & præsidiariorum strage, amissis tamen & decẽ Turcarũ millibus. Christanus exercitus vicem repensurus, Budam tentat: sed Pestum tantum oppositum oppidum capit, atque Adon propugnaculum.

In Gallia reuocatur fœdus cum Heluetiis. Et Carolus Gontaldus, Dux Bironius, Par & marescallus Franciæ, cuius eximia rei militaris peritia ac fortitudine Rex diutiùs feliciter vsus fuerat in hostes iam detecta ipsius (hominis inquietissimi, &c

Regem

Regem & Regnũ coniuratione, capite plectitur vltimo Iulij.

Rex quoque Henricus Edictum promulgat in Duella, quibus magnus nobilium numerus damnabili honoris prætextu ob res plerumq; leuissimas his temporibus in Gallia periit. Quæ rursum sæuioribus edictis prohibenda fuit obstinata consuetudo an. 1609. ab eodem Henrico Rege. Et quod nec his cessarentur. Ludouicus iustus eius filius iterũ iterúmque in eam sanciens, & lege in præuaricatores agens; tandẽ ita perniciosum illũ abusum sustulit, vt nec fermè nomen eius ampliùs audiatur.

A Christo nato anno M D C I I I.

MARIA Caroli V. Imperatoris filia, Philippi II. Regis Hispaniæ soror, Maximiliani II. Imperatoris coniux, Rudolphi II & Matthiæ Imperatorum mater, ac multiplici alia sobole feliciſſima, pietate verò & bonis moribus ditiſſima; annis grãdæua, moritur in Hispania mense Martio.

Eodémque fermè tempore Elisabetha Angliæ Regina, longè diuersa, sicut vixerat vitâ, & morte moritur 4. Aprilis, ætatis anno regiminis 45. cuius egregias dotes infesta hæresis, & Catholicorum atrox insectatio fœdarunt. Sucessit ei tam iure sanguinis, (quippe Margaritæ pronepos, quæ Henrici VIII. Regis soror maior fuit) quàm ex testamento Elisabethæ, Iacobus eius nominis Scotiæ VI. Angliæ I. Rex, qui se Regem maioris Britanniæ indigitauit, quòd totam Insulam ditione complectatur: quæ vix vnquàm hactenus vnicum dominum passa esset. Parentes habuit Catholicos, matrem etiam Martyrem: vt plane mirum videri poſſit, elegiſſe ipsum postquàm semel lac Catholicum suxisset; & hæresim sectari, & Catholicos insectari,

Confestim verò vt in Angliam è Scotia accessit, sæua pestis totam Angliam inuasit magnâ hominum mortalitate. Et in eum, ac vniuersam eius progeniem, detecta est coniuratio : cuius autores, viri illustres, partim supplicio affecti, partim perpetuis carceribus damnati fuêre.

Ad finem verò anno vrgente à Ministris Anglicanis celebratum est eiusdem Regis auctoritate *Lōdini* Conuenticulum, quod in annum sequentem protractum est cuius editi sunt 141. canones de doctrina & disciplina eorūmque omnium primò confirmatus Regis primatus etiam in tribus Ecclesiasticis, vt Capitis Ecclesię Anglicanę. Aliorū non pauci Puritanis eiusdem Anglię, & Scotię, ac Caluinianis Gallię adeò aduersātur: vt planè effrōtes esse oporteat, qui vnitatē doctrinę iis esse cōminiscūtur.

In Gallia quoque *Vapinci* in Delphinatu, aliud celebratur mense Octobri Ministrorum Caluinianorum Conuenticulum, præside *Daniele Chamerio*, Ministro Montiliensi : quo inter alia egregij, scilicet Theologi statuerunt, Baptismum infantium à Proponentibus collatum, (ita vocant Ministerij candidatos, qui in procinctu sunt adipiscendæ manuum impositionis) nullius esse valoris, ac proinde iterandum esse ab ipsissimis Ministris, secundùm alterius anterioris ipsorum Synodi Pictauiensis decisionem. Quòd verò idem belluli homunculi, eadem Vapincensi Synagoga Satanica, suæ Confessioni nonum articulum inseruerunt, Romanum Pontificem esse ipsissimum Antichristum ; tam illi profecto Christum norunt, quàm Antichristum: & vtroque deflendi magis, quàm irridendi. Cæterùm quòd & alio Rupellensi Conuenticulo ann. 1607. etiam illi saperdæ candem crambem recoquerent ; irritatus eorum effronti

effronti impudentia Henricus Rex Christianissimus, seuerissimè prohibuit, ne quid eiusmodi suis scriptis impurissimi homines garrire auderent. Prædictum verò Chamerium Vapincensem Præsidem, *Gauterius in Chronologia* facit *Metaphoristarum* nouorum Hæreticorum auctorum, aut certè acrem defensorem: quorum impios errores ipse recenset. Addam autem hic ego fuisse quidem illum hominem eloquio satis facundum, nec literis indoctum: sed ambitiosissimum æquè, ac seditiosissimum, qui nunquam non turbas ciuit vbicunque adesse contigit, bellum continuo, ac cædes intonando: donec ann. 1611. in ciuitate Montalbana, dum quadam die post iniuriosissimā in Regem Ludouicum, qui eam ob rebellionem obsidione cingebat, inuectiuam concione publicâ habitam, iisdem furiis ad vrbis muros, & propugnacula defertur, vt & milites ibi ad custodiam existentes in scelesta rebellione firmaret; in ipso muro, ictu subito, ac fortuito tormenti ænæi è castris emisso, fœtidissimam, iras & flammas spirantem prius exhalauit, quàm se pinguissimi ab hominis corpore læsum sensit.

In Hungaria Christianus exercitus, duce Colnitio, Turcas prælio profligat mense Sep. & Hatuanum recipit.

Transiluaniam Moses quidam, natione Hungarus, secta Arrianus, Turcicis copiis cùm occupasset, & à Georgio Basta Imperatoris nomine eas prouincias regente, profligatus fuisset; iterùm Transiluanis Proceribus ad defectionem sollicitatis exercitum reparans, rursum à Basta simul & Radulio Vvalachiæ Regulo prostratus est, ac cū præcipua Transiluaniæ nobilitate occisus. Sicuti & à rebellibus dux electus Bethlemus Gabor, Hæreticus Caluinista

Caluinista paulò post à Belgiosa sub præfecto Transiluaniæ, à Basta constituto, profligatus est.

Scribianus Asiæ præfectus, cùm Mahometem Turcarum Imperatorem totum deliciis deditum cerneret, ex contemptu ipsius rebellat: vnde indignati Ianizari in ministros Imperatoris magnam Constantinopoli excitant seditionem, quæ non potuit sedari, nisi supplicio duorum Mahometis cubiculariorum, in quos reiecta est culpa malè administratæ Reipublicæ. Et Scribianus pacatus, præfectura Bosneæ donatur.

Ad finem verò anni, nempe 21. Decembris, ipse Mahometes peste moritur Constantinopoli; cùm paulo antè vxorem aquis, filium maiorem laqueo suffocàsset, quòd ex imprudenti coniugis quæsitione, an non ille filius in imperio successor foret, sibi ab iis insidias parari suspicaretur. Imperauit ab obitu patris ann. 9. minùs dieb. 27. Successit autem minor filius *Achmetes* puer annorum 15.

In Belgio occumbit Fredericus Spinola Genuensis, maris illius præfectus, dum Batauos Ostenda prohibere conatur. Cuius auditâ nece, Ambrosius eius frater in Belgium veniens, & Alberto Archiduci suam operam spondens, Ostendam arctiùs premit.

MAVRITIVS.

A Christo nato anno MDCIV.

MAVRITIVS in Belgio dum obsidio Ostendæ adhuc producitur. Cassandam insulam, Isendicam, & Slusam in Flandria occupat. Inde verò Ostenda, post memorabilem, & ardentissimam 39.

men

mensium obsidionem, (qua, in ipsa vrbe ad ad 75. ferè hominum millia periisse traduntur: & in castris Hispanorũ totidem, aut plures nouis semper vtrinque succedentibus auxiliis, vnico mense quinquagies mille tormentorum ictus emisit:) ad deditionem demúm cogitur à Spinola 21. Sept.

Albertus Archidux pacem constituit cum nouo Rege Angliæ. Cum quo pariter Philippus, Rex Hispaniæ, per Conestabilem Castellæ fœdus sancit; vt negotiationes vtrobique instituerentur, & Anglus Hollandos non adiuuaret, conditionibus Anglo, quàm Hispano honestioribus: sed tanti fuit finitimos Principes habere pacatos.

Pestum in Hungaria ante biennium à Christianis captum, ac deinde egregiè defensum: nunc à præsidiariis vano metu territis desertum, in Turcarum redit potestatem: Rex verò Persarum Babylonem, & Ægyptum inuadit, Turcas fudit; & Taurim Persarum olim regiam cum finitimis vrbibus recipit.

Carolo Sueco, iam anteà contra Sigismundum legitimum Regem Regi electo, Sueci regnum plenariè, eiusque hæredibus masculis confirmant.

E Gallia Canadam, quæ *Noua Francia* dici solet, colonia traducitur Montio duce.

Hamptoncuriæ in Anglia, ipso Rege præsente, ac præsidente habetur Collatio inter ministros Anglicanos qui nuper Conuentum suorum celebrauerant Londini; & Puritanos: qua Puritanorum querelæ & oppositiones penitùs reiectæ sunt, iidémque reprobati, atque damnati.

Initio Octobris apparuit noua stella in 17. gradu Sagittarij, quam multi in principio Venerem putarunt: sed motu, & loco accuratiùs notato, è Cometarum genere esse deprehenderunt, etsi caudam

caudam non traheret. Paulatim verò minor facta est, donec disparuit.

CLEMENS VIII.

A Christo nato anno M D C V.

CLEMENS VIII. Pontifex postquam 13. annis, & 33. diebus Ecclesiam sanctissimè gubernasset, ex hac vita decessit 3. Martij. Et Cal. Aprilis electus est in eius locum *Alexander* Cardinalis tit. SS. Ioannis & Pauli Mediceus, siue Florentinus dictus, quòd ex ea familia esset, ac ciuitatis Archiepiscopus, qui nomen assumpsit LEONIS. ea nuncupatione Decimi, dictus tamen XI. (*vid. an.* 1513.) ille ipse, qui Legatum agens in Gallia sub Clemente pacem conciliarat inter Reges Francor. & Hispan. qua hactenus gaudet Christianus Orbis,

Sed illo mortem obeunte 27. eiusdem Aprilis, sufficitur 16. Maij *Camillus Burghesius* Romanus, Senis oriundus, ex Cardinale S. Chrysogoni, PAVLVS V. nuncupatus, quem rerum agendarum magnus vsus, zelus honoris Dei, & ecclesiasticæ libertatis singularis morum comitas, placida in omnes beneficentia, mores incorruptissimi, egregiè commendabant sub quo *& Fides, & pax, & Honor, pudórque priscus*, (quod in sæculari quodam carmine canebat Lyrius) *& Virtus apparuit beata pleno copia cornu*, qui & piis Ecclesiarum, aliisque magnificentissimis ædificiis, & ornamentis nomen sibi immortale comparauit.

Idem Paulus confestim de graui illa controuersia, quæ sub Clemente agitata fuerat de gratiæ diuinæ auxiliis, & Libero Arbitrio, inter religiosos S. Dominici

minici & Soc. Iesv, ſanxit, vt vtriſque, dum aliud decerneretur, liberum eſſet ſua in Scholis modeſtè tueri? ſed ſine damnatione alterius partis.

Cum Venetis verò ſub eadem Pontificatus initia fuit lis, ob leges ab iis latas, quibus in ordinem eccleſiaſticum ſibi poteſtatem arrogarent, ac fundos, prędiáque, & alia ſtabilia bona addici Eccleſiis vetarent. Cùm moniti ſatisfacere renuerent, promulgatur in eos interdictum: & dum rurſum illi nec in hoc Pontifici ab Eccleſiaſticis obediri volunt, aliquot Religioſi Ordines è Veneta ditione diſcedere eligunt: inter quos fuêre Patres Soc. Iesv, quos licèt re poſtea inter Pontificem & Venetos compoſita interuentione Regis Chriſtianiſſimi, & miniſterio Franciſci Cardinalis Ioieuſij (numquam deinceps Veneti in ſuam ditionem admitti hactenus conceſſerunt; maiori ſanè) vt equidem autumo (Reipublicæ damno, quàm Societati, Hæc verò præcipuè acta ſunt anno ſequenti.

Præſenti verò Henricus IV. Rex Chriſtianiſſimus iiſdem Patribus in ſuum Regnum pleniſſimè reſtitutis, etiam Pyramidem illam quæ in eorum ignominiam fuerat ante Palatium Senatus erecta, deiici voluit: ingens à tanto Rege eorum innocentiæ, & integritatis teſtimonium.

Fluctuant rurſum mirum in modum res Tranſiluaniæ, cúm ſeditioſis Hungaris, ob non ſoluta ſtipendia, imperium Baſtæ detrectantibus, & Morauiam ac vicinas prouincias miſerè deuaſtantibus: Stephanus Botzkaius Hungarus, Hæreticus Zuinglianus, aduersùs Imperatorem rebellans, auxilio Turcarum magnam Tranſiluaniæ partem occupat, & Catholicos dire perſequitur: cui & Achmetes, Turcarum Imperator, auream coronam Ladiſlai olim Hungariæ Regis donat. Nihilominùs

Baſta

Basta Heiducos, vtramque Danubij ripam accolentes, qui à Botzkaio stabant, vincit. Sed ij rursum cum Botzkaio Hungariam, Austriam, & Morauiam vastant. Sicque omnia turbari, necesse fuit cum perfidi Hæretici malis artibus cœperunt illic dominari.

Strigonium à Turcis per deditionem recuperatur; Octobr. sed alia parte in Asia Rex Persarum ingentes Turcarum strages repetito in Cigalam, & Bassam Trapezuntinũ prælio, edit, capta etiam Adena.

Carolus, qui se Regem Sueciæ dicebat, ad Rigam Liuoniæ à Polonis magna suorum cæde profligatur.

In Belgio Spinola, tam per se quàm opera Comitis Bucquoij, aliquot oppida recipit: Mauritius velitationibus quibusdam tempus terit.

In Gallia detegitur mense Decẽbri proditio Metargi nobilis Prouincialis, qui Massiliam Hispanis tradere, cogitauerat: & capite pœnas luit. Aliis verò de causis Aruerniæ Comes, & Antraguius perpetuo carceri iam mancipati fuerant.

Theodorus Beza, Calipha Caluinistarum, tot Gallicanarum cladium qua attulit hæresis auctor existimatus, moritur Geneuæ 23. Octobr. ætat. an. 86. mense 4.

Dedit idem mensis tantam solis defectionèm, vt in plerisque Galliæ locis die in noctem verso, rustici & mercenarij, desertis operis fuga in domos festinarent; & multi mortales turbatas naturæ leges inclamarent.

In Moschouia Demetrius ille, de quo ann. 1598. Auxiliis instructus Polonorum, duce Palatino Sendomiriense, sublato de medio Borisio, Imperium Moschorum suscipit, & filiam Sendomiriensis in vxorem accipit.

In India Orientali Rex Serræleænæ, eiúsque duo fratres, ac quatuor liberi baptizantur à P. Balthasare Barreira Societatis IESV.

A Christo nato anno MDCVI.

LONDINI mense Martio quidam Percius, nobilis Anglus, puluere tormentario sub æde, vbi Comitia Regni futura erant, occultato, Iacobum Regem cum cæteris in aërem disiicere cogitauit sed facinore, ipso penè articulo, detecto, Rex periculum euasit, reus pœnam subiit.

Idem Iacobus Rex Scotos in ritibus Religionis cõformes Anglis facit, iisque Episcopos instar Anglorũ præficit: resistentibus frustrà Ministris Scoticis, quorum aliquos ob seditiones in exilium mittit, alios mulctat, & Maluinum cæterorum Coryphæum in carcerem coniicit.

Demetrius Moschouiæ Dux, quòd Germano milite ad custodiam corporis vteretur, & Polonis maximoperè faueret: à Moschis, hæc de contemptu gentis interpretantibus, mense Maio crudelissimè trucidatur, & diu tractus in cineres redigitur: plurimique Poloni, qui nuper eius coniugem magna pompa deduxerant, eadem feritate in frusta concisi, & canibus, alitibúsque obiecti. Quæsitus sceleri titulus, quòd Demetrius se filium Basilidis mentitus fuisset, & consilia cum Pontifice, ac Iesuitis iniisset de mutanda Moschouiticæ gentis religione. Conuentu habito Basilium Ioannidem SuisKium dictum, creant principem. Finxerunt nihilominùs quidam, Demetrium denuò cædem vitasse, in Hungariam euasisse; vnde noua postmodùm orta bella.

Botz

Botzkaius potitus Transiluania, Vualachia, & Moldauia; morbo tamen, & rerum Turcicarum inclinatione commotus, (Bassa námque Alepiensis rebellãs, Tripoli & Damasco captis, & exercitibus in se missis, profligatis, Syriæ dominum se constituit: initóque cum Rege Persarum fœdere, sese ad maiora parabat:) pacem ab Imperatore quærit: quæ constituta est Viennæ Sept. mense, concessa ei, ac liberis masculis Transiluaniæ. Secuta etiam pax inter Imperatorem, & Turcarum Regem in annos viginti.

In Polonia quidam è præcipua nobilitate, sed potissimùm Hæretici, Regem variis quæsitis prætextibus regno pellere conati sunt, nisi infantibus quibusdam articulis subscriberet. Ventum est idcircò ad arma: perduellibus victis, ac benignè habitis, seditio quieuit. Quæ hoc & sequenti anno gesta sunt.

Moritur *Iustus Lypsius*, insignis vir literaturæ, Louanij 23. Martij.

PAVLVS.

A Christo nato anno MDCVII.

PAVLVS Pontifex, audito felici progressu Ecclesiæ S. Thomæ in india Orientali ex relatione Archiepisc. Goënsis (*vid. an.* 1599.) cum ampliùs Promouere studens, in vrbe Cranganor Sedem Archiepiscopalem instituit.

Vt de pace in Belgio inter Archiducem, & Status tractari possit, cogitur Archidux Statibus concedere, se cum illis ita acturum, vt cum Republica libera, suique iuris, & potestatis; eáque conditione fiunt mense Aprili induciæ octo men-

O siumꝫ

ſium, in quibus de pace ageretur.

Celebratur ibidem in belgio *Mechlinia* menſe Iulio *Synodus* prouincialis ſub Matthia Archiepiſcopo, de diſciplina Eccleſiaſtica: quæ ſequenti anno confirmata eſt à Sede apoſtolica.

Moritur Botzkaius in Tranſiluania ad principium anni, cum ſuſpicione veneni, in obitu Tranſiluanos, & Hungaros hortatur ad obſequium Imperatoris, Quare Hungari Coronam Hungaricam Imperatori referunt. Sed electus in Botzkaij locum, abſque Imperatoris aſſenſu, Sigiſmundus Regotzius, Hæreticus Caluinianus omnia rurſum inuertit.

Exurgentes rurſum in Polonia rebelles & ſectarij in Regem, iterum atque iterum magnis cladibus ab eo profligantur. Alius verò potentior rebellis atque Hæreticus Carolus Suecus, eiuſdem Regis patruus, regni Succini coronam ſibi perfidè apponens, Liuoniam quoque exercitu vaſtat.

Dona Vverda ciuitas Imperialis in Sueuia hæreſi infecta, ob malè habitum Abbatem, & Sacerdotes in quadam proceſſione, proſcribitur ab Imperatore, & occupatur à Maximiliano Bauariæ Duce.

Cæsar Baronivs Cardinalis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, & Annalivm Ecclesiasticorvm eximius Scriptor moritur vlt. Iunij cuius vitam habes in principio noſtræ Epitomes. Reliquit tum Romæ inter viuos collegas ſuos, duo alia clariſſima, illius ſacri Collegij lumina: Italum alterum, *Robertum Bellarminum*: alterum Gallum *Iacobum Dauy Perronium*, arctiſſima ſibi, & omnes inter ſe amicitia ſicut & vitæ, ac doctrinæ meritis coniunctiſſimos: ſingulos tribus diuerſis promotionibus è prudentiſſimo patrefamilias Clemente PP. VIII. in numerum Cardinalium, velut pretioſi

pretiosissimos adamantes, cooptatos, qui sui fulgore splendentes satis suis virtutibus collegas magis illustrarent.

A Christo nato anno MDCVIII.

IN Belgio totus hic ferè annus, prorogatis subinde induciis, consultationibus, ac negotiationibus de pace impensus est; interuenientibus etiam, ac rem maximè promouentibus Legatis Regem Galliæ, & Britanniæ, aliorúmque Principum, ad hoc speciatim missis. Ad quàm cùm cætera satis facilia viderentur; de nauigatione tamen in Indiam, à qua Rex Hispaniæ Status abstinere maximoperè cupiebat, conueniri non potuit.

Romæ à Pontifice Paulo V. duplex legatio suscipitur: altera Rege Congi ad obsequium sedi Apostolicæ deferendum: altera longe illustrior, ad idem tamen obsequium à Rege Christianissimo Henrico IV. qua functus est Carolus Gonzaga, Dux Niuernensis.

Idémque Pontifex hoc ipso anno mense Maij S. *Franciscam*, nobilem Romanam viduam crebris miraculis illustrem, quæ ante 168. annos piè obierat, retulit in catalogum Sanctorum Equitum Ordinem à Vincentio, Duce Mantuæ in memoriam sacri Sanguinis Christi institutum approbauit. Ac perlectam iuramenti formulam, qua Iacobus Rex Maioris Britanniæ Catholicos Regni sui obstringere nitebatur, damnauit.

Idem verò Iacobus Rex nouam coloniam destinat in Virginiam citerioris Indiæ insulam, ad aurum, quod profert ea regio, quærendum.

In Hungaria cùm Heiducci turbas cientes rebellio

bellionem cogitarent; Matthias Archidux; Rodulphi Imperatoris frater, Posonij Comitiis celebratis eos compescit, inito nouo fœdere cum Austriis, & Hungaris pro conseruatione illarum prouinciarum. Quæ cùm in diminutionem auctoritatis Imperatoris ipse facta conquereretur, ortâ inde inter fratres rixâ, & collectis vtrinque exercitibus; demùm procurante maxime concordiã summo Pontifice, Rodulphus Princeps pacificus Matthiæ Austria cessit, & Hungaria; Boëmiæ quoque eundem successorem declarans, si ipse Imperator absque prole mascula decederet.

Philippus II. Hisp. Rex Philippum Dominicum Victorem filium natu maximum, nec dum tamen trimulum. 13. Ianuarij Madriti Castellæ Regem solenni ritu renunciat: iurauitque non alium hæredem fore post patris obitum.

In Liuonia Carolus Rigæ obsidionem soluere cogitur à Polonis, vixque euadit incolumis, & alias vrbes amittit.

Sigismundo Ragotzio Transiluania cedente, Gabriel Battorius eam sibi vendicat; & neglecto Imperatoris dominio, Turcis se submittit: qui olim Catholicè à patruo educatus, ad hæresim posteà defecit.

Moritur Carolus Dux Lotharingiæ mense Maio: Princeps pietate, ac virtutibus, & annis plenus: ac successorem habet Henricum filium natu maximum, qui hactenus pie & prudenter ditioni suæ præest.

Bassia Alepiensis, quem vidimus Achmeti rebellasse, tandem à Turcis fractus, & à suis desertus, ad gratiam Achmetis recurrit, eámque promissione militandi contra Persas obtinet.

A Chri

A Christo nato anno MDCIX.

CVM non posset conueniri inter partes de pace Belgij Induciæ tantùm fiunt in 12. annos 14. Aprilis: quas & Rex Hispaniæ ratas habuit mense Iulio.

Excipitur Romæ à Paulo PP. V. mense Augusti Legatio à Persarum Rege Xa Aba, cultum illi, & obsequium deferente. Quodque per Religiosos Augustinianos fidei semina in Perside iacta fuissent; idem Pontifex Pro suo erga Infidelium conuersionem zelo, ad illam faciliùs exequendam statuit, vt in Religiosorum Ordinum studiis essent Hebraicæ, Arabicæ, Græcæ, ac Latinæ linguarum professores.

Quando & Federicus Borromæus Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, egregius pietatis, ac virtutum patrui S. Caroli imitator, locupletissima Bibliotheca instructa, Collegium etiam insignium Virorum instituit, quod *Ambrosianæ Bibliothecæ Collegium* nuncupari voluit quo præclara ingenia excolantur ad Orbem Christianum suis scriptis illustrandum.

Moritur Ferdinandus Magnus Dux Hetruriæ, successorem accipiens filium Cosmum.

Rex Poloniæ cùm Suecos, & Moscos acerrimos pateretur aduersarios, vtrisque viriliter resistens, quinimò & eosdem aggrediens: Carolum Suecum perduellem iam sæpiùs victum, hoc rursum Anno, Mansfeldij licet nouis è Belgio auxiliis munitum, per Rodkieuicium egregium ducem Lithuanum profligat, & quasdam arces occupat. Ipsemet verò in Moschouiam mouens, (quæ iam bellis

intestinis affligebatur, quòd multi Demetrium ementitum, de quo ann. 1606. nuper reducem se-querentur contra Basilium Ioannidem) Smolensкum vrbem munitissimam obsidione cingit.

Moritur hoc anno *Iacobus Armenius* Belga, inter Hæreticos Theologiam professus Lugduni Batauorum. Ex cuius doctrina, à Caluino à Symmistis suis in multis aliena, ingentes inter ipsos ortæ sunt turbæ, præcipuè de prædestinatione, cùm Armenij de illa sententiam vehementer impugnare incipiente Francisco Gomato eiusdem, & ipso caluinianæ scholæ nomine, indeque Vvorstio, (de quo posteà) res verbis, & stylo ad arma, & pugnas progressa est: Principibus etiam, & Magistratu in partes secedentibus, dum Catholicum nomen horrentes, malunt audire *Comaristæ*, aut *Worstiani*, aut *Armeniani*, vt iam & *Cornatianos*, & *Socinianos* taceam, aliasque eiusmodi hominum pestes, quæ easdem illas religiones inficiunt. Hæc nimirum pietas: Hæc concordia Sectariorum.

CAROLVS IV.

A Christo nato anno MDCX.

HENRICVS IV. Francorum, & Nauarræ Rex Christianissimus, cùm altam à multis annis prudentia sua, ac vigilantia toto regno pacem conseruasset; ac nuper, quibusdam motus secretis rationibus, florentissimum, & omnibus rebus ad magnam expeditionem instructissimum exercitum comparasset, quo metum cunctis Principibus iniecit, ignaris, quò tandem tanti apparatus moles se verteret, in ipso fermè procinctu, postquā die 13. Maij

Maij Mariam coniugem ſolennibus ſacris inaugurationis ritibus ingenti pompa apud Sandionyſium corona regia inſigniſſet: dum poſtridie per vrbem Luteriam, contemplaturus magnificentiſſimum apparatum, quo Reginam de more vrbem regiam ingredientem excepturus eſſet, rheda vectus obambularet à perfidiſſimo ſicario, iam multo tempore ei inſidiante, intra ipſam rhedam ictu cultri gemino, ſiniſtro lateri ad regionem cordis illato, perimitur 15. Maij, anno ætatis 57. Regni 21. nondum abſoluto. Inter meritiſſima à Senatu illata ſicario ſupplicia, & hæc pœna addita eſt, vt nomen eius æternæ obliuionis maledictioni addiceretur, & vniuerſæ familiæ iniunctum, vt cognomen mutaret. Cor Regis ex ipſius olim decreto conſignatum eſt Patribus Societatis IESV deferendum ad Collegium Elexianum ab eo regiè fundatum corpus ſolenni pompa ad Regum Mauſoleum Sandionyſianum delatum.

Succedente autem in regnum iure legitimo *Ludouico* HENRICI MAGNI (hoc enim ei cognomentum ob præclariſſima facinora communi totius Orbis conſenſu inditum eſt) filio natu maximo, qui necdum annum ætatis nonum impleuerat, collata eſt Regni adminiſtratio Reginæ eius matri, donec ipſe adoleſceret: qui interim Octobri ſequenti inauguratus eſt Rhemis, & ſacro chriſmate vnctus à Cardinale Ioieuſio, qui & ipſum baptizaverat, & Reginam inaugurauerat: digniſſimus tantarum cæremoniarum Antiſtes. Dicitur autem vulgò Rex eo nomine XIII. initio numeri ſumpto à Ludouico Pio Rege, & Imperatore, filio Caroli Magni, cum tamen reuera dicendus ſit XVI. quòd qui prima Regum ſtirpe Merouingia tres *Clodouei* regnarunt, iidem ſint & *Ludouici*, ſiue *Hludouici*,

aut *Hludouei*, apud priſcos autores nuncupati.

Philippus Rex Hiſpaniæ à Xequo Mauritaniæ Rege ſuppetias rogatus aduersùs fratrem ſuum Muleum Sidanum: per quem Regni participatione priuatus fuerat; accipit eius induſtria menſe Nouembri Alarachiam firmiſſimum totius Africanæ oræ Oceanicæ Propugnaculum, ad Columnas Herculeas, ex oppſito Gadium à Regibus Maroci olim extructum & tam Hiſpanis, quàm omnibus, illac nauigantibus ſemper infeſtum. Quod quidem Xequus, corruptis auro, quod à Philippo acceperat, cuſtodibus, in poteſtatem Hiſpanorum tradi curauit; tam in pignus fidei ſuę erga Philippum, quàm vt inde faciliùs rebus ab Hiſpanis proſpiceretur.

Idem quoque Philippus Rex hoc eodem anno Mauros è tota Hiſpania expulit, gentem ſemper perfidam, & quæ nunc Mauros Africanos & Turcas in nouam Hiſpaniæ perniciem ſollicitare dicebatur. Expulſio hoc anno cœpta conſequentibus etiam tenuit, expulſorumque numerata dicuntur capita ad nouies centena millia: è quibus innumeri in Africam abiêre, plurimi variis aliis locis diſperſi fuêre, non pauci commercio linguæ tecti, & mutatis ſedibus ignoti mansêre in Hiſpania.

Mortuo anni ſuperioris menſe Martio Ioanne Guillelmo, Duce Iuliacenſi, abſque prole, atque inde Electore Brandeburgico, & Palatino Neoburgico, aliiſque ex connubiis cum ſororibus, & agnatis defuncti Principis, ſucceſſionis ius prætendentibus: Imperator iubens diſceptationem apud ſe agi, interim Leopoldum Auſtriacum, Epiſcopum Argentinenſem, miſerat, qui ſuo & Imperij nomine Ducatum regeret. At verò hoc anno peractis

conue-

conuentibus quorundam Germaniæ Protestantium Principum Halæ Sueuorum, & aliorum Catholicorum Herbipoli Franconiæ: colliguntur vtrinque exercitus ad bellum Iuliacense: cùm qui successionem prætendebant, flocci pendentes mandatum Imperatoris, pleráque Ducatus oppida suæ potestatis fecissent: excepto tamen Iuliaco, quod detinebatur à ducibus Leopoldi. Verùm & illud quoque à Mauritio Nassouio, Belgico iam bello soluto, & Anhaltino Principe ad finem Iulij obsessum: adveniente in eorum auxilium misso à Regina matre Marescallo Chatræo cum copiis Gallicis, deditione accipitur ad principium Septembris, Ac positis vtrinque armis, lis Iudicibus delegatis Coloniæ dirimenda committitur.

Romæ Cal. Nouembris Paulus PP. V. solemni celebritate in SS. numerum retulit *Carolum Borromæum*, olim Cardinalem, & Archiepiscopum Mediolanensem, cuius vita, virtutes, ac miracula, toto Orbe celebrantur.

Interim dum Sigismundus Poloniæ Rex in Smolensko expugnando laborat, & alius Polonorum voluntariorum exercitus in oppugnanda Moscoviæ metropoli, præclaras insuper aliis locis Poloni contra Moschum reportant victorias, capto ipsomet Magno Duce Suiskio, cum duobus eius fratribus Nouogardia quoque legatos ad Sigismundum mittit, cum oblatione obsequij. Et Tartarorum Altracauensium Chamus ad eundem accidit, subiectionis declarandæ causa, Ac pariter exeunte anno Demetrius impostor trucidatus est.

Persarum Rex dicta expeditione in prouinciam Babylonicam, Turcas vincit cæsis eorum 20. millibus. Turcæ verò alia parte classe incursant mare mediterraneum aduersus Melitenses, & Florentinos.

Mortuo anno superiore (vt diximus) Iacobo Arminio Ordines Batani, vt eius locum in Schola Leidensi suppleant, litteris publicis *Conradum Vvorstium* è cathedra Steinfurtensi euocant. Atque inde nouæ dissensiones oriuntur, dum quem secta Caluinianum plerique alij Caluiniani vt schismaticum & hæreticum insectarentur; & ne ab Ordinibus reciperetur; monitis, precibus, ac minis obstare conati essent: quidam alij obstinatissimè defenderunt, ipsique Ordines tutati sunt, ac promouerunt. Hæc enim est concordia eorum, qui schismate se discindunt ab vnitate Ecclesiæ. Cæterùm hoc Ordinum patrocinium, Vvorstij adeò Rex Angliæ molestè tulit, vt post eius scripta anno proximo 1611. igni adiudicata; etiam iisdem Ordinibus grauiter minatus sit, se non modò illos apostatarum fautores per vniuersum terrarum Orbem proclamaturum; verùm etiam suis cum illis fœdus immortalibus inimicitiis commutatum. Quibus minis territi Ordines, Vvorstium inuitum inuiti Leida in aliam vrbem emiserunt: vbi rursum vt Apostolus cultus est, & ingentium turbarum ansam præstitit: de quibus posteà. Porrò aliquas eius priuatas in diuinas perfectiones impietates, è quam plurimis aliis collegit *Gaulterius in Chronol.*

A Christo nato anno MDCXI.

EXERCITVS à Leopoldo in bellum Iuliacense anno superiori collectum mense Februarij impressione subita vrbem minorem Pragæ, occupat, & diripit. Iubente tamen Rodulpho Imperatore recedit. Adueniens verò Matthias Hungariæ Rex cum

cum numeroſo exercitu in Boëmorum auxilium, ab eiſdem Rex Boëmiæ proclamatur; & aſſenſum, publicæ tranquillitatis cauſa, præbente Imperatore ipſius fratre, coronatur menſe Maij.

In Tranſiluaniam Forgatzkius Hungariæ Palatinus (audita clade à Battorio accepta prope Cronſtadium à Præfecto Radulenſi) tranſiens, Claudiopolim, & alia oppida ad obedientiam Matthiæ Regis Hungariæ perducit: at ſubitò mutatis rebus Forgatzkius à Battorio cæditur, vix tandem per ſiluas incolumis euadit.

Smolenſkum tandem expugnatur à Sigiſmundo Poloniæ Rege, menſe Iulio, poſt biennalem obſidionem, qua periiſſe dicuntur ducenta Moſchorum millia. Et dum reliqua Moſchouia inteſtinis diſſenſionibus agitatur, Sigiſmundus Poloniam repetit, reditum paraturus in proximum annum, vna cum filio Vladiſlao, Moſchis in Magnum Ducem expetito.

Rex Daniæ indicit bellum Carolo Sueco menſe Aprili, Maio Colmariam expugnat. Cuius cladis dolore Carolus, etiamſi quædam Danis eripuiſſet, moritur Nouembri, perfidus inuaſor alienæ hæreditatis. Nata contentione inter Proceres de ſucceſſione, quidam Guſtauum Caroli filium, alij Sigiſmundum Poloniæ Regem legitimum & naturalem dominum petunt: & tamen Guſtauus coronatur.

Turcarum & Perſarum Imperatores pacem inter ſe conſtituunt.

Detecta Parmæ in Italia nobilium quorundam in Ducem, vxorem, ac filium conſpiratione, ſumitur de perduellibus ſupplicium.

Dum Gallia, Reginæ matris prudentia, ſupra omnem expectationem, pace fruitur, diſcedit ex hac

hac vita mense Nouemb. Regis frater Dux Aurelianensis, ætatis annorum quatuor, eximiæ pueri indolis: qui in illa ætatula, dum morbo affligeretur, oculis continuò ad cœlum eleuatis, circunstantes pariter ad eius contemplationem hortabatur, felicésque illos prædicabat, qui ibi habitarent. Anteà verò ad principium Octobris obierat Carolus Dux Menius, multæ prudentiæ & religionis Princeps: cuius & ea præclara laus, quod nulla bellorum ciuilium, aut temporum difficultate adduci potuerit, vt pateretur Regnum, cuius magnam partem in sua potestate tunc habebat in minores portiones diuelleretur, aut ad exteros transiret.

RODVLPHVS II.

A Christo nato anno MDCXII.

RODVLPHVS II. Imperator, postquam Imperium tenuisset ab obitu Maximiliani patris an. 35. menses 3. moritur 20. Ianuarij Pragæ: vbi se diutiùs tenuit, bellicis curis, sed & ciuilibus ob valetudinem impar. In cuius locum Electores Francofurti conuenientes 13. Iunij nominant *Matthiam*, Rudolphi fratrem, Regem Hungariæ, & Boëmiæ: qui coronatur 24. eiusdem mensis: & aulam Sedis Cæsareæ Praga Viennam Austriæ transfert.

Gallia, & Hispania nouo fœdere iunguntur gemini coniugij, nempe, Ludouici Regis Christianissimi cũ Anna Maria Mauritia primogenita Philippi Regis Catholici; & Philippi Principis Hispaniarũ cum Elisabetha sorore Christianissimi. Missi vtrinque Legati; & ludi, iocíque triũphales vbique peracti.

acti. Nuptiæ tamen dilatæ, ob immaturam partium ætatē. Et interim moritur in Gallia mense Octobri Carolus Comes Suessionēsis Princeps regij sāguinis.

Celebratur Parisiis mense Martio *Consilium* prouinciale sub *Iacobo* Cardinale Petronio Archiepiscopo Senonense (cui omnes septem eius suffraganei. Episcopi interfuerunt) occasione cuiusdam libelli *De Eccles. & polit. potestat.* à quodam innominato, satis tamen, supérque cognito, nupér editi: qui ibi damnatus, ac proscriptus est. Sicuti & alia prouinciali Synodo, hoc eodem anno habita mense Maij Aquis Sextiis à Paulo Archiepiscopo Aquensi idem Liber eadem censura reprobatus est. Quem plenissimè confutauit egregio volumine. *De suprema Rom. Pontificis in Ecclesiam potestate* Andreas Duuallius insignis Doctor Sorbonicus, & Regiorum in Theologia Professorum dignissimus Decanus.

In Angliam Fredericus Comes Palatinus futurus Imperij Elector aduenit mense Nouembri, ad coniugium filiæ regis Maioris Britanniæ. Cuius Regis filius maior natu Henricus Princeps Vvalliæ exeunte anno innopina morte raptus est. Nuptiæ verò Palatini non nisi sequenti celebrantur mense Februarij.

Viget bellum inter Danos, & Suecos variis vtrinque cladibus. Et res Polonicæ non adeò prosperè in Moschouia procedunt: tum ab hostibus, tum quòd exercitus Moschouiticus confœderatus ob non soluta stipendia bellum detrectaret, qui in Poloniam perrexit ad illa expetenda.

Battorius in Transiluania Cronstadium expugnare contendens, misso Constantinopolim Andrea Gietzio auxilia petit à Turca. At Gietzius res proprias curans, propugnacula quædam Turcæ

pro

promittit, si sibi principatum traderet. Quare Turca Mahometi Bastæ id negotij dat, vt Battorio eiecto Gietzium introducat. Id verò Battorius animaduertēs, auxilia quærit à Palatino Hungariæ, séque in Regis Matthiæ tutelam insinuat: expostulante quidem de his Turca apud Matthiam, sed ne bellum inferret impedita rebellione Arabum.

Ordines bataui cum Achmete Turcarum Imp. fœdus sanciunt Constantinopoli mense Iulij.

Iterùm tentatur à Batauis infeliciter nauigatio ad Sinas, per Borealem poli Arctici plagam, Boëslino Duce: qui partim longa nocte, partim concreto glacie Oceano repulsus, post magnam suorum iacturam retrocedere coactus est.

Magus quidam in Mauritania, paucis militibus ingentem Marrochi Regis exercitum bis sternit, ac Regnum occupat, Sed Rex alium adeptus magum, primum illum eiicit: qui nihilominùs artem suam instaurans iterum Regem pellit. Sic ludunt Dæmones inter suos asseclas, in perniciem infelicium animarum.

A Christo nato anno M D C X I I I.

PAx inter Reges Daniæ, & Sueciæ constituitur: cùm Danus à prospero victoriarum cursu, ingruente in exercitum suum peste retraheretur.

Gabriel Battorius qui vt Transiluaniam retineret, diu in vtramque partem claudicauerat, Imperatoris, & Turcarum, tandem à Bethlemo Gabor (de quo iam supra) & ipso hæretico Caluiniano, atque etiam Schismatis Græcorum fautore, in eum rebellante Turcarum ope profligatur: & à suis anno sequenti miserrimè occiditur. Gabor autem nihil eius

casu

casu prudentior factus, eadem vestigia terens, vt Princeps Transiluaniæ constituatur. promittit, & Turcis, & Imperatori pacem, & fidelitatem atque interim sibi resistentes Turcicis auxiliis persequitur.

Turcæ quoque pacē infideliter colentes in Hungaria aliquot pagos incendunt, hominésque abducunt. Triremes autem Magni Ducis Hetruriæ excursione in Minorem Asiam facta, multa eis damna inferunt: & tam ab iis, quàm ab Hispanis, plures illorum triremes ac naues captæ, captiui facti, & Christiani ab eorum seruitute liberati.

Cosaci præcipuas penitioris Moscouiæ vrbes euertunt, & magnis thesauris potiuntur. Inde in Tartaros ducentes, eos ingentibus cladibus afficiunt. Atque alij in Ponto Euxino 24. triremes Turcicas in quodam portu incendunt. Sed & Tartari audientes Poloniam à seditiosis militibus vastari; & ipsi in Poloniam irruentes, multa damna inferūt.

Mortuo in Italia Francisco Duce Mantuæ absque virili stirpe; eius successionem Ferdinandus frater & Cardinalis adeptus, pileo renunciat: qui & posteà dispensatione Pontificia, cùm non esset Sacerdos, vxorem duxit. Viuítque hactenus, placidè ditionem suam gubernans: post gestum aliquot annis auxilio Hispanico bellum cum Carolo Philiberto Duce Sabaudiæ, occasione veteris rixæ Marchionatus Monferratensis, & recentis dissensionis ob viduam Francisci Ducis, quæ filia erat Caroli, & dotes nescio quas tam antiquorum quàm recentiorum matrimoniorum: quarum rursum controuersia, dum hæc scribimus, redintegrari auditur, aucta Ducis Mantuani causa nouis nuptiis Ferdinandi II. Imperatoris cum illius sorore.

Rediit in Galliam à Brasilica expeditione Rasillius nobilis Gallus, relictis ibi ad Barbarorum conuersionem

uersionem duobus Patribus Capucinis, & abductis in Galliam sex eius oræ incolis, qui Christianam fidem sunt amplexi: Hocque item anno consignatur exitus expeditionis Canadensis, ab aliquot viris nobilibus, & mercatoribus ante biennium in nouam illam Franciam repetitæ. Vbi dum aliquot Religiosi Societat. IESV signis & virtutibus dant operam conuertendis illis populis, Angli è Virginia in Canadam excurrentes, & naues Francorum imparatas diripiunt, & ædes extructas incendunt.

In Gallia Tilenus, & Molinus, Prædicantes Caluinistæ Hæreticorum more, tractantes quæ non sua sunt, nec ipsi intelligunt, de recondita Incarnati Verbi vnione hypostatica, Naturarum distinctione, proprietatibus, & officiis pugnas edunt: quas nec Rex Maioris Britanniæ suis litteris; nec cæteri Ministri suis monitionibus consistorialibus componere valuerunt.

A Christo nato anno M DC XIV.

IN Polonia confœderato Moschouitico milite tandem fit satis, numeratis quinque millionibus. Horum pars Smolenkum contendit: & hac æstate tres contrariorum Moschorum exercitus profligat: alij Neudam munitionem intercipiunt. Cúmque de damnis illatis à Cosacis Turca apud Regem Poloniæ expostularet: Cosaci fugam simulantes, cùm Thraciam ad cōspectum vsque Constantinopolis populati fuissent, Nagalensium Tartarorū regionem diripiunt: Bithyniam ac Paphlagoniam vastant: Trapezuntem Cappadociæ cū portu & 28. triremibus atque nobili armamentario euertunt; Si-

nopem

nopem Ponti incendunt; ingenti præda potiuntur.

Nouæ dissensiones oriuntur in Germania occasione Ducatus Iuliacensi, inter Duces Brandeburgensem Protestantem, & Neuburgensem iam Catholicum: qui ducta in vxorem, anno superiori filia Ducis Bauariæ 25. Maij huius anni Lutheranā hæresim seriò abiurauit. Ordines Hollandiæ sibi Iuliacum defendendū suscipiunt; & copias, ac cūmeatū eò mittunt: & Albertus Archidux similiter exercitū colligit. Cui cùm executio mandata esset proscriptionis vrbis Aquisgrani, ab Imperatore factæ ob tumultus in Catholicos excitatos: is ductu Spinolæ vrbem occupat, & alia loca: aliáque item ex altera parte Mauritius Ordinum ductor: sed absque Induciarum Belgicarum læsione. Res verò Aquisgranenses tandem compositæ sunt ann. 1616. per alios Imperatoris Commissarios, & seditionis auctores supplicio affecti.

Quo eodem tempore exorta inter ciues seditione Francofurti ad Mœnum, Senatores pristini exturbantur: sed iidem posteà iussu Imperatoris restituūtur, seditionis auctoribus castigatis, hominibus (vt plerumque fit in eiusmodi tumultibus) vilium artium opificibus: Iudæísque pariter restitutis, qui pulsi fuerant, bonis eorum direptis.

Gallia, quæ hactènus à nece Henrici Magni arma continuerat, nunc demùm nouos tumultus pariter; Principibus aliquot, atque Proceribus secessionem facientibus, prætextu nimiæ auctoritatis Concini Florentini in cæterorum præiudicium. Sed collectis vtrinque exercitibus, concordia quædam initùr: verùm nec firma nec diuturna. Interim Rex cum Regina matre ad sedandos alios tumultus, Pictauos tendit, & Nannetes: ac post reditum, cum iam attigisset annum ætatis 14. sedens

ſedens in Parlamento Pariſienſi die 2. Octobr. ſuſcepit in ſe adminiſtrationem Regni, quam mater hactenus exercuerat. Mox trium Ordinum Comitia ibidem habita, ad auferendas belli occaſiones, & res regni conſtituendas, quibus ex parte Cleri interfuerunt quinque Cardinales, ſeptem Archiepiſcopi, & 47. Epiſcopi, præter plurimos alios in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos. Inter alia ibi tractata, ingeſta eſt à Plebeij Ordinis hominibus propoſitio de auctoritate Summi Pontificis in Reges: ſed quòd ea nouas diſſenſiones generare potuiſſet, minimè ab Eccleſiaſticis, & Nobilibus admiſſa, à ſanctiori Regis Conſilio penitùs ſopita eſt. Cæterùm Comitia poſteriores huius anni menſes, & ſequentis priores occuparunt: ſed nullo ferè effectu.

Perſecutionem diè vrget in Chriſtanos Iaponenſes Rex Cubo Paganus, Anglorum præcipuè, & Batauorum artibus: qui vt negotiationis faciliorem ſibi viam aliis nationibus excluſis aperiant, mentiuntur Regi omnia in Iaponia à Chriſtianis agi, vt Luſitanis & Hiſpanis aditus dominandi patefiat.

Ad hunc vſque annum perduxit *Iacobus Gauterius* Annonenſis Gallus Societat. IESV ſuam *Tabulam Chronographicam Status Eccleſiæ Catholicæ*: qua ſcitiſſimè per continuam & nunquam interruptam doctrinæ, ac perſonarum ſucceſſionem, rerúmque præcipuarum toto Orbe geſtarum narrationem, hæreſes impugnat, & Catholicā veritatē confirmat.

A Chriſto nato anno M. D C X V.

ROMAM deferūtur menſe Ianuario literæ à Gabriele Gangrēſi in Paphlagonia Epiſcopo, quibus

bus agnoſcit Primatum Romani Pontificis. Ineunte verò Octobri Eques Vandomius filius naturalis Henrici Magni, nomine Regis Ludouici Iuſti ſolitum Pontifici defert obſequium. Exeunte autem eodem menſe excepti ibidem è Iaponia Legati, miſſi ab Idate in Iaponiâ, Rege Voxu, ad agnoſcendum Romanum Pontificem, & obſequium ei deferendum.

Vltima Ianuarij mortuo Claudio Aquauiua Societatis IESV Generali Præpoſito, ſequente Nouembri facta eſt Generalis Patrum Congregatio, cui interfuerunt Mexicani, Peruani, Malanatici, & ex Goana india & Regno Sinenſi: electúſque eſt in demortui locum *Mutius Vitelleſcus* ex nobili familia Romana, omnium digniſſimus iure merito à tantis Patribus æſtimatus

In Gallia poſt ſoluta Comitia iterum venitur ad arma, ſecedentibus rurſum Principibus. Nihilominùs Rex iter ingreſſus ad excipiendam ſponſam Annam, filiam Regis Hiſpaniæ, & deducendam ſororem Eliſabetham ad Philippum Principem: Septembri menſe Burdegalam aduenit. Eodem die & hora ex condicto Dux Lermæus Regis Ludouici mandato Burgis in Hiſpania cum Anna: Dux Guiſius Philippi Principis nomine Burdegalæ cum Eliſabetha, publicè in Eccleſia connubiales cæremonias miniſterio ſacrorum Antiſtitum adimplerunt. Inde Guiſius Eliſabetham ad limites Regni ducens, conſignauit Hiſpanis: & acceptam ab iis Annam (quam Rex ipſe Philippus eius parens vnicè ſibi dilectam ad ipſos etiam Regni limites comitatus fuerat) Burdegalam, ad Regem deduxit.

Moritur ad finem Martij Pariſiis Regina *Margarita Valeſia*: in qua *Valeſiorum* ſtirps regia penitùs extincta eſt: quæ in Henrico Tertio regnare deſierat

desierat ann. 1589. cùm in Philippo Valesio cœpisset anno 1328. Moritur & mense Augusti Auenione *Franciscus* Cardinalis *Ioieusius*, sacri Collegij Decanus, & Regni Galliæ protector, pluribus summi momenti rerum tractationibus pro Ecclesia & Republica Christiana egregiè functus.

Mense verò Iulij in Generali Conuentu Cleri Gallicani Parisiis habito, omnium vnanimo consensu Concilium Oecumenicum Tridentinum recipitur; omnésque se illud, quantùm in eis esset, suis functionibus obseruaturos promittitur, & iurant, satagente, hæc in primis ingenti fidei, ac disciplinæ zelo *Francisco* Cardinale *Rupifocaldo*, natalibus, pietate, doctrina, omníque virtutum genere, etiam supra dignitatem conspicuo.

Pax constituitur inter Regem Hispaniæ, qui Ducis Mantuani, de contentione Montis ferrati, partes susceperat, & Ducem Sabaudiæ, qui spretis vanis illis formidabilis potentiæ terriculamentis, non solum se ab eius immensis exercitibus viriliter defenderat: sed & multis illatis cladibus demonstrauerat, non verbis, ac multitudine bella geri, sed animi fortitudine, & rei militaris peritia.

Legatio à Turcarum Imperatore Achmete ad Matthiam Romanorū Imperatorē Viennā aduenit mense Maio, & pacem ad viginti annos instaurat. quæ sequenti anno confirmatur, & typis mandatur.

Dum Rex Poloniæ rebus Moschouiticis, & Suecicis detinetur, facta à Chamo Tartarorū Tauricanorum irruptione in Russiam, quâ multa hominum, & pecorum millia abducta sunt, Russici duo strenui duces Viscouesius, Korecius, coactis 15. millibus equitum Daciam inuadunt: Tamsam eius Regulum, quòd Tartaris ad eam excursionem incentor extitisset, acie profligant, & fugientem occidunt;

ac

ac victores regiam ingressi Micheilonem Daciciæ proficiunt ditioni: peractis his omnibus ad finem eius anni. Quo eodem tempore alia ex parte Cosaci Nogaiensi & Crimensi Tartarorum prouinciis horrendam intulerunt vastitatem.

Cùm verò & Moscouia diutino bello à Suecis, Polonis miserè vastata fuisset, Moschi Ducem eligunt Michaëlem Fedrouizium, quamuis iam antea acceptassent Vladislaum filiũ Sigismundi Regis Poloniæ. Agitúrque per Imperatoris legatos de rebus cum Polonis componendis, sed irrito conatu. Quare Chodkenicius Polonicarum copiarum ductor, Moschorum legiones Smoleko submouit, euersis munitionibus ad eius obsidionem paratis.

A Christo nato anno MDCXVI.

COMPONITVR iterũ in Gallia discordia Principum: & Rege mense Maio Lutetiam redeunte cum Reginis matre, & coniuge, Princeps etiam Condæus, ac reliqui omnes confœderati ad eum accedunt, Sed nouis rursum ortis suspicionibus, idẽ Condæus Calend. Sept. retinetur in palatio regio, & posteà mittitur in custodiam in arcem Bastillæ: è qua ad finem præteriti Iunij missus in libertatem fuerat. Carolus Comes Aruerniæ, filius naturalis Caroli IX. quem ob alias conspirationis suspiciones Henricus Magnus ante 12. annos incluserat in perpetuam custodiam damnatum: cuius posteà egregia virtute ac peritia Rex Ludouicus tam rebus bellicis, quàm politicis feliciter hactenus vsus est: Capto verò Condæo, qui ei anteà adstiterat, iterum secedunt, & Rex in eos bellum decernit.

Vscochis, populis Croatiæ, partis ad Ferdinandum

nand&n Archiducem Austriæ pertinentis, latrocinia & terra exercentibus, & mari: Veneti quorum ciuitatis commercium non parum incommodi inde patiebatur, de his questi apud Ferdinandum, cum malum non cessaret, eius ditionem manu armata inuadunt, varias clades inferunt, ac vicissim accipiunt à ducibus Ferdinādi animosè eos excipientibus.

Bellum in Regem Hispaniæ, & ducem Sabaudiæ iterum recrudescit, in Italia, & acriùs quam anteà geritur, nescio Duce minis Hispanicis cedere. Cùm tamen missus interea à Summo Pontifice Paulo V. Alexander Ludouisius, tunc Archiepiscopus Bononiensis posteà Cardinalis, nunc Papa Gregorius XV. & à Rege Cristianissimo Ludouico Iusto Philippus Bethunius variis insignibus Legationibus conspicuus: nihil prudentiæ, ac solertiæ omitterent; quò res inter Ducem, & Gubernatorem Mediolanensem amicè componerent.

In Transiluania dissidium exoritur inter Bethlemum Gabor, & Humanoium, quòd Bethlemus Vvardinum Turcis tradere vellet in mercedem suæ ab iis protectionis, qui Lippam, & multa alia loca Transiluaniæ & Hungariæ eorū potestati subdidit.

Turcæ passim terra, marique cæduntur, mari Mediterraneo ab Hispanis separatim, & Florentinis, ac Melitensibus vnitim: palude Mæotide, ac vicinis locis à Cosacis Asia à Persis, vbi 40. eorum millia peste, ac ferro occubuerunt.

Ordines Batauici Flissingam & alias quasdam arces olim Elisabethæ Reginæ Angliæ ad auxilia ab ea obtinenda traditas, iam vt restituantur à Iacobo Rege numerata certa pecunia impetrant.

Hoc anno desinit *Iacobi Cordoni* Scoti Soc. Iesv insigne *Opus Chronologicum*: quo concinnâ breuitate res toto Orbe gestas ex optimis quibusque omnium

omnium gentium Auctoribus descripsit.

A Christo nato anno M D C X V I I.

IN Gallia Rex, Principes, ac Proceres confœderatos, qui ab eo secesserant, proscribit, & armis persequitur. Sed cùm hinc comes Aruerniæ cum parte copiarum regiarum, post quædam eorum loco capta, suessiones obsidione cingeret; inde Dux Guisius cum aliis item regiis copiis, multis locis vi occupatis, Impigrè ad alia pergeret: interim Rex frequentibus multorum in Concinum Florentinum Marescallum Franciæ (cuius summam potentiam confœderatis prætextui fuisse dissidiorum diximus) criminationibus suasus, iussit illum in regia detineri, cùm de more illuc accederet qui tamen non captus, sed quòd dum capiendus esset, resistere velle videretur occisus est in ipso regiæ aditu à satellitibus regiis, 24. Aprilis. Cuius necem etsi non iussam, cùm tamen Rex approbasset, Reginàmque matrem (cuius fauore potentia Concini subsistere dicebatur, quòd Concini vxor esset collactanea Reginæ, ac proinde ipsi charissima) tantisper dum omnia pacarentur, Blesas sedere rogasset: continuò Principes confœderati ad ipsum accurrunt, veniam sumptorum absque regia licentia armorum deprecantes. Corpus Concini post sepulturam à vili plebecula exhumatum, fœdè laceratum, ac combustum est, coniux diuersorum & ipsa criminum accusata, Senatus decreto capite plexa; corpus igne crematum. Sicque vniuersum Regnum tranquillitatem recepit: detento tamen adhuc Principe Condæo in custodia ad saltum Vicennatum.

Post quæ Rex seriam Regni administrationem gesturus

gesturis, inter alia præclara, quæ hoc eodem anno dixit, fecit, & constituit, 25. Iunij, in sanctiori Consilio decreuit; & mense Sept. edicto publico sanxit, vt omnibus & singulis locis prouinciç Bearnensis, hæresis contagione admodum infectæ, cultus Religionis Catholicæ liberè exerceretur, & bona Ecclesiasticis, ante quinquaginta fermè annos erepta, omninò restituerentur. Mense Augusto Cardinali Rupifocaldo, Duci Niuernensi, aliisque insignibus pietate & auctoritate viris curam commisit subuentionis Terræ sanctæ: ad quam toto regno pecunias colligi iussit in restaurationem, & ornamentum sacrorum locorum. Ac denique Decembri Rotomagi magnum Conuentum habuit præcipuorum ex Tribus Regni Ordinibus virorum ad consultandum de optima Regni administratione.

In Italia dum bellum protrahitur inter Hispanos, & Ducem Sabaudiç, Gubernator Mediolanensis 21. Iulij Vercellas deditione capit, vrbem ditionis Ducis: post arctam duorum mensium, & magnam Hispanorum stragem, Dux auctus copiis Gallicis, aliquot oppida in ditione Mediolanensi expugnat, ac diripit: variis locis hostes magno numero profligat, cæditque.

Venetis quoque, & Archiducalibus mutuis sese cladibus terra, marique, ac præcipuè apud Gradisciam Styria, quam Veneti obsidebant, (sed ferè magis ipsi obsessi) multis damnis & incommodis afficiunt. Cùm & alia parte dux Ossunæ Prorex Neapolitanus in mari Hadriatico classem instruens, ingentes iisdem Venetis turbas concitarit, damna intulerit, acceperítque.

Intereà verò Ferdinandus Archidux adoptatus ab Imperatore Matthia in filium, & suorum Statuum successorem, de consensu Maximiliani, & Alberti fratrum

fratrum Imperatoris, qui liberis carebant: (erat autem Ferdinandus ipsorum patruelis; videlicet, filius natu maximus Caroli Archiducis, fratris Maximiliani II. Imp. cuius illi erant filij:) hoc anno in comitiis Boëmicis, præsentibus iisdem Matthia Imp. & Maximiliano eius germano: & rem promouentibus, eligitur Rex successor Boëmiæ: ea tamen lege, vt administrationi, quandiu Matthias Imperator, & Rex viueret, non se immisceret, nisi de consensu Imperatoris, & Ordinum Regni: & coronatur 29. Iunij die festo SS. Petri & Pauli Apostolorum. Post quæ iidem Matthias, Maximilianus, Ferdinandus, visitaturi Ioannem Georgium Electorem Saxoniæ, Dresdam accedentes, honorificentissimè ab eo excepti sunt.

Reges Daniæ, & Sueciæ in Regnorum limitibus conuenientes, fœdus defensiuum ineunt aduersùs Regem Poloniæ legitimum Sueciæ dominum: Hæretici in Catholicum. Idémque posteà Suecius etiam cum electo aduersùs filium Regis Poloniæ, schismatico Moscouiæ Duce, pacem componit. Denique Sueci Liuoniam inuadentes, post aliquot loca occupata à Polonis cæduntur.

Turcæ circa Agriam excursiones facientes, ab Heiducois profligantur. Alia verò parte continuis deprædationibus Cosaccorum irritati, assumptis Tartaris in Poloniam irruentes, magnas prædas agunt. Mari Mediterraneo 19. naues, quæ tributum ex Ægypto Constantinopolim vehebant, tempestate submersas amittunt.

Mensis verò Nouembris die 15. moritur Achmetes eorundem Turcarum Imperator, postquam regnasset an. 14. minus 36. diebus, Cuius filius Osmanes, quòd nondum attigisset annum ætatis 12. & Magnus Vizir abesset in expeditione Persica:

Mustapha Achmetis fratri, qui eatenus reclusus quadam cella vixerat orationibus vacans, Imperij administratio iussu morientis Achmetis delata est. Sed creduliter in quoscunque agens, nec alioqui ingenio tantæ ducendæ moli potens, iterùm post duos circiter menses quà spontè quà coactè pristinum cellæ suæ incolatum repetiit: & *Osmanes* sequenti Ianuario in thronum euectus est.

Barcinone, & reliqua Catalaunia mense Sept. immensa accidit inundatio ex continua, atque violentissima multorum dierum pluuia: qua multa hominum millia perierunt, aliquot oppida, ac plurimi pagi absorpti sunt. Incẽdio etiam totum penè Tangemundum veteris Marchiæ oppidum consumptum est; & Isenacum in Thuringia magna parte deletum mense Augusto.

Elector Saxoniæ, aliíque Lutherani in Germania, vanum Iubilæum celebrant mense Nouembri, quòd centesimus hic esset annus à Lutheri apostasia: causáque numismata aurea, & argentea, cum inscriptione: *Sæculum Lutheranum* 1617. Cùm anteà mense Iunio Paulus V. Pontifex sacrum Iubilæum per vniuersum Christianum Orbem promulgasset, ad implorandam diuinam misericordiam pro præsentibus Ecclesiæ necessitatibus.

A Christo nato anno MDCXVIII.

AD principium huius anni pax confirmatur inter Ferdinandum Regem Boëmiæ, & Rempublicam Venetam. Et postquam Petrus Toletanus Gubernator Mediolanensis distulit, quantuncumque potuit, restitutionem Vercellarum Duci Sabaudiæ: demum tamen vrgente apud Regem Hispaniæ

paniæ Rege Francorum,& minas intentante, ni staretur promissis, quorum ipse se vadem, ac fideiussorem constituerat mense Iunio reddita est ciuitas Duci, & cæteris omnibus vtrinque restitutis, tranquillitatem Italia recipit.

Idem Ferdinandus, Rex etiam Hungariæ, sollicitante Matthia Imperante, coronatur ineunte Iulio in Comitiis Polonienfibus, iisdem conditionibus, quibus fuerat antea Rex Boëmiæ declaratus.

Venetiis mense Maio, ex quadam suspicione coniurationis in vrbem à Duce Ossunæ Prorege Neapolitano, qui Rempublicam hactenus non parum suis excursionibus maritimis turbauerat, multi tam Hispani, quàm etiam Galli, supplicio affecti sunt.

Eodem mense Maio Pragæ in Boëmia Comitiis habitis à Statibus hæreticis; prætextu conseruationis suæ religionis, armis inuasi Consiliarij & Magistratus Imperatoris per fenestras arcis altas 40. cubitis præcipites dantes: qui tamen magno miraculo incolumes permanserunt, hæc maximè operante Comite Turrensi, qui ciues Pragenses, Directoribus Regni mox institutis, iuramento obstrinxit? Patres Societat. IESV vrbe eiecit, vicinas prouincias Morauiæ, Silesiæ, Lusatiæ, ad eandem defectionem sollicitauit, & exercitum colligere cœpit. Quibus auditis Imperator, postquam literis ac monitionibus nihil apud rebelles profecit, exercitum in Boëmiam immisit: & varia inita sunt prælia, capta vtrinque oppida, prædæ actæ, Comitibus Bucquoio, & Dampiero impigrè rem pro Imperatore agentibus, Mansfeldio notho, & Turrensi pro Statibus, longè quidem numero militum vndique ad eos aduenientium superioribus, sed tamen plerúmque pugna inferioribus.

Dissidia Religionis, quoad articulum de Prædestinatione,

stinatione, apud ordines Batauicos ab aliquot annis inchoata. (*vid. an.* 1609. *&* 1610.) adeò subinde aucta sunt, vt etiam in factiones politicas, & diuisiones ciuitatum, atque prouinciarum & delectus militum processerint. Vnde Mauritius (iam Princeps Aurantius morte Philippi fratris, qui decessit mense Februario huius anni) in gratiam Regis Angliæ; & Ordinum Generalium nomine, pro antiquiori satagens opinione, ne & fortè ab Arminianis dominatione excuteretur, Traiecto vna ex præcipuis ciuitatibus Armenianis arte & armis occupata, alias continet, promissione nationalis Synodi, quam Rex Angliæ in causa illius controuersiæ celebrandam suaserat. At paulò pòst idem Mauritius præcipuos earundem ciuitatum Hagam vocatos, prætextu mutationis Religionis, ac Reipublicæ ab iis intentatæ, in carcerem coniicit: atque inter eos Ioannem Barneveldium Hollandiæ Aduocatum iam ætate prouectum, cuius prudentia & consilio Ordines pleráque sua gesserant: (cui à multo tempore infensus Mauritius fuisse dicebatur: quòd non in omnibus assentiretur:) deinde verò manu armata Hollandiam, & Vvestfrisiam prouincias Arminianas percurrens, Magistratus vbique mutauit, præsidia constituit, præcipuos Arminianos prædicantes expulit.

In Rhætia quoque (siue apud Grisones) turbæ excitantur: dum quidam specie auertendæ nonnullorum tyrannidis, qui statum Democraticum abrogatum vellent in fauorem Hispanorum, quibuscum conuentio quædam transacta fuerat anno superiori Curiæ, in communem vtilitatem Mediolanensium, & Grisonum, quam isti proditionis nomine appellabant; maiorem ipsi sibi in populum suspicacem auctoritatem vsurpant, armatóque popu-

lo

lo in patriæ perniciem, ac religionis Catholicæ multos supplicio plectunt, & inter alios Archipresbyterum Sundriensem crudelissima tortura necant, atque Episcopum Curiensem perpetuo exilio damnant: cùm tamen conuentibus aliquot habitis contestati fuerint, nullã se vim religioni illatã cupere.

In eorundem Grisonum montana regione 4. Sep. terræmotu facto, mons quidam imminens oppido Plutauio sub crepusculum vespertinum oppidum momento obruit cum omnibus incolis, tanta clade, vt ne vestigium vllum conspiciendum reliquerit.

Ingenti inito prælio inter Turcas, & Persas, prope vrbem Ardeuillensem, Turcarum ad 60. millia: Persarum, nouem perierunt: & tamen quamvis videretur Persa vicisse: obtulit nihilominùs pacem Turcæ, qui eam libenter acceptauit.

In Gallia Palatium Senatus Parisiensis 7. Maij fortuito incendio ferè consumptum est. Mense Aprili Rex Patres Societat. IESV, semotis omnibus quibuscumque, & quorumcumque oppositionibus plenissimè restitutos sancit ad Lectiones publicas ibidem Parisiis faciendas. Ac postea à Summo Pontifice impetrat, vt festum S. Ludouici Regis celebretur de præcepto per vniuersam Galliam 25. Augusti.

Mense Nouembri *Mauritius* Princeps Cardinalis Sabaudiæ, missus à patre Duce in Galliam, tum ad gratias Regi agendas de rerum suarum cura adeò feliciter ab eo suscepta, tum ad tractationem matrimonij Christianæ sororis Regis cum Principe Victore Amedeo filio Ducis natu maximo, honorificentissimè Parisiis susceptus est: ac summæ prudentiæ, & pietatis laude legatione sua ex optatis functus.

Quo eodem tempore aduenit pariter Lutetiam

Legatus ab Osmane nouo Turcarum Imperatore, ad confirmationem amicitiæ, & excusationem iniuriæ Legato Regio Constantinopoli sub iniqua Mustaphæ administratione illatæ, cui abundè Osmanes satisfecit.

Denique mense Decembri eodem peruenit Comes Furstemburgius, legatus ab Imperatore Ferdinando ad petenda auxilia aduersùs Boëmos, Palatinum,& alios Regnorum suorum vsurpatores.

Obiit Ioannes Bembus Dux Venetiarum:& quia in eius locum electus fuit Nicolaus Donatus iam fermè nonagenarius, vix mensem superfuit. Subrogatus est mense Maio, qui tunc in exercitu absens erat, *Antonius Priolus*, vnus ex Procuratoribus S. Marci:qui adhuc Rempublicam administrat.

Obiit item Maximilianus Archidux Austriæ ineunte Nouembri: cùm Iulium Cardinalem Cleselium, qui hactenus cuncta domus Austriacæ negotia summa industria administrauerat, improuisò ob quasdam suspiciones Viennæ captum ad Tirolensem regionem abduci curasset, re Pontifici subitò significata.

Itémque 5. Septembris ex hac vita decessit Lutetiæ *Iacobus Dauy*, Cardinalis *Perronius*, Gallicanæ, quinimò & Romanæ, atque adeò totius Catholicæ Ecclesiæ decus ingens & ornamentum, Hæreticorum malleus, doctus, & eloquens ad miraculum:quem si ampliùs laudare voluero fucos faciam, cùm maior sit omni laude.

Mense Nouembri apparuit Cometes prolixa admodum cauda formidabilis: de quo multi scripserunt. Quid autem portenderit, tempora demonstrarunt, demonstrabuntque: cùm non nisi ex euentibus de his iudicetur.

A Christo

A Christo nato anno MDCXIX.

BELLVM Boëmicum protrahitur vario Marte, aliquibus nonnunquam interpositis induciis, & colloquiis de pace: quæ tamen frustrà sunt, cùm non iam Status de religione sua asserenda, sed de familia Austriaca omninò expellenda agerent, ac de Catholica religione opprimenda. Quare & Imperator Ernestum Comitem Mansfeldium ob Pilsnam Boëmiæ ab eo occupatam, aliáque in Imperiũ commissa, proscribit edicto publico 19. Februarij.

Sequentis verò Martij die 20. idem Matthias Imperator obiit anno ætatis 62. expleto, Imperij 6. mense 9. Post cuius obitum Ferdinandus eius patruelis, electus iam anteà Rex Hungariæ, & Boëmiæ, earum, sicuti & reliquarum prouinciarum hæreditariarum possessionem, Alberto Archiduce Matthiæ fratre concedente, Adipiscitur: (*vid. sup. an.* 1617.) ac paternis monitionibus rebelles ad mentem reuocare satagit. Sed iam hæreticis Austriacis, Hungaricis, Morauicis, Silesiis, atque Lusatiis firmiori fœdere cum Boëmis quà vi, quà sponte vnitis, crescit, vbique rebellio, & Turrensis, ac Mansfeldius circunquaque cum magnis copiis excurrentes, omnia cædibus, rapinis, incendiis vastant: Catholicos, ac præcipuè Ecclesiasticos, maximéque Religiosos Societ. IESV calumniis ac criminationibus onustos vndique pellunt, & Cardinalem Dietrichsteinium Olmucensem Episcopum miserè exagitant, spoliant, & custodia detinent, post quæ mensibus Aprili, & Maio peracta, Turrensis ineunte Iunio Vienna spe motuum ab Hæreticis suscitandorum exercitum du-

cit: sed tam à Ferdinando repulsus, quàm à Statibus (post ingentem cladem Mansfeldij, quam interim à Bucquoio, & Dampiero ad Nadlitiam Boëmiæ acerrimo inito Prælio accepit) celeriter reuocatus, relicta Viennâ in Boëmiam festinat; vbi Bucquoius post victoriam multa oppida Statibus eripuit & tam ipse, quàm Dampierus, diuisis copiis, multa damna rebellibus intulerunt: haud tamen aliquando inultè. Et hæc ita processerunt vsque ad finem Augusti.

Cùm intereà conuenientibus Electoribus Francofurtum ad nouum Imperatorem eligendum, tribus Ecclesiasticis, Moguntino, Treuerensi, Coloniensi, cum legatis trium sæculariorum, Saxonici, Palatini, Frandeburgensis ac Ferdinando Rege Boëmiæ: 28. Augusti electus est in Imperatorem idem *Ferdinandus* eo nomine II & 9. Septemb. vnctus, ac coronatus.

Alia verò parte eodem tempore Statu Boëmiæ præsentibus Morauiæ, Silesiæ, & Lusatiæ prouinciarum vnitarum Legatis, decernunt eundem Ferdinandum Regno Boëmię, ac prouinciarum vnitarum omninò abdicandum, & nunquam admittendum: Regnumque, iam anteà Electori Saxonico, & Duci Bauariæ oblatum, sed ab iis recusatum, deferunt Friderico Electori Palatino, missis legatis, qui eum in Boëmiam accerserent.

Quo eodem tempore Gabriel Bethlemus Transiluaniæ Princeps, (dictus vulgò patrio idiomate Bethlem Gabor) Turcæ cliens, ac vassallus, communicatis per litteras, & nuncios cum Boëmis consiliis, Hungariæ dominationi inhians, cum ingenti exercitu eam ingreditur, & Cassouiam, Filecum, Posonium, aliásque plurimas ciuitates vi, aut deditione recipit: Catholicos, ac pręcipuè Ecclesiasticos, ditissimè

ditissimè tractat; & Principis Hungariæ titulum accipit, habens in potestate Coronam Hungaricam, quæ Posonii religiosissimè asseruari consueuit.

Decimoquarto verò Nouembris Palatinus coronatus est Pragę, & triduo pòst Elisabetha eius coniux, filia Regis Angliæ, quam ambitione tituli Reginæ maximè impulisse tradunt Palatinum, valdè de hac electione anxium, ad eam acceptandam. Ac paulò pòst habitis Conuentibus Principum Protestantium Norimbergæ, Catholicorum VVirsburgi: vtrobique actum est de modis res suas prouehendi, & religionem, quam profitebantur, conseruandi.

Dordraci in Belgio mense Ianuario magnus Conuentus habetur Ministrorum ex Belgio, Germania, Anglia, aliisque locis contra Arminianos, præsente etiam Principe Mauritio, & aliis proceribus: quoad principium licèt Maij continuato, nulla tamen certa facta est controuersia de Prædestinatione definitio: Ministris inter se diuisis, & Arminianis oppositiones suas formantibus. Illud sanè inde secutum, quòd Barneveldius tum damnatus sit, vt auctor seditionum Arminianorum, & 13. Maij capite truncatus Hagæ ætatis ann. 73. quem vt Martyrem Arminiani colere cœperunt.

In Gallia, mense Februario, celebratæ sunt nuptiæ Parisiis Christianæ sororis Regis cum Victore Amedeo filio natu maximo Ducis Sabaudiæ. Eodem mense Tolosæ Italus quidam nomine Luciolus deprehensus atheismum docere, præcisà linguâ viuus combustus est.

Eodem item Februario Regina mater Regis, pertæsa diutinæ commorationis Blesensis, (quam ipsa honoratum carcerem interpretabatur,) ope Ducis Espernonij, inscio Rege, inde deducitur Engolismam. Iratus Rex in Espernonium,

P 5 exerci-

exercitum colligit: sed multis intereà vltrò citróque missis nunciis, & litteris tandem sept. mense concordia renouatur, & Rex Turonis matrem visitat: indéque ipsa Andegauim petit, ipsi à Rege concessam, Rex Carnutum concedit, ad reddendas Deo, ac Beatissimæ Virgini (cuius antiquissima Imago, & templum augustissimum frequentissimo populorum concursu visitatur) gratias de felici rerum successu, ac deinde Condæum Principem ex diuturnâ custodia saltus Vincennarum pristinæ libertati restituit: & magna omnium lætitia ad se venientem excepit apud Cantiliacum 20. Octobris.

In Hispania Rex Philippus Philippum filium in Lusitaniam deduxit, vnà cum Elisabetha Franciæ eius sponsa: atque ibi in eorum vrbe iurari fecit à Lusitanis mense Iulio.

Nouus Equestris, *Ordo de sacra Militia Christiana*, sub protectione beatissimæ Virginis, S. Michaëlis, S. Francisci, instituitur, mense Martio Viennæ in Austria aduersús Infideles: præcipuo auctore Carolo Gonzaga, Duce Niuernensi: cui multi Principes ac Proceres Germani, Itali, Poloni, nomen dederunt: fuitque mox à Romano Pontifice Paulo V. confirmatus.

A Christo nato anno M D C X X.

MEnse Ianuario initur noua confœderatio inter Palatinum, Gaborem, Boëmos, Hungaros, Transiluanos, Austriacos, cæterásque prouincias rebelles: sollicitato etiam in consortium Turcarum Imperatore, Februario autem Imperator Ferdinandus Edicto publico electionem, & coronationem Palatini irritam ostendit, & declarat: itaque

itaque Aprili aliis publicis litteris, tum monet [illegible] ab ea desistere, tum omnes ei adhærentes ab eo recedere. Electores quoque, aliíque Principes Imperij, tam Catholici, quàm etiam à Protestantibus, qui ab Imperatore stabant Conuentu habito Malhusij in Turingia, eundem Palatinum, cæteróſque suis monitionibus conantur ad pœnitentiam reducere; & quòd frustrà omnia fierent, fœdus & ipsi ineunt aduersùs eorum perfidiam: Boëmiæ verò eodem Aprili filium Palatini sexennem declarant Regem successorem patris: Nec intereà cessabatur ab armis: sed copiis vtrinque & vndique crescentibus, variæ fiebant excursiones, deprædationes, pugnæ, cædes & occupationes locorum missis in auxilium Imperatoris à Regibus Hispaniæ, & Poloniæ, militum, à Pontifice Paulo pecuniarium subsidiis.

Rex verò Christianissimus, post acceptam legationem, quam diximus ab Imperatore, satiùs iudicans de conciliatione agere, quàm diffidia auxiliaribus copiis adaugere, celebrem misit in Germaniã mense Maio legationem Ducis Engolismensis, cum Bethunio aliis multis grauissimis legationibus prosperè gestis conspicuo, & Aubespino è præcipuis sanctioris Concilij ministris: qui in nomine suo, quantùm posset, tum obstarent, ne reliqui Principes, & Status Imperij (quod timebatur) arma in se mutuò conuerterent in euidentem perniciem vniuersæ Germaniæ; tum insisterent, vt diffidentes in concordiam reducerentur. Qui Primo in Conuentu Vlmensi Principum, & ciuitatum Protestantium correspondentium (sic enim vocabantur, qui Boëmis fauebant) celebrato mense Iunio, id præstiterunt, vt 3. Iulij inter Maximilianum Bauariæ Ducem, ducémque electum copiarum Catholicarum:

tholicarum: & Ioachimum Erneſtum Marchionem Anſpachij, ducem copiarum Proteſtantium, qui inſtructiſſimos exercitus in conſpectu habebant, conueniretur, ne quis eorum alios Principes, aut Status aggrederētur cuiuſvis Religionis; quàm in Boëmia, ac prouinciis vnitis, vti bellum eatenus viguiſſet. Deinde Viennam ad Imperatorem accedētes, honorificentiſſimè ab eo excepti ſunt 20. Iulij. Deinde etiā Gaborem conuenerunt; ſed irrito penè conatu.

Poſt prædicta verò Vlmæ peracta, Bauarus in Auſtriam cum exercitu procedens, Status eius prouinciæ Proteſtantes cogit renunciare fœderi Boëmorum, & ad obedientiam Imperatoris redire. Eodémque fermè tempore Elector Saxonicus, cui Imperator executionem proſcriptionis Boëmiæ commiſit, Luſatiæ prouinciam occupat. Et Spinola cum exercitu collecto ex Belgis, & Italis iuſſu Regis Hiſpaniæ in Palatinatum inferiorem ingreſſus multas vrbes capit. At in Hungaria Gabor in quodam ſuorum Conuentu (abſentibus tamen, præter Eccleſiaſticos omnes, præcipuis Regni Proceribus; & nonnullis etiam ciuitatibus, quarum aderant legati, apertè contradicentibus:) Rex Hungariæ proclamatus, Auſtriam incurſat, & auxilia Palatino mittit. Et Damperius, dum Poſonium tentāt, occiditur. Quando Bauarus copias ex Auſtria in Boëmiam ducens, iunctus Bucquoio ductori exercitus Imperatoris: ambo Pragam versùs procedentes, aduerſante ſemper à latere Palatino: demum 8. die Nouemb. in celebritate Octauæ omnium Sanctorum, quæ & tum erat Dominica 22. poſt Pentecoſten, qua recitatur in Officio diuino, Euangelium: *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*: iidem Catholici duces (hortante maximè P. Dominico Hiſpano, Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum,

rum, & certam victoriam diuinitùs promittente; viro insigni pietate, & miraculorum fama conspicuo) memorabili prælio Palatinum fuderunt prope ipsam Pragam, eodem ipso loco, quo Status Boëmici anno præterito, accersito ad Regnum eidem Palatino obuiarant. Fugiens Palatinus Pragam, accepta vxore cum liberis in Silesiam concessit. Duces Catholici Pragam postridie triumphantes ingressi sunt, vniuersa fermè Boëmia è vestigio ad obsequium Imperatoris redit. Captíque multi sunt ex præcipuis motuum illorum auctoribus, qui postea iussu Imperatoris variis suppliciis affecti sunt. Et hæc quidem ibi.

Intereà in Vvalachia, & Moldauia, certatur à Turcis, & Tartaris Præcopensibus aduersùs Gratianum Vvaiuodam & Polonos; cum accusatus apud Turcam Gratianus de conspiratione cum Polonis, necato Campagio, quem Osmanes Turcarum Imperator ad ipsum occidendum miserat, apertè deficiens à Turca Polonos in auxilium vocasset. Bino itaque inito prælio, priori Turcæ inferiores, posteriori superiores fuêre: quo Gratianus exinctus est cum ducibus Polonis, & maximus nobilium multitudine. His verò excitatus Osmanes: cum iam ei pax esset cum Persa, eiecto cum ignominia legato Polono ex aula sua, bellum Polonis denunciat: qui se ad defensionem ingentibus animis, & viribus parant.

Dum verò Rex Poloniæ Sigismundus ad hæc Varsouiæ Comitia celebrat, 15. Nouembr. in ipso ingressu Ecclesiæ, à quodam nobili Polono securi bis caput, & humerum percussus, summum incurrit vitæ periculum. Cura tamen eodem ipso loco vulneribus adhibita, Rex egregio summæ pietatis exemplo noluit domum regredi quin prius,

[redacted] ad quod venerat, Sacrum audisset. Percussor nihil vnquam à Rege læsus, detestabili tamen malitia hoc solùm dolens, quòd eum non occidisset, debitas luit sceleris pœnas.

Hoc eodem anno in Valle-telina, sita in confinibus Italiæ, & Germaniæ, porrectáque in longum à lacu Commensi ad Comitatum Tirolensem vnita Rhætis, siue Grisonibuis, Catholici consiliis secretò inter se initis, ob pressuras, quas patiebantur ab hæreticis dominantibus, mense Iulio omnes Caluinistas, tam incolas, quàm exteros occidunt: & fauore Ducis Feriæ Gubernatoris Mediolani vniuersam Vallem occupant: pulsis etiam postea Grisonibus, qui confestim accurrentes multis militum millibus eam recuperare conati sunt. Inde verò Dux Feriæ aliquot præcipuis locis propugnacula ædificat, siue ad securitatem Catholicorum, siue eo prætextu ad Vallis occupationem. Quod tam ipsi Grisones, eorúmque confœderati Protestantes, ægerrimè ferentes, quàm etiam è Catholicis Veneti, quòd sic videretur in seruitutem Italia redigi, clauso Heluetiis, & Germanis ostio, tum alios ad vindicandã è manibus Hispanorum Vallem-telinam sollicitare cœperunt: tum maximè Regem Francorum Ludouicum, qui propterea missa ad Regem Hispaniæ legatione, promissionem accepit restitutionis, modò Catholicis Vallis cautum esset. Eàque de re multa inita sunt consilia à Legatis vtriusque Regis cum Heluetiis, & Rhætis eadémque variis artibus, ac difficultatibus interturbata.

Gallia quoque ingentibus rursum motibus agitatur mense Iunio, & sequentibus cùm Luinei apud Regem auctoritatis occasione, siue prætextu, aliisque priuatis inter Principes inuidiis, ac dissidiis, quamplurimi Principes, ac Proceres à Rege secesserunt

runt ad Reginam eius matrem, ſpecie eam tuendi aduersùs inſidias maleuolorum. Sed Præueniens Rex mirâ prudentiâ, celeritate, ac fortitudine, & fideli Condæi Principis conſilio, atque obſequio, eorum conatus, antequàm omnes copias in vnum collectas haberent; captâ Cadomo vrbe Northmanniæ munitiſſima poſt aliquot dierum obſidionem, redegit: & ad pontem Cæſaris prope Ardegauos fuſis Reginæ copiis, adeò in arctum Principes conſtrinxit, vt coacti fuerint veniam petere: & 13. Auguſti accedentem ad ſe Briſſacum Reginâ amabiliſſimè excepit, & quodcumque voluit humaniſſimè conceſſit. Inde confeſtim Rex in Aquitaniam pergens, cùm nullis vnquam hortationibus, atque iuſſionibus, obſtinatiſſima Miniſtrorum, ac Magiſtratuum Bearnenſium corda flectere potuiſſet ad exequendum iam anno 1647. promulgatum Edictum de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, illuc ipſemet modicis copiis pergens menſe Octobri, Venit, Vidit. Vicit quippe attonitis Hæreticis ad incogitatum eius aduentum, quem omnimodis artibus impedire, conati fuerant, intra ſolos quinque dies rebus ita proſpexit, vt præſidia vbique mutarit, ac præfecturas armorum, quibus Duces hæretici Catholicos dura ſeruitute premebant, extinxerit templa Catholicis, bona Eccleſiaſticis, Eccleſiaſticos priſtinis honoribus reſtituerit: prouinciam anteà liberi dominij iure gaudentem Coronæ Franciæ adnexuerit, & Senatum nouis Conſiliariis Catholicis auctum in Parlamentum erexerit. Hiſque tot, ac tantis pari fortitudine, ac felicitate geſtis, ad Reginas matrem, & coniugem Lutetiam rediens, eo peruenit 7. Nouembris, quatuor omninò menſibus, poſtquàm inde ad componendos Principum motus exiſſet 7. Iuliij miro vbique applauſu

ab

ab omnibus exceptus; præterquam à factiosis hæreticis: qui reductione Bearni vehementissimè afflicti modos interim meditantur, quibus incruentam hanc cladem euersione Regni compensent: magna tamen illorum parte, in officio se, & obsequio Regis moderatè continente. Cæteri verò, post multos priuatos, ac prouinciales variis locis peractos Conuentus, nationalem ex omnibus Galliarum prouinciis Rupellæ agentes: nec priuatis Regis monitionibus, nec publicis edictis ac proscriptionibus ad illum dissoluendum induci vnquam passi sunt.

Turcarum classis mense Augusto mari Adriatico excursionem faciens in Apuliam, Manfredoniam vrbem celebrem capit, & diripit, & multos vtriusque sexus captiuos abducit, magna Christianorum Principum, siue Ducum iis oris infamia.

FERDINANDVS.

A Christo nato anno M DCXXI.

FERDINANDVS Imperator 21. Ianu. Palatinum, ac Principes Imperij ei adhærentes, quòd & cladibus licèt attriti, & frequentibus monitionibus sollicitati, nihilominùs in rebellione obstinati perseuerarent, publicis edictis proscribit: cùm iam ad finem anni superioris in Bethlemum Gabor, ob inuasionem Hungariæ, traditionem aliquot eius propugnaculorum in manus Turcarum, & tituli regij vsurpationem, aliud diploma promulgasset, quo eius qualemcumque in Regem electionem irritam declarauerat.

Post quæ, Mauravia per Bucquoium, Silesia per

Saxoni-

Saxonicum ad obedientiam Imperatoris reducitur, & Hispani rursum multa loca in Palatinatu Inferiori occupant. Palatinus profugus, post longos circuitus, tandem peruenit cum vxore in Hollandiam, vbi à Statibus, & Principe Aurantio benignè & honorificè excipitur. Principes, ac Ciuitates correspondentes vnioni Protestantium in Germania dissoluto fœdere Imperatori reconciliantur: interuentione potissimùm Ioannis Suiccardi Archiepiscopi Electoris Moguntini, qui ab ipso horum motuum Germanicorum ortu egregiam in omnibus nauauit operam Religioni, & Imperatori.

Cùm intereà Boëmiam nothus Mansfeldius rursum turbare tentans, à Barone Tillio ductore copiarum Ducis Bauariæ, & locis priuatur, quæ adhuc ibi retineret & ad finem Septembris quodam loco superiori Palatinus ita recluditur, vt quò libet euadat, promittere certis conditionibus coactus sit Imperatori obsequium, quod tamen inde elapsus perfidè detrectat: & cuncta circumquaque lationis potiùs quàm ducis personam gerens diripit, vndique profugus, & nullibi certam sedem figens, aut Duces Imperatoris, vel Bauari sustinens.

Gabor item in Hungaria aliquid mouet, sed parum promouet: & dum Turcarum, & Tartarorum perita opperitur auxilia, abstinet intereà à coronatione; ac Coronam regiam Posonio in tutiorem locum secum transfert, quæ tantæ est apud Hungaros æstimationis, vt qui eam possideat, vti Rex habeatur: Multis nihilominùs Proceribus & ciuitatibus aduentum Bucquoij cum exercitu Imperatoris, à Gabore recedentibus, Bucquoius insuper Posonium capit, ac multa alia loca: sed dum Neuuensolum obsidet, in quodam cum hostibus conflictu desertus à suis necatur 10. Iulij, magno rerum

[...]m Imperatoris damno, ingenti Gaboris gaudio, qui iam propemodum eo ſtatu erat, vt tota Hungaria expelleretur ſed poſt Bucquoij necem, aliquot amiſſa loca recipit: à Poſonij tamen obſidione, magna clade repellitur. Ac denique Conuentu Nicles burgi habito, tandem exeunte anno concordia aliqua initur inter Imperatorem, & Gaborem quâ Gabor Coronam regiam reſtituere debeat, & Imperatoris nomine vrbes quas poſſideat, regere.

Poloni rurſum menſe Ianuario à Turcis cladem accipiunt in Moldauia. Sed Martio adueniens Ladiſlaus Princeps cum 50. millibus, atroci prælio eos vincit. Vnde Oſmanes mirum in modum exacerbatus, iuuenili ardore, contra ſuorum omnium ſententiam, Conſtantinopoli exiens Poloniam (vt iactabat) degluititurus: cum numeroſiſſimo & inſtructiſſimo exercitu 300. ferè millium militum, præter immenſam Tartarorum multitudinem, in Moldauiam venit, vbi Ladiſlaus limites Regni cum 60. millibus, tam Polonorum quàm Germanorum tutabatur, interim dum pater Sigiſmundus reliquum exercitum colligeret, qui futurus exiſtimabatur ampliùs 200. militum equitum. Caſtris in conſpectu poſitis, dum Oſmanes frequentiſſimis inſultibus Polonos aggreditur, ſimulque impedire conatur, ne 20. millia Coſaccorum iungerentur Ladiſlao: vtrinque magnis cladibus repulſus eſt: vt deſperans vlteriùs progredi, pacem obtulerit æquis conditionibus: quæ magno gaudio, velut diuinitùs miſſa, accepta eſt à Polonis, cùm rebus omnibus conſumptis vix iam haberent, quo vel vnum diem ſuſtinerent. Cæſa iis certaminibus ad duodecim millia Polonorum, & Germanorum: multi alij morbis conſumpti: è Turcis ad centum circiter millia cæſa, totidem aliis caſibus extincta. Quæ toto

toto mense Septembri, & parte Octobris consi-
gerunt.

Expirante hoc eodem anno, mense Aprili, induciarum Belgicarum constituto termino annorum duodecim inuitatis frustrà ab Archiducibus, prouinciarum vnitarum Statibus ad agnitionem legitimi illorum Domini, rursum venitur ad arma, & colliguntur vtrinque exercitus: sed nullo operæpretio; nisi quòd Spinola vrbem Iuliacum obsidet mense Septembri: quam demum deditione accipit ad principium sequentis Februarij, ne quicquam Aurantio Principe ei succurrere conato.

In Gallia Rex Ludouicus, rebellium Hæreticorum multis locis turbas cientium insolentissima arrogantia, & Conuentus Rupellani obstinatissimo Regiæ Maiestatis contemptu, ac nouæ Reipublicæ formæ constitutione, commotus: nullis non tentatis modis, quibus eos saltem ad pristinam quantumvis malè securam obedientiæ speciem reduceret: tandem in eosdem rebelles mouens mense Iunio, vrbem Santonum munitissimam Sanioannem, post duram 20. circiter dierum obsidionem, in deditionem accipit, mœnia, ac propugnacula diruit, & in vicum redigit, superbè anteà clades iactantem apud eam olim à Catholicis acceptas. Inde Cleracum in Vasconia pari obsidione ad deditionem compellit. Et alias quà vi, quà minis tam ipse, quàm eius auspiciis Præfecti prouinciarum, ad. 60. vrbes præsidiis Hæreticorum munitas ad obedientiam redigunt, magna variis certaminibus, rebellium strage. Montalbanum posteà, omnium munitissimam, ac verè amplissimam ipsorum vrbem, serò nimis Rex aggressus: superuenientibus morbis, ac inundationibus hybernis, rem in tempus commodius differre cogitur; desideratio inter plurimos duces,

ac

ac nobiles ea obsidione, Henrico Duce Menio, Prorege Aquitaniæ, strenuissimo Principe, ictu sclopi. Ac post solutam obsidionem, dum Rex Monhuitum oppidum, quod recens rebellauerat, mense Decembri vi capit, & incendit, Dux Luinus Franciæ Conestabilis in ægritudinem incidens, moritur 15. eiusdem Decembris: quem Rex ad supremam illam dignitatem, ob eius virtutes, ac probè notum in se zelum euexerat, & magnis diuitiis locupletauerat.

Intereà Parisiis media nocte post 24. Octobris, subito incendio pereunt duo pontes Aurificum, & Auium, siue Cambii & Mercatoris dicti, cum omnibus superpositis ædificiis: ingenti mercatorum damno. Quodquidem incendium multi negligentia cuiusdam ancillæ, alij malitia accidisse crediderunt Hæreticorum, in vindictam combusti eorum templi Carentonij quadam nupera aliquorum ex infima plebe seditione. Ac paulò post Lugduni pars Palatij publici arsit.

In Anglia mense aprili Parlamentum Londini habitum, auctoritatem sibi sumens in ministros Regios, Cancellarium carceri mancipat, & indignum eo honore declarat: aliósque non infimæ notæ Proceres in vincula coniicit: nec sine aliquo in Regem ipsum murmure, occasione (vt multi crediderunt) tractatus matrimonij, qui agitabatur inter Principem Angliæ filium Regis, & vnam è filiabus Regis Hispaniæ, siue alia quacũque de causa.

Rhæti, siue Grisones, dum variis, seu veris, seu fictis difficultatibus protrahitur restitutio in integrum Vallis telinæ, moræ impatientes, mense Septemb. magno numero irrumpunt in eam: sed ingenti suo damno, non solùm quòd accepta clade inde pulsi fuerint, verùm maximè quod ea occasione hinc

hinc Dux Feriæ, illinc Archidux Leopoldus in ipsam Rhætiam ingressi, eam occupauerint, coactis Rhætis manus dare. In quorum tamen gratiam ad finem anni inita est aliqua concordia, qua vtrique parti aliquo modo satisfactum, & Religoni prospectum videretur.

In Africa Rex Marroci propugnaculum ab Hispania ad fluuium Mamoram prope Alarachiam ante aliquot annos ædificatum, terra, marique obsidens magna strage repellitur, aduenien te in auxilium classe Hispanica: quæ etiam ad fretum Gaditanum 32. naues Batauicas bene instructas Venetiis redeuntes (elapsis iam induciis inter Hispanos, & Batauos) aggressa: aliquot capit, aliàs submergit; aut fugat. Alique Hispani, ac Lusitani, auxilio Anglicarum nauium Batauos ex Insulis Moluccis omninò repulerunt. Angli verò in portu algeriæ aliquot naues incenderũt, & magna præda potiti sunt.

Mortui sunt præterea hoc anno magni aliquot principes. Atque in primis Paulus V. Pontifex 28. Ianuarij anno ætat. 69. sedis 15. menses 9. de cuius virtutibus breuiter dictum in eius creatione ann. 1605. Eligitur 9. Februarij in eius locum *Alexander Ludouisius*, nobilis, Bononiensis, ex Archiepiscopo illius ciuitatis, & Cardinale tit. S. Mariæ Transpontinæ, annum agens ætatis 67. variis anteà magistratibus, & legationibus pro Sede Apostolica feliciter functus: comis, beneficus, pius, & nulli non admodum gratus, qui nomen sumpsit *Gregorij* X V.

Paucisque post diebus; eodem mense Februario obiit Cosmus Magnus Dux Etruriæ, diuturna inualetudine in iuuentute confectus, multis tamen liberis relictis: è quibus natu maximus Ferdinandus adhuc puer 10 circiter annorũ successit, in patris ditionem.

ditionem, sub tutela auiæ Lotharingicæ, matris Austriacæ, ac patrui Cardinalis Medicei.

Vltima die Martij excessit quoque ex hac vita Philippus III. Rex Hispaniarum insigni pietate,ac morum suauitate Princeps, anno ætatis 43. regni 23. post quem regni administrationem suscepit maximus natu filius Philippus eo nomine Rex IV. annos natus 16. magni animi Princeps,& mirabilis ingenij,ac supra ætatem prudentiæ, qui confestim ingentes rebus curialibus mutationes intulit, exturbatione illorum, qui patris facilitate abusi ad multa fuerant, & euectione aliorum ad honores & dignitates. Inter alios verò Ducem Ossunæ, olim Proregem Siciliæ, & posteà Neapolis, turbulentissimi ingenij virum, & qui res Neapolitanas in magnum discrimen coniecerat, carceri municipauit & Rodericum Calderonium, ab infima quondam sorte ad potentissimam, ac fastuosissimam auctoritatem euectum, sed à multo iam tempore plurimorum atrocium criminum reum constitutum, capite damnauit: feliciorem pia morte, quàm odiosa vita.

Mensis Iulij die 13. moritur Albertus Archidux Dominus Belgij, magno sui desiderio Belgis relicto, tum ob eius pietatem, ac mansuetudinem: tum maximè quòd ob eius obitum, quia nullos reliquit liberos, Belgium iterum redierit sub dominium Regis Hispaniæ: remanente tamen eius Rectrice Isabella Alberti coniuge, amita Regis Iunioris, & Ambrosio Spinola supremo duce armorum.

Denique 17. Sept. *Rob. Bellarminus* è Soc. Iesv Cardinalis, filius sororis Marcelli II. Summi Pontificis piam vitam sancto fine clausit, ferè octogenarius: eruditione, & virtutibus Christianis etiam supra famam ornatus, ac meritis nunquam intermorituris plenus.

Mensis

Mensis verò Nouembris die 14. Gregorius Pontifex prospicere cupiens dissidiis, quæ frequenter accidere consueuerunt in electione Romani Pontificis; nouam edidit Constitutionem, de forma, qua illa deinceps legitimè fieri debeat.

A Christo nato anno MDCXXII.

PRæsenti verò anno, quo ista scribimus, idem Gregorius Pontifex ad maiorem Dei gloriam, lætitiam Paradisi; bonum vniuersæ Ecclesiæ, singulorum Fidelium vtilitatem, ritu solemni, vnáque & eadem celebritate, 12. Martij festo sancti Gregorij magni, retulit in numerum Sanctorum, *Isidorum* agricolam Hispanum, qui vixit ante 450. & ampliùs annos, *Ignatium* Institutorem Soc. IESV; *Franciscum* ex eadem Societate Apostolum Indiarum; *Theresiam* Fundatricem Carmelitarum Discalceatorum; ac *Philippum* Auctorem Congregationis Oratorij.

Deinde verò Decretum amplians, quòd Paulus V. ipsius decessor de Conceptione Beatissimæ Virginis MARIÆ promulgarat, quo omninò prohibuerat, ne qui auderent in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, iam idem Gregorius die 24. Maij prædictum Pauli decretum extendit etiam ad priuata colloquia, & scripta; *præcipiens, ne etiam in sermonibus & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beatiss. Virgo fuerit concepta cum peccato originali: nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare:* atque insuper, vt Festo Conceptionis, nulli omni-

nò

non in Officio diuino, ac sacrosancto Missæ Sacrificio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, alio quàm Conceptionis nomine vti debeant.

Die Iunij 22. idem Gregorius Summus Pontifex Congregationem aliquorum Cardinalium, aliorumque Antistitum, & Regularium *de Fide Catholica propaganda*, erexit. Cui posteà propter fructus copiosos inde percipi solitos plurima alia legata facta fuerunt. Idem etiã 5. Septembris virtutibus insignes quatuor Viros, *Cosmum de Torres*, Romanum, *Armandum Ioannem Plessium Richelium*, Gallum, *Octauium Rodulphium*, Florentinum, & *Alphonsum de la Cueua*, Hispanum, in Purpuratorum album retulit. Ad hæc, Lutetiam, Ludouici Regis voluntati annuens, à metropoli Senonensi, vnà cum Carnotensi, Aurelianensi, & Meldensi Ecclesiis, diuulsam, metropolis nouæ erectione decorauit, primúsque ibi Archiepiscopi munia, noménque, Ioannes Franciscus Gondius nobilitate, pietate, atque ingenio præstans suscepit.

Per id tempus Rex Ludouicus multa ab Hæreticis pridem occupata oppida in suam ditionem redegit. Ducem Rohannensem factionum primarium auctorem, fratrémque eius Soubizium, iuratæ fidei violatorem anno superiori apud Sanioannem, Maiestatis reos promulgauit. Postmodum autem hunc in Insula Riensi, copiis prostratis, cæsisque spoliatum, turpem inire fugam compulit, illum verò, reliquosque Sectarios obedientiam ei in obsidione Montispessulani distento, pollicentes interuentu Diguerij, post abiuratam hæresim Connestabilis creati, in gratiam, pacémque recepit. Rupellanenses etiam, quos mari Dux Guisius classis regiæ Præfectus, terráque comes Suessionensis vi armorũ percellebant, obedire coacti, in amicitiã cũ Rege redierũt.

Variis

Variis in locis Germaniæ plurima ſigna in cœlo apparuerunt, menſibus Ianuario, & Februario; ſpeciatímque ſupra Heldebergam Palatinatus vrbem, quam menſe Septembri Tillius Bauaricorum exercituum ductor vi cepit, Bibliothecâque Palatina Paulo Pontifici promiſſa, partim direpta, partim Romam delata eſt.

Erneſtus nothus Mansfeldius, Chriſtianus Brunſuicenſis, Epiſcopus Halberſtatenſis Proteſtans, vetus Marchio Durlachus, & Badenſis varios exercitus inſtruxerunt, vt Palatinum exortum in loca ditionis ſuæ reſtaurarent: qui ad eos è Belgio, media Gallia, & Lotharingia, ſine comite, mentitiſque veſtibus tranſiẽs, multa cum iis moliri conatus eſt: ſed copiis frequentibus cladibus attritis primò Sedanum ſe recipiens, inde in Hollandiam ſe contulit. Mansfeldio; Hæreticorum perſuaſione à Lotharingia in Galliam proficiſci, dum Rex in Occitania detineretur, mens erat: ſed Dux Niuernenſis, Campaniæ Præfectus; eius conatibus ſe obiecit. Inde cum Gonzale de Corduba eum Belgij ingreſſu prohibente decertans, apud S. Amandum, & Floreacum in Comitatu Namurcenſi 29. Auguſti, copiarum magnam iacturam fecit, Traiecto poſteà Rheno cum reliquo exercitu, Vveſtphaliam adiit.

Conſtantinopoli, 19. Maij, Ianizzari, & Spachij, Oſmane ipſorum Imperatore per ſeditionem abrogato; Muſtaphæ eius patruo, à vinculis, quibus obſcuro in carcere conſtringebatur, ſoluto, imperatoriam dignitatem denuò conferunt. Ipſe verò matris callidiſſimæ ſuaſionibus Oſmani ætatis anno decimoquinto, imperij quinto, faucibus fractis ſpiritum intercludens, vitam ademit, Conſiliario eius primo Vizire Dilauer priùs obtruncato, capitéque eius perticæ affixo, prælatóque.

Huius atrocitatis fama cùm pleróſque Aſiæ Præfectos ad rebellionem commouiſſet prætoriani odium opprobriúmque omnium ſibi inde conflatum agnoſcentes, auctores, executoréſque tam immanis facinoris occiderunt, fratréſque Oſmanicos, alterum tredecim, alterum ſeptem annorum ab inſidiis contra eos poſitis diligentiſſimè vindicarunt.

Per id tempus fides Catholica apud Iaponicas Inſulas in dies augeſcebat, plurimorúmque, tam Religioſorum, quàm laïcorum, tam virorum, quàm fœminarum, atque infantium ſanguine confirmabatur. In Perſide quoque perſecutionibus multis Chriſtiani vexari cœperunt, primique martyrio coronati ſunt quinque Perſę, Patrum Carmelitanorumque miniſterio conuerſi, baptizatique.

Ad hęc, quarto Septembris diem extremum obiit *Adolfus Vignacurtius*, Magni Magiſtri Ordinis Hoſpitaliorum, ab anno 1601. dignitatem gerens, cui Electores *Ludouicum Mendem* Luſitanum ſubrogarunt.

Exeunte Nouembri, M. Antonius de Dominis, qui ſex abhinc annis fidei Catholicę renunciarat, atque Angliam petierat, Romam adiit, ibique abiurata hęreſi, quidquid anteà malè ſenſerat, ſcripto reuocauit.

Poſtmodum 28. Decembris vir ab ineunte ętate pietati, virtutibúſque omnibus deditiſſimus *Franciſcus de Sales*, Epiſcopus, ac Princeps Geneuenſis, anno ętatis 56. Epiſcopatus 20. vitam hanc morientem, cum morte viuificante, ad cęleſtémque patriam euehente commutauit, poſtquam anno 1610. Ordinem fœminarum Viſitationis Beatę Marię inſtituiſſet; plures libros ad piarum animarum profectum, cùm multa pietate, & eruditione, tum diuino amore refertiſſimos in lucem ediſſet,

diſſet,

diſſet, & tantum poſt ſe vitæ innocentiſſimæ, ſanctiſſimæque odorem reliquiſſet, vt ad eius ſepulchrum Anicij miracula frequentia Clerum Gallicanum excitarint, ad eius in Sanctorum numerum relationem à Pontifice poſcendam, quæ breui obtinenda; vt meretur, ſic ſperatur.

LIBER XII.

A Christo nato anno MDCXXIII.

FEBRVARIO ineunte quidam Miniſtri Arminiani Remonſtrantes, ac filij Barneueldij anno 1618. capite minuti, in Mauritium Principem Aurangium, fratrémque eius coniurationem habentes deprehenſi: ac ſupplicio affecti ſunt.

Eodem menſe, Gregorius Pontifex Maximus Regem Galliæ cum aliis Principibus, ac præcipuè Sabaudo, ac Veneto, fœdere, & amicitiâ coniunctũ, & Regem Hiſpaniæ propter Vallem-telinam diſceptantes, hac conditione à belligerendo reuocauit, vt in ipſius Pontificis depoſitum eius propugnacula, & munitiones conſignarentur, quouſque eorum iura æquitatis ſtatera examinaſſet; interímque ei Marchio Bagnius Præfectus conſtitutus eſt.

Per id tempus Ferdinandus Cæſar in Comitiis Ratiſbonenſibus, Fridericum Comitem Palatinum, & Exregem Boëmicum, eius facinoroſis geſtis, & rebellione cõmotus, dignitate electorali ſpoliauit: eíque Maximilianum Bauariæ Ducem, Religione, fidéque ſingulari multoties perſpecta præſtantem, die 25. Februarij ſolemniter ſuffecit: ita tamen, vt filiis, fratribus, agnatíſque ius ad Electoratum,

ſi in Conuentu ad id habendo, videretur, non abſtulerit. Propter hanc Electoratus abrogationem Mansfeldio & Halberſtatenſi ad arma conuolantibus, euenit, vt Tillius copiarum Cæſarearum ductor cum Halberſtatenſi ſexto Auguſti apud Staloïnn dimicans, numeroſum eius exercitum contriuerit, ipſumque Halberſtatenſem fuga ſibi conſulere coëgerit, duodecim tormentis amiſſis, totiſque caſtris relictis, in quibus arma reperta ſunt, litteras P. & F. ſculptas præferentia, quæ Germanicè, *Pfaffen Feindt.* hoc eſt, *Sacerdotum hoſtis*, interpretatæ ſunt.

Inter hæc Bethlemus Gabor, Turcarum ope aliqua Hungariæ oppida ſuæ ditionis fecit. Cæterùm cum Imperatore pacem fraudulenter, vt aſſolet, iniens, ad aliquot mēſes inducię tantùm factæ ſunt.

Carolus Iacobi Angliæ Regis filius vnicus hoc anno de patris conſenſu, ſociis quatuor comitatus, Galliam incognitus peruadens, decimoſeptimo Martij Madritum ingreſſus eſt, vt in matrimonio Mariam, ſororem Philippi Hiſpaniæ Regis haberet: cui ſuper id propter maiorem fidei Catholicæ ſperatum inde prouentum Pontifex Gregorius gratulatus eſt. Quia verò Philippus matrimonij cōſummationem, & ſororis in Angliam deductionem in aliud tempus diſtulit. Princeps ad patrem eum de reditu monentem rediit, mutuis de conditionibus matrimonij adimplendis, pollicitationibus præhabitis. Sed licèt anno ſequenti de eodem matrimonio rurſus actum ſit, Hiſpanis, vt creditur, conſilium mutantibus, Anglóque, Friderici generis ſui in Palatinatum, & Electoratum priùs reſtitutionem prætendente, penitùs diſſolutum eſt, Princepsque Carolus Henricam Mariam ſororem Ludouici Regis Chriſtianiſſimi; Ferdinandus verò Rex

Hunga

Hungariæ, Mariam Hispanam duxerunt.

Apud Hispanos Secta *Illuminatorum*, orationi mentali, contemplationi diuinæ, atque vnioni cum Deo, quibus se pollere mentiebatur Sacramenta, prædicationem verbi Dei, aliáque pia exercitia postponentium, séque turpibus commerciis absque peccato incumbere posse affirmantium, in diœcesibus Hispalensi, & Guaditana, hoc tempore in apertum prolata; eiúsque septem auctores siue principes; flammis consumpti sunt. Apud Gallos verò *Fraternitas Rosæ Crucis*, in Germania aliquot antè annis exorta, sed clàm conuenticula habens, indéque Sectatores Inuisibiles, & incognitos appellans, surculus Lutheranismi, quædamque Empitismi, & Magiæ ad inuisibilitatem conciliandam mixtio, primùm patefacta est.

Eodem tempore peregrinato ad Sacellum Beatæ Mariæ de Verdeleio, in agro Burdegalensi, prope Garumnæ ripam, propter miraculorum frequentiam redintegrata est, Sacellúmque ab Eminentissimo Cardinale Sourdisio, Archiepiscopo Burdegalensi, à ruinis, vindicatum, Cælestinis insigne ibi Monasterium constituentibus donatum.

Subinde mense Septembri, Carentoni, prope Lutetiam, Synodum totius Galliæ suorum Ministrorum Caluiniani coëgerunt, ibique falsa quædam sua dogmata pertinaciùs confirmare satagerunt, quæ Petri Frixonij scriptis refutata sunt.

Dies Octauus Iulij terminum imposuit vitæ Gregorij Pontificis, ætatis 70. Sedis secundo, & mense quinto: cui Vrbanus VIII. (dictus anteà Maphæus Barberinus, ex antiqua, nobilique Florẽtina familia) successit, sexto Augusti electus: cuius inauguratio propter infirmam valetudinem ad vigesimum nonum Septembris prorogata fuit. Eodem

etiam Augusto Princeps Venetiarum, Anthonius Priolus, mundo valedixit ætatis 75. administrationis quinto, Franciscus Contarenus in eius locum subrogatus est. Ibidem etiam defuncto Fr. Paulo Veneto, Ordinis Seruitarum, anno eius vitę 71. cùm plebs votiuis tabellis sepulchrum eius prosequeretur, Vrbanus id resciens, hanc superstitionem prohibuit. Is ille fuit, qui inter Paulum Pontificem, & Rempublicam olim seditionem fouerat, proptereáque citatus Romam, ibi se sistere renuens excommunicatione percussus fuerat.

Ad hæc, Mustaphæ Turcarum Imperatoris inhabilitas ad administrandum imperium causa fuit, vt Amurates eius nominis IV. annorum quindecim, frater Osmanis, superiori anno strangulati, ei suffectus sit. Sub quo rebellium Asianorum, vindictam de Osmanis interfectione sumentium arma continuauerunt.

A Christo nato anno MDCXXIV.

PErsecutio in Anglia, & Hybernia grassari cœpit Ianuario exeunte: Prorex enim, & Senatus Hyberniæ, Parlamentúmque Londini habitum pro vniuersa Anglia omnes cuiuscúmque generis, & ordinis Ecclesiasticos Catholicos è confinibus suis exegerunt: insuper Rex Anglus eos armis exuit, cùm priùs libertatem, matrimonij Hispanici gratia, pollicitus esset.

Mense Aprili M. Antonius de Dominis rursus in hæresim lapsus, cùm eum Romæ Anglis de hæresi consilia dare compertum esset, in carcerem coniectus, ibi graui morbo affectus, senex ventre obeso, ad meliorem frugem rediit, ac moriturus Sacramenta

menta sibi administranda curauit, specimen præferens pœnitentis. Eius nihilominùs corpus vnà cum impiis scriptis ob relapsum in campo Floræ publicè flammis traditum est, mense Decembri.

Ferdinandus intereà Cæsar, & Bethlemus Gabor Transiluaniæ Princeps pacis fœdera inter se mense Maio pepegerunt. Hæc inter cæteras conditio fuit, vt Gabor titulum Regis, regníque totam administrationem abiiceret: retineret tamen sibi nonnullas ditiores, cum titulo Principis Imperij, & libero inibi Religionis Catholicæ exercitio; (erat enim ipse Caluinista;) & quasdam alias, ad hæredes etiam transituras.

Per id temporis Dux Sabaudiæ grauiter tulit, quod Ferdinandus Cæsar, Ferdinandum Ducem Mantuæ leuirum suum, sui in Italia Vicariatus titulo, quem hactenus ipse gesserat, cohonestasset. Quod Cæsar, eo animo, vt Mantuanum parem Sabaudo efficeret, præstiterat: cùm tamen Sabaudus Mantuano antiquitate, si palæologicam affinitatem exceperis, præponendus sit.

Februario, & Iunio, Tartarorum Podoliam, & Russiam Polonicam excurrentium triginta circiter millia à Polonis, & Cosacis interfecta sunt: aliquot etiam, inter quos ex insignioribus eorum ducibus, capti sunt.

Breda, vrbs Brabantiæ munitissima, ditionis Aurantij, per Spinolam Ducem Hispanum mense Augusto oppugnari cœpta. Iunio anni sequentis Aurangio frustrà conante ei suppetias ferre, ad angustias deueniens in deditionem redacta est.

Marchio Cœuvrius sub exitum Nouembris Vallem-telinam, nomine Regis Galliæ, Reipublicæ Venetæ, ac Ducis Sabaudiæ, deposita Legati ad Heluetios, & Rhætos, qua indutus fuerat à Rege Gallo,

persona, & ducis assumpta, intra duos menses, indignante parumper Pontifice, expugnauit.

Hoc anno, mense Septembri, prohibitum est in sanctiori Regis Concilio, (quod primùm anno 1623. mense Iulio in Senatu Tolosano decisum fuerat,) Religiosis Societatis IESV, ne sibi Vniversitatis titulum, nec auctoritatem concedendi literas, graduum quorumcumque in vlla Facultate, aut nominationum ad beneficia vsurparent: cùm tamen in cæteris regnis, & prouinciis Vniuersitatum nomine, & auctoritate potiantur.

Eodem etiam Septembri Senatus Parisiensis theses quasdam Medicorum quorundam Chimistarum, Aristotelis doctrinam impugnantium ex quibus multa promanabant absurda, damnauit. Quo etiam mense Concilium Prouinciale de disciplina, & morum reformatione, ac iurisdictione Ecclesiastica Burdegalæ habuit Franciscus Escobleus, Archiepiscopus, & Cardinalis S. Praxedis. Cuius acta in lucem prodierunt.

Die 20. Iulij Henricus Dux Lotharingiæ, anno sui regiminis ab obitu patris decimosexto, è vita migrauit, duabus tantùm relictis filiabus, quarum natu maior Nicolaa successit in principatum, nupta Carolo patrueli suo, filio Francisci Comitis Valdemontij, fratris Prædicti Henrici defuncti.

Batàui cum classe duodecim nauium in Indiam orientalem excurrentes classem Hispanicam triginta nauium, partim superarunt, partim submerserunt. Cum alia verò classe nouem nauium Brasiliam appellentes mense Maio, Sinum omnium Sanctorum dictum in ditionem redegerunt: vrbem etiam S. Saluatoris illustrissimam pariter ac nobilissimam sibi subiecerunt, Præfecto eius, vnà cum Prælatis, & aliis in Hollandiam transmissis. Sed Friderico

Toletano

Toletano à Rege Hispaniæ cum validissima classe ... eo misso, ab eorum manibus mense Maio anni sequentis vindicata est.

Prorege vrbis Mexico, quæ totius Indiæ orientalis caput est, Equitem quendam S. Iacobi, alicuius criminis reum, qui ad Monasterium S. Dominici aufugerat, comprehendi iubente, Archiepiscopus satellites inde repulit, ac contra inobedientes excommunicationem fulminauit, Monitus à Prorege, vt eam tolleret, nec obediens, in Hispaniam amandari, vinculisque ligari iubebatur. Quod audiens Archiepiscopus, proximum templum ingrediens, pontificalibus indutus vestibus, præsentibus custodibus suis, sacra se Communione refecit, præcipitque omnibus Ecclesiasticis Mexici ipsum per singulas Ecclesias præstare; & posteà ab omni sacræ Eucharistiæ administratione cessare. Ex quo populus in Proregem commotus ad palatium eius, animo eum intra illud comburendi, concurrit: quod euenisset, nisi se fuga ad Franciscanos recepisset. Qui deinde, Archiepiscopo de omnibus Regem Hispanum, ad quem ea de causa se contulit, commonefaciente, à Præfectura remotus est, eique Marchio Sarabellæ suffectus est.

A Christo nato anno MDCXXV.

IVbilæum hoc anno vniuersale de more celebratum est, anno superiore, mense Maio, ab Vrbano Pontifice indictum, cum omnium aliarum vbique Indulgentiarum suspensione. Ecclesia S. Mariæ trans Tiberim intra Vrbem, pro Basilica S. Pauli extra vrbem, vna quatuor visitari solitarum, ob grassantem in Sicilia pestem, ac vice constituta

est. Vallis-telinæ, Pedemontis, ac Genuensis regionis motus, Præter pestem multos ab adeunda Roma deterruerunt. Aliqui nihilominùs viri Principes interfuerunt: vt Vladislaus, Regis Poloniæ filius, qui animo matrimonium contrahendi cum Maria sorore Regis Hispaniæ, vt creditur, patriam relinquens, eam Ferdinando Imperatoris filio postquam destinatam intellexit, Galliam incognitus peragrans, deinde palàm in Belgium profectus ad Infantem salutandam, & Bredæ obsidionem conspiciendam, demum Romam profectus est, vbi maximis honoribus, ac muneribus eum Summus Pontifex prosequutus est. Leopoldum etiam Archiducem Austriæ, fratrem Ferdinandi Imperatoris mense Decembri Romam ingressum Pontifex Vaticanis ædibus magnifico in apparatu excepit. Iulio anteà mẽse, solemni pompa Ferdinandus Dux Alcala, Pontifici obedientiam Regis sui nomine iurauit.

Constitutione decimotertio Maij in sacra Inquisitionis Congregatione facta cauit summus Pontifex, ne quorumvis hominum, cum sanctitatis, vel martyrij fama defunctorum imagines, laureolis, radiis, tabellis vel luminationibus sepulchro eorum appositis, miraculorum, vel beneficiorum iis intercedentibus consecutorum promulgatione in lucem edita, quovis modo venerarentur, donec à Sede Apostolica in Sanctorum Catalogũ adscripti sint.

Mense Martio in Britannia Armorica, in vico Ker Anna diœcesis Venetensis, pio cuidam aratori, Iunio Nicolasico, vetus quædam sacra Imago B. Annæ in profundam humum infossa, erutáque miraculorum splendores emittere cœpit. Ex eleemosinis magnificâ prope oppidum aureum Ecclesiâ ei constructâ; Sebastianus Rosmadecus, Episcopus Venetensis, loci Ordinarius, Fr. Hugoni à S. Francisco, Carmelitano

melitano reformato prouinciæ Armoricæ miracula conscribendi,& promulgandi facultatem dedit.

Die vigesimoquinto Maij *Elisabetha*, Regina Portugalliæ, in Sanctarum album relata est; Tertiúmque S. Francisci Ordinem professam fuisse declaratum est. Beatos etiam promulgauit Summus Pontifex *Andream Auellinum*, Congregationis Theatinorum, & *Felicem de Cantalicio* Ordinis Capucinorum.

Mense Maio *Franciscum Barberinum*, Cardinalem, Pontificis ex fratre nepotem; qui ab eo in Galliam Legatus eius ex latere missus est de Valle telina, déque rebus Genuensium disceptantes Galliæ, & Hispaniȩ Reges ad concordiam adducturum magnificè Lutetia excepit. Quia tamen in promulgatione Facultatum, vt vocant, ipsi à Pontifice tributarum, titulus Regis Nauarræ Regi non adscriberetur, parum quoad legationem profecit, Romámque repetiit honorificè dimissus.

Dux Sabaudiæ aliquod in Genuenses ius prætendens, ipsis bellum inferre cœpit ab anni primordiis, cui auxilium præbuit Diguerius Franciæ Conestabilis, quocum facilè Genuensem ditionem ingressus, Rempublicam attriuit, multáque munita loca occupauit; adeò vt breui ciuitas ipsa ei subiacere speraretur. Verùm Genuenses Hispanorum auxilio omnia amissa propediem recuperarunt.

Soubizius,& frater eius Dux Rohanensis, Hæretici inquietissimi, multis detrimentis Galliam, populos ad seditioné concitantes affecerunt. Sed Monmorancius Franciæ admiralius Soubizium terrâ, maríque victum in Angliam fugam arripere coëgit. Inde cæteri Hæretici rebelles à regis prouinciarum Præfectis domiti, pacem, veniámque à Rege deprecantes, in eius, gratiam mense Februario sequentis anni redierunt.

De

De regimine Religiosarum Carmelitarum Teresianarum, inter Superiores Ordinis Carmelitarum, & Sacerdotes Oratorij in Conuentu Præsulum & Ecclesiasticorum Lutetiæ habito dissidium, in fauorem Petri Berulli Oratorij Superioris, Luitreo Doctore Sorbonico, & Decano Ecclesiæ Nannetensis repulso, terminatum est. Eodem etiam Conuentu constituti sunt modi, quibus Religiosi in administratione Sacramentorum, & aliarum functionum Ecclesiasticarum debitam Ordinariis obedientiam præstarent.

Die 4. Aprilis Iacobus Rex magnæ Britanniæ mortuus est, ætatis 59. regni Anglici 22. Studiosiùs Mineruam quam Martem coluit. Successorem habuit Carolum eius nominis primum, cui hoc eodem anno, dispensante Pontifice, Maria Henrica, Ludouici Regis Iusti soror nupsit. Eum Pontifex Rosæ aureæ de more benedictæ per Legatum Barberinum munere donauit Mauritius etiam Princeps Aurangius non longiùs vitam protraxit, ex qua, ineunte Maio, longa febris eum innuptum decedere coëgit. Ipsius bonis, & rebus apud Batauos Henricus eius frater potitus est.

Intereà mense eodem Maio Ferdinandus Cæsar, Amurates Turcarum Imperator, & Gabor Transiluaniæ Princeps mutua pacis fœdera redintegrarunt. Postmodum verò Ferdinandus filio suo maiori Ferdinando Hungariæ regnum electione, (non cessione, aut hæreditate, quod Hungaris gratum non esset) detulit: vnde ætatis 17. octauo Decembris, quo conceptio Beatissimæ Virginis celebratur, Rex coronatus est.

Per idem tempus contra Tillium, & Vvalsteinium copiarum Imperialium, & Catholicorum Principum ductores, Rex Daniæ Christianus, copiarum

rum Protestantium inferioris Saxoniæ dux electus, Fridericum Palatinum in statu suo, & Electoratu, vt reponeret, fortiter dum incumbit,& castra reuisit, equo ex aggere in fossam delapso in extremum penè discrimen adductus est.

Mense Maio vrbs ampla Epiri, S. Maura ad Mare Adriaticum Turcis subiecta, per quinque triremes Militum Hospitalariorum Melitensium, sanguineo commisso prælio, capta est, & propterea quòd eius custodiæ nō sufficerēt tormētis obstructis depopulata,cōbustáque. Circa Syracusam verò Siciliæ, dum in reditu nauigarent,per tres triremes Bisertanas Africæ adorti Melitenses, duarum triremium iacturā fecerūt,multos Equites,partim captiuos,partim cæsos amiserunt, trésque alias triremes pessūdatas vix in Melitēsi portu collocare potuerūt.

Ad hæc, Franciscus Comes Valdemontius,pater Caroli, qui Nicolaæ filiæ maioris Henrici defuncti Ducis Lotharingiæ matrimonio iunctus fuerat, eidem filio suo tanquàm ipse hæres fratris, Proximior scilicet,masculus,qui fœminas excluderet,Lotharingiæ Ducatum feudum imperij, & Barrensem fiduciarium regni Galliæ, constituta Lege Salica mense Nouembri cessit. Exin, ordinibus Lotharingicis, ad cessionis, Legísque Salicæ approbationem conuocatis, ipse Carolus nouus Dux Salicus, eius nominis Ducum Lotharingiæ IV. solenni pompa, Calendis Martij, Nancium ingressus, non sine variis in contrarium scriptis, sui principatus possessionem cepit.

A Christo nato anno MDCXXVI.

DEsinente Iubilæo Romæ,illud per cæteras Orbis Christiani regiones indictum est. Ipsóque anni

anni initio Berlingerium Cipsium Cardinalem ad possessionem Ducatus Vrbinatis adeundam Vrbanus Pontifex misit: cùm Dux Franciscus-Maria à Rouere iam ferè octogenarius, defuncto vnico filio omnem suam ditionem quam fiduciario iure à Sede Apostolica tenebat, in Pontificis manibus posuit, ne quiuis alius quidquam in ea sibi arrogaret. Quod mirum in modum ditionis Pontificiæ limites prorogauit.

Mense Aprili denuò Cardinalis Barberinus, Legatus à latere, in Hispaniam, precibus Regis Philippi profectus, Pontificis nomine filiam sacro è fonte suscepit, nominauítque Eugeniam. Concordiam etiam inter duos Reges de Valle telina, & Genuensibus disceptantes moliebatur: sed iam, antequàm Roma discederet, de iis secretò apud Monzonem, Aragoniæ oppidum, inter Comitem Fargium Rambolietum, Legatum Regis Christianissimi apud Catholicum, & comitem oliuarum, præcipuum Philippi Ministrũ conclusiones captæ fuerant: quæ cùm Hispano magis, quàm Gallo conducere viderentur, Sabaudo & Grisonibus parum gratæ acciderunt. Iis tamen consentire Gallum Regem compulit noua Principum eius in se conspiratio, qua paulò pòst detecta, duo Regis naturales fratres, Vendomius, Prior Franciæ, Marescallus Ornanus, & alij in custodiam traditi fuerunt: Comes Suessionensis sponte ab aula discessit, nonnulli supplicio affecti multi relegati sunt. Rex tamen Ducem Aurelianensem, fratrem eius germanum, pro quo in maiorem auctoritatem promouendo, hæc credebantur conspirare, non minori beneuolentia prosequutus est: fundos igitur eius dilatauit: & Mariæ Borboniæ, vnicæ Ducis Monpenseriæ filiæ, nobilitate, diuitiis, & pulchritudine præstantis nuptiis conciliauit, à quibus seditiosi per inui-

diam illum auertere conabantur, quorum prætextus inter alios erat, nimia Armandi Plessij Cardinalis Richelij auctoritas, quam in regni perniciem redundare conquerebâtur. Sed Rex tanti Viri erga se, & regnum studio, ac rerum peritia confisus, suppresso hoc anno: vtilitatis gratia, Admiralij munere, aliud *Magni Magistri, Capitis, & summi Præfecti nauigationis, & commercij Franciæ* per mensis Octobris diploma illi commisit.

Intereà Bethlemus Gabor, semper sui similis, versipellis, & fœdifragus, Legatum mense Martio ad Daniæ regem, & inferioris Saxoniæ Ordines misit aliquibus de capitibus eos rogaturus: quo cùm parum à Rege, cæterisque Principibus probarentur, Legatum cum Oratore ad Ordines Batauicos dimiserunt: fuitque legationis exitus, vt certa summa fuerit Norimbergæ pro Bethlemo destinata: Mansfeldius cum Bethlemo consilia conferre rogatus: quæ verò portæ Ottomanicæ essent, ea per Ordinarios Angliæ, & Batauorum ibi residentes explenda.

Subinde Mansfeldij exercitus ingentem cladem ex Frislandiæ Duce Vvalsteinio vigesimoquinto Aprilis accepit, ita vt cũ equitatu turpiter in fugam se dare coactus fuerit. Demum, exercitu instaurato, per Germaniam, & Hungariam ad Venetos proficisci cogitans, in Bosnia de vita discessit, corpûsque eius Veneti Spalatum Dalmatiæ deferri curarunt.

Parem exitum à Tillio consecutus est Daniæ Rex 27. Augusti, in campis Lutter, pagi Brunsuicensis, præcipuis ipsis ducibus cæsis, plurimis captis, vinctisque, amissis insuper 22. tormentis 66. signis, omnibúsque impedimentis. In Austria superiore, mense Maio, septuaginta rusticorum millia, tyrannidis,

nidis, & priuationis Lutheranismi prætextu, multa oppida ceperunt ac duces aliquos superarunt. Sed Pappenhemius ex Italico bello rediens cum exercitu Cæsareo, eos in ordinem redegit; præcipuis seditionis auctoribus supplicio mulctatis. Per eadem tempora Asan Calaffat, Græcus Apostata, maris Mediterranei insignis pirata, Algerium præda Christianorum onustus repetens, à quindecim eorum triremibus superatus, captúsque est, multis Christianis, qui captiui ab eo detinebantur, in libertatem assertis. Magus credebatur, qui à Dæmone responsum acceperat, se nec moriturũ, nec nauem eius capiendam: in quo delusus, & is captus viuus, & nauis eius combusta est. Cæterum Iacobus Pimentellus triremium Neapolitanarum Præfectus tormento occisus victoriam mœstitia perfudit. Osanis magnum vexillum purpureum ad Pontificem delatum, & apud Capucinos depositum est.

Hoc tempore Christiani Iapponici multis persecutionibus atterebantur, mensibúsque Octobri, ac Decembri sæpiùs per literas ad martyrium fortiter, patientérque subeundum hortatus est eos Summus Pontifex. Inter Turcas, & Persas acriter dimicatio continuata est de Babylone, à cuius obsidione quòd Turcæ repulsi essent, tanta indignationis vi compulsus est Sultanus, vt Vizirem, qui eam susceperat, deposuerit, alio ei subrogato.

Hoc eodem anno, mense Iulio, Gustauus Adolfus Rex Sueciæ cum ducentis nauibus, viginti sex millibus armatorum, & magno tormentorum apparatu per Poloniam, & Dantiscũ excurrere incipiens, illius multas vrbes, hos verò in angustias redegit: sed veniens Sigismundus Rex Poloniæ (vtriúsque Sueciæ) vbi securitatem attulit, aliquando cum hostibus certauit, nec tamen adeò in summa profecit.

Huius

Huius anni curriculo duo illustrissimi ex Eminentissimorum Purpuratorum Collegio diem extremum obierunt: vnus, die S. Petri, *Scipio Cobellutius*, Viterbiensis, ex Secretario Breuium, & Canonico S. Petri, à Paulo V. Cardinalis S. Susannæ creatus, vir lectissimæ litteraturæ: alter vero 16. Septẽbris *Dionisius Marquemontius*, Parisiensis, Auditor primùm Rotæ Romanæ, & Archiepiscopus Lugdunensis, posteà verò nominatione Regis Christianissimi, ab Vrbano VIII. Cardinalis Presbyter tituli Sanctissimæ Trinitatis creatus: Vir pietate, doctrina, prudentia, longóque rerum vsu præstans.

A Christo nato anno MDCXXVII.

FRanciscus Lotharingius, Episcopus Virdunensis, grauiter ferens, arcem ædificari in ea vrbe cuius dominium habebat, initio huius anni excommunicationem fulminauit in eos, qui ei Regis iussu insudabant, quam etiam in Præsidem vrbis Regium, qui eam dilacerari iusserat, coniecit: sed Præses illuc aduentans excommunicationem illam lacerandam, carnificique tradendam ad comburendum iuridicè pronunciauit, propter falsitates, & calumnias in ea contentas. Quod cùm præstitum fuisset apud Cæsarem querimoniæ perlatæ sunt: sed, quòd Reges Francorum iam dudum illi vrbi patrocinium præstabant, ipse Rex arcis constructionem absoluendam curauit.

Antonij Santarelli liber multa contra Principum auctoritatem complectens, eodem anno incipiente, in Schola Sorbonica tumultus excitauit, quos Philippus Cospeanus, Nannetensis Episcopus, vir doctrina, & integritate insignis Regis iussu sedauit.

sedauit. Inde Franciscus Cardinalis Rupifocaldius librum in Schismaticos sub Regis auspiciis edidit. Cæterùm Vrbanus Pontifex gratulatorias ad Ludouicum Iustum scripsit literas, gratias agens, quòd tam singulare in Schismaticis stirpitùs eradicandis Ecclesiæ contulisset beneficium: adiecit postremùm, Collegium Apostolicum Cardinalis Richelij insomnes curas, plenáque prudentiæ, fidelitatis, atque integritatis consilia in eo negotio multùm agnoscere, eique maximas propterea gratias habere.

Per id tempus Franciscus Monmorancius Bouteuilleus, clarissima de stirpe natus, & Franciscus Rosmadecus, Comes Capellarum, ei propinquitatis nexu adstrictus ambo duellatores, nequidquam reclamantibus & intercedentibus, qua precibus, qua lachrymis, eorum affinibus, à fuga reuocati capite damnati sunt, quorum primus eò impudentiæ processerat, Vt quemdam nobilem iam sacro Eucharistiæ epulo refici paratũ, à sanctissima mensa ad certamen prouocaret; alter verò Parisiis in ipsa regali Platea, Regis Edicta toties Proclamata flocci pendens; singulari certamine dimicaret.

Hoc anno regna Galliæ, & Angliæ dissensione, ac dissidio ab inuicem manifestè dissidere cœperunt, quòd Anglus Rex à pactionibus in matrimonio sororis Regis Galli confectis discessisset, superiorique anno Episcopum ac reliquos Ecclesiasticos dimisisset. Qua de causa factum, vt vtraque commercio Prohiberentur. Exinde verò Rohanus & Soubizius, fratres hæreticâ labe infecti, eò impudentis audaciæ post indulgentiam toties à Rege singulari clementiâ tributam, Proruperunt, vt arma contra eum ceperint, Georgiique Ducis Buckinghamij Angliæ Admiralij, potentissimi, grauissimique Gallorum aduersarij intercessionibus, vt

eorum

eorum partes Anglus defenderet, obtinuerunt.

Itaque Buckinghamium, mense Iulio maximam classem appellentem ad Insulam Rhæam à Rupella non longè dissitam;eam & postea Aquitaniam vsurpare intendentem ; Anglorum ditionis olim fuisse obtendentem, iamque se Rupellensium,ac ipsorum Ecclesiarum subsidio vnire affirmantem, Ioannes Sanbonetus Torasius, nobilis Occitanus, rei bellicæ fortiter, ac strenuè gerendæ in primis gnarus, & prudens, (quod in arcis Martinianæ ad maris littus constructione, defensionéque cum exigua militum manu, paruóque commeatu vsque ad mensem Nouembris, patuit,) auxiliari exercitu à Rege misso, sub Marescalli Scombergi signis, Anglos in turpem fugam conuertit ita feliciter, vt tam in fuga, quàm in obsidione ampliùs sex millia armatorum cum multis ducibus, signis, atque tormentis desiderata sint : Quæ præclarè gesta Pontificem tanta voluptate perfuderunt; vt Regi non solum, sed etiam Scombergo, Toriasióque super his gratulatus fuerit.

Intereà Rex Rupellensibus infensus, quòd Anglis auxilium tulissent, Soubizium cõsiliorum suorum consciũ fecissent,præfectúmque suũ eiecissent, eos in potestatẽ suam redacturus,terra maríque obsessit, dum Rohanus per Fuxum ad Montalbanum tendens, à Monmorancio cum eo dimicaute, nonnullis vtrinque occisis, prohibitus, Appamias decimotertio Nouembris,ciuium quorumdam proditione ingressus est.

Quo fermè tempore Imperator per Tillium, Vvalsteinium, aliósque duces Regi Daniæ, aliisque Imperij hostibus clades multas inferens, interim ipse Boëmiam, Austriam, ac reliquas prouincias hæreditarias fide Catholica instiuere sategit, Caroli

Caroli Caraffæ, Episcopi Auensani, Nuncij Apostolici, consiliis, curisque adiutus, Mense porrò Maio Reliquiæ S. Norberti, Archiepiscopi olim Magdeburgensis, & Ordinis Præmonstratensis Institutoris, Magdeburgo, vbi ab Hæreticis despectui habebantur, Pragam, tunc sub Ernesto Adalberto ab Arrah, Archiepiscopo, & Cardinali, penitùs Catholicam, solemniter translatæ, & in Ecclesia Abbatiali Strohoffiensi eiusdem Ordinis depositæ sunt.

Mense Septembri, postquàm prælium varia victoria, & velut æquo Marte, inter Suecos, & Polonos sæpiùs commissum esset, tandem Suecum sclopeti ictus in brachio vulnerauit, magnus regni Marescallus vita exuitur; totus exercitus profligatur, funditùrque; multa signa, tormentâque à Polonis, non sine sanguine victoribus, referuntur.

Hæc inter Persæ Turcas, duce Calilo, magno Vizire, Babylonem obsidentes in fugam compulerunt. Adolescentes aliquot Græci à Cærillo Patriarcha Constantinopolitano Græco ad Hollandos, patria doctrina imbuendi missi sunt, vt ea deinde Græcos informarent. Eiusdem Cyrilli, hominis astuti pariter, atque impij Græcæ, Turcicæ, Caluinianæque Religionum dogmata portentosè cōplexi confessio fidei à Caluinianis reprobata, licèt iis conformis putaretur, lucem vidit quæ perpetuis Inferorum tenebris continenda fuisset.

In Apulia trigesimo Iulij, quinque horarum spatio horribilis terræmotus vrbium, castellorum, hominúmque magnam stragem edidit. Vrbi verò Episcopali S. Seueri maior labes facta est, Venturio tamen eius Episcopo, natione Florentino, diuinitùs ab ea vindicato.

A Christo nato anno MDCXXVIII.

RVpella, vrbs situ firmissima, anno superiori, ob subsidium Anglis contra Regem præstitum obsessa, Ianuario præsentis per tres leucas validis munimentis septas aggere lapideo mirandum in modum super mari extructo, ad Anglos (Buckinghamiúmque præcipuè maximæ cladis nuper in Ræa acceptæ vltionem meditantem) ab eius aditu arcendos, ita fortiter, prudentérque circumuallata fuit, vt illis nequidquam ei suppetias, cõmeatúmque ferre tentantibus, turpitérque fuga sibi consulere bis coactis, ipsa omni præsidio, victúque destituta, tredecim millibus ciuium, quà fame, quà bello enectis, in deditionem Ludouici Regis recepta fuerit vigesimonono Octobris, qui Calendis Nouembris vrbem cum triumpho ingrediens, gratias Deo acturus, quòd post quindecim mensium obsessionẽ eam in suam potestatem redegisset, ad S. Margaretã processit, ibique Hymnũ, *Te Deum laudamus*, cãtari præcepit, postridiéque sacrosanctam Eucharistiam solemni pompa per vrbem deferendam curauit.

Nec defuerunt huic omnibus retrò sæculis memorandæ oppugnationi, occupationique, gratulationes Vrbani Pontificis, tum versibus, tum soluta oratione ad Regem, & Eminentissimum Cardinalem Richelium, eius sedulum, fidelémque asseclam, Consiliariúmque prudentissimum, vigesimo nono Nouembris conscriptæ; qui etiam Pontifex in gratiarum actionem in S. Ludouici Æde sanctissimum Missæ Sacrificium Deo obtulit, cùm mense Aprili Iubilæum vniuersale, tam pro ista, quàm pro reliquis Ecclesiæ necessitatibus indixisset.

Cæterùm

Cæterùm Rupellam, quòd pertinaciter restitisset, Rex murorum destructione, priuilegiorum abrogatione, Magistratuum quorundam priuatione, tributorum communium solutione, & aliis similibus pœnis multauit, interdicto tota vrbe hæresis exercitio, ad quod templum extra vrbem construere, solisque in ea degentibus frequentare permisit.

Intereà Rhoanus, Soubizij frater, postquàm multa in Septimania molitus esset, sempérque spem fortuna fefellisset demum proditione arcem Montispessulanam inuadere tentans, vix ipse insidias illi ex aduerso positas effugere potuit, quem Senatus Tolosanus infami supplicio, si capi posset, adiudicauit, assignato etiam pretio capienti. Ipse verò, quia Princeps Condæus cum Monmorancio, & Vantadurio, Prouinciæ Præfectis, ei, & Hæreticis omnibus multas clades inferrent, Appamias, Realmontium, aliásque vrbes summa vi ab eorum potestate redemissent; déque rebellibus pœnas exegissent; Andusij decreuit omnes vrbium rebellium Catholicos suspendere: ex quo multi etiam ex suis, tale factum horrentes ab ipso defecerunt, Catholicámque fidem professi sunt, inter quos Dux Tremolius, apud Pictones nobilissimus, à Cardinali Richelio in modis fidei extricandis exercitatissimo institutus, principem obtinuit locum.

Mortem hoc anno obiit mensis Februarij die 8. Burdegalæ *Franciscus Cardinalis Sourdisius*, tituli S. Praxedis: Archiepiscopus Burdegalensis, & Primus Aquitaniæ Antistes, multis præclarè gestis clarus: cui suffectus est Henricus frater eius, præcellens ingenio, & Virtute Vir.

Mense Augusto Carolus Rex Angliæ, Iesuitas, Presbyteros, ac quotquot Ordinibus authoritate Sedis Romanæ initiati essent, in vincula conijcit, edictáque

edictáque anteà in Catholicos sancita, nunc exactè obseruari iubet.

Hoc temporis tractu paciscuntur de nouo Reges Angliæ, Daniæ & Sueciæ cum Ordinibus Batauicis, Palatinum restituere, qui contra Tillium, Vvalsteinium, Pappenhemiúmque Cæsareos duces præualere non potuerunt: Hac eadem tempestate Suecis, & Polonis dimicantibus, victoria Suecos secuta est. Angli porrò, & Bataui Ferdinandum Cæsarem, Amuratem Turcarum Imperatorem, & Gaborem Transiluaniæ Principē pacis fœdera inter se iniisse non sustinentes; propterea̋que nullum non mouentes lapidem, vt discordiam, seditionémque inter eos concitarent; id etiam tum Legato Veneto apud Caimakanum obtinuerant, vt ex Turcico regno Iesuitæ eliminarentur: sed per Legatum Regis Christianissimi, Comitem Cesium, à suis conatibus depulsi sunt.

Exeunte anno superiore, Vincentius Dux Mantuanus è vita proficiscens, Carolo Gonzagæ, Duci Niuernensi, & agnationis iure, & vltima ipsius Vincentij declaratione, principatus Mantuæ, & Montis ferrati reliquit, qui Mantuam solemni pompa, omnibúsque applaudentibus ingressus est. Sed lite super his mota inter Ducem Sabaudiæ, & Ferdinandum Gonzagam, Ducem Guastalli, necnon etiam inter Margaretam Ducissam viduam Lotharingiæ, ad eam dissoluendam Imperator Status eos suæ potestati relinqui, adscribendos posteà, cui iustum videretur, postulabat. Sed Hispani ob potentiam Regis Galliæ, cui Niuernensis subditus erat, firmiter obstiterunt, specie iurium Imperatoris, sententiarum eius, & defensionis Sabaudi, cum quo Status Monferratensis inter se partitionem concluserant. Itaque Gonzales Cordubensis Guber-

nator

nator Casalem Montisferrati, exercitu Mediolani coacto cinxit, & Sabaudus Albam, & Trinum, aliáque loca vsurpauit, à Rege Galliæ ob regni negotia, non tantis Niuernensi suppetiis venientibus, quantas anno subsequenti suppeditasse videbimus.

Mense Augusti Albertus Petlerus, Magistratus Rodolphebergius, Consiliarius imperialis, Imperatoris nomine protestatus est contra subrogationem Veneti cuiusdam in Patriarchatum Aquileiensem à Pontifice factam, eius nominationem Cæsarei iuris esse contendens. Cæterum Pontifex duodecimo Septemb. sanciuit, ne quis Regularium, sine Ordinariorum examinatione, & approbatione, sæcularium confessiones audiret, reuocatis indultis, & priuilegiis quibuscunque.

Inter Tartaros de regno eiecit Cantemirum Laideram fratrem suum, Mehemetes Kitanes, qui ope Amuratis Sultani pulsus, deinde Cosaccorum auxiliis Turcicam regionem populatus, anno sequenti interfectus est: quapropter variè aduersùs Polonos dimicatum est, ex quo is, cui Turca fauebat, superior extitit, cæteris plurium annorum disceptationis ansa relicta.

A Christo nato anno MDCXXIX.

HOc anno Rex Ludouicus à Rupellensi obsidione, Caroli, noui Ducis Mantuani, defensionem suscepit Quapropter mense Ianuario ingenti manu collecta, in Subalpinam prouinciam profectus Sabaudiæ Ducem, eum à transitu prohibere conantem, prostrauit; Secusium, vulgo Susam, occupat: denique eum sic fortiter persequutus est, vt summo beneficio adscripserit, non ab omni

sua

sua ditione fuisse depulsum. Intereà Hispani ab obsidendo Casali cautè desistunt, suæ protectioni, quā exterorum inuasioni inuigilare satius ducentes.

Intereà Rohanus, & Hæretici rebelles ad Anglum iam mari contritum, fugatúmque, denuò se conuertunt, vt terrâ præsidium ab eo obtineant, Clauselus etiam ab iis ad Hispanum, opem eius imploraturus mittitur, cum quo de pecuniariū auxiliis tertio Maij conuenit. Sed Rex Ludouicus illorum nefarios compressurus conatus in Occitaniam proficiscitur; Priuasium, vrbem potentissimam, atque seditiosissimam, apud Seuenas, Alesium, aliáque illius prouinciæ oppida mense eodem Maio occupat. Hæretici demum victi, prostrati, afflictique veniam rogant, pacémque precantur, quam cum tota Occitania, Aquitaniáque benignissimus Rex ea conditione iniuit, vt Rohano toto regno ablegato, ipsi omnia vrbium propugnacula, muris exceptis, disturbarent: quo edicto super ea re vigesimo nono Iunij facto constituit, alteróque Nemausi mense Iulio promulgato, cunctas quidem rebelliones condonauit; sed Catholicam Religionem in integrum restituit; in gratiarúmque actionem tot rerum præclarè gestarum, Beatissimæ Dei Matri Ædem, de Victoria, Parisiis nono Decembris nuncupauit, Augustinianísque Discalceatis Conuentum inibi erexit.

Cæterùm Monte Albano, vrbe Aquitaniæ, regiæ voluntati morem gerere adhuc renuente, Rex Nemauso Lutetiam tendens Cardinalem Richelium, prudentissimum regni Administratorem: vnà cum instructissimo exercitu eò delegauit, ad quem, antequam vrbem appelleret, ciues nominis sui rumore commoti supplicatum miserunt pollicentes, se in omnibus, Regiis mandatis, Edictisque obsecuturos.

R Singu

Singularis igitur comitas, mirabilisque Richelij affabilitas, ita eorum conciliauit animos vt Religio Catholica instaurata; præsidia regia collocata, propugnaculáque omnia funditùs euersa sint.

Eodem tempore Legati Veneti Regem Secusij agentem ad pacem cum Angliæ Rege contrahendam sollicitarunt, quæ die 24. Aprilis constituta, in obsidione Priuasij 20. Maij promulgata fuit: demúmque eam vterque Rex solemni iureiurando in suo quisque regno 16. Septembris confirmauit.

Exeunte Maio. Imperatoris, & Regis Daniæ delegati pacem inter eos iniuerunt. Poloni verò, & Sueci sex annorum inducias inter se paciscuntur, promouentibus Legatis, Gallico & Anglico. Intereà Sylua Ducis vulgò *Buscodocum*, vrbs Episcopalis Brabantiæ, à Calendis Maij per Batauos, principe Aurangio duce obsessa Hispanis incassum illi subsidium ferre tentantibus, sub eorum ditionem idibus Septembris subiuncta est. Necnon etiam ab iisdem Batauicis de nocte, finiente Augusto Vesalia, Ducatus Cliuiæ intercipitur, nequidquam obstante fortissimo Hispanorum præsidio.

Ad hæc; Imperator Pactis auctoritate Regis Christianissimi pro rebus Mantuanis & Monferratensibus factis non contentus, infensúsque in Niuernensem ob Status Mediolanensis inuasionem; post monitiones, citationes & actus iudiciarios Rambaldum Comitem Collaltum Foroiulienses cum exercitu in Italiam mittit, qui dum Spinola cum copiis Hispanicis Monferratensem suscipit, ipse Mantuam obsessit; cui Venetis tardè succurrentibus, Ducéque Sabaudo suspenso, incertóque pendente, Rex Ludouicus Cardinalem Richelium cum amplissima pacis, & belli potestate legauit: interimque Collaltum hyems, & data à Mantuano incommo

incommoda ab obsidione desistere compulerunt.

Exeunte Nouembri, Summus Pontifex tot turbas, pestémque insuper grassantem perspiciens, Iubilæum indixit: Legatis intereà, Nunciisque discordias sedare omni studio contendens. Decimo Maij idem Pontifex *B. Andream Corsinum*, nobilem Florentinum, Ordinis Carmelitarum, & Fesulanum Episcopum, Sanctis; septimo verò Octobris *Caietanum Thienaum*, nobilem Vicentinum, Clericorum Regularium Fundatorem, Beatis adscripsit.

Subinde *Petrus Berullus*, Institutor Congregationis Oratorij Domini nostri Iesu Christi. Vir pius, doctus, & eloquens, qui Rege Ludouico sollicitante an. 1627. Cardinalis creatus fuerat, mensis Octobris die secunda, Lutetiæ, anno ætatis 55. è vita migrauit.

Demum, 19. Decembris *Alphonsus Ludouicus Plessius Richelius*, Frater germanus natu maior Eminentissimi Armandi Ioannis Cardinalis, Vir mansuetudine, pietate, prudentia, fidei zelo, & disciplina insigis, in Purpuratorum Collegium assumitur, qui etiam Archiepiscopus Lugdunensis, & Galliæ Primas (vnde Cardinalis Lugdunensis dictus,) postcà Magnus etiam Regis, ac Franciæ Eleemosynarius constitutus est.

Inter hæc, *Edmundus Richerius* Lutetiæ septimo Decembris se, libellúmque suum *de Ecclesiastica, & politica potestate*, Sanctæ Romanæ Sedis iudicio submisit; declarationémque à se factam consignauit Eminentissimo Cardinali Richelio, Prouisori Domus Sorbonæ, cuius hortationes, magna eius nominis gloria, maiorique merito, & ipsum Richelium ad id impulerunt, schisma iam inter Parisienses Theologos conflatum extinxerunt.

Sub idem tempus Sorbona morem antiquum

Baccalaureorum in Theologiæ act bus respondentium, iurandi in Summorum Pontificum Decreta, instaurauit.

Cæterùm, hoc anno mense Nouembr. Rex Ludouicus, & Michaël Feodroitz, Magnus Dux Moscouiæ, & Russiæ Imperator, commercium fœdere firmauerunt.

Scha Abbas porrò Rex Persarum, filio vno obtruncato, altero verò excæcato, nepotem suum, primogeniti filium, octodecim annorum, ante mortem, quæ mense Martio contigit, Regem declarauit, cui nomen fuit Scha-Sephi. Inde Amurates Turcarum Imperator felicioris exitus spe per Coseronum primum Vizirem obsidionem Babylonis frustrà hactenus à pluribus factam redintegrari curauit: qui eam parans, vt Imperium stabiliret, multos Asiaticos Præfectos rebelles, & seditiosos alios de medio sustulit, alios deposuit.

Hydropisis etiam Bethlemum Gaborem, Principem Transiluaniæ turbulentissimum, nullis relictis filiis, mense Nôuembri oppressit, vitáque priuauit. Quæ in Hungaria tenebat oppida, in Cæsaris potestatem transierunt. Vidua eius Catharina Brandeburgica sub Regis Turcarum patrocinio confugiens, consensit tamen, vt Gregorius Rogatzius cæteris principatum affectantibus potentior, eum retineret, quod Turca approbauit.

In Æthiopia quidam Susneus Imperatoris consobrinus ab aliquot annis facta in eum rebellione, eundem hoc anno prælio occidisse dicitur: Cuius duo filij, alter in regnum Monomotapam; alter dictus Zaga-Christi ætatis circiter quindecim annorum, Ægypto, Arabia, & Ierosolyma peragratis, in Europam, & Italiam se receperunt tyranni manus fugientes.

A Chri

A Christo nato anno MDCXXX.

Congregationem Iesuitissarum virginum, ac mulierum in nonnullis Italiæ, & Vltramontanis partibus erectam, citra Vllam Apostolicæ Sedis approbationem, Vrbanus Pontifex Idibus Ianuarij prohibuit. Harum institutum religiosæ vitæ Monialium satis conforme erat, nisi quòd specie animarum salutis promouendæ, absque Vlla clausura pro libitu diuagabantur.

Cardinalis Richelius cum exercitu Pedemontium ingressus, in apertum cum Duce Sabaudiæ dissidium venit, quòd Pactis conuentis non starat. Pinerolium itaque cum nonnullis aliis vicinis oppidis occupat. Subuenientibus Duce Spinola, & Collalto, Eminentissimus Cardinalis Antonius Barberinus, Vrbani Põtificis ex fratre nepos, à patruo Legatus à Latere per vniuersam Italiam constitutus aduenit, Iulij Mazarini ministerio pacem inter partes conciliaturus. Sed nondum matura, Collaltus Mantuam priùs regreditur; Spinola Casalis obsidionem suscipit, in qua erat Torasius. Richelius verò, relicto exercitu Marescallis Fortio, & Schombergo, Regem Gratianopoli conuenit, Legatus Bononiam se recepit, his sic gestis mense Aprili: à quo intra viginti duorum dierum spatium Rex vniuersam Sabaudiam, à principe Thoma minimo filiorum Ducis gubernaram, vnica excepta arce Mommeliani, sibi vendicauit: Duce vero Monmorancio cum copiis in auxilium suorum vltra montes misso, vbi sæpiùs cum hostibus dimicauit, Salutiarum vrbs capta fuit. Demum Rex Lugduni agens in grauem morbum incidit, ex quo contra omnium spem

conualuit, Lutetiámque profectus est.

Interimque Mantua à Venetis parcè conseruata, peste, fame, aliisque incommodis afflicta, ac militum præsidiariorum imminutione valdè debilitata, decimooctauo Iulij à Germanis oppugnata, expugnatáque est. Dux cum liberis suis, & Maiescallo Estræo in arcem confugit: tandem verò deditionem pactus in ditionem Ferrariensem Pontifici subiectā discessit: vrbem verò opulentissimam barbari, magnam partem Protestantes, crudelissimè, turpissiméque locis etiam sacris non parcentes peruastarunt.

Hæc occupatio, præterquam Italis, & Hispanis eam procurantibus odiosa fuit, Carolum Emmanuelem Ducem Sabaudiæ, ditiones suas, aut amissas aut potentiorum prædæ expositas videntem, tanto insuper mœrore affecit, vt intra triduum, vigesimosexto Iulij, ætatis 69. imperij quinquagesimo, animam efflauerit, cui Victor Amedeus, natu maior filius successit, qui initio Gallos aggrediens, & ab iis contritus, pacem coactus poposcit.

Cæterùm Ferdinandus Cæsar mense Iulio conuentum Electoralem habuit, ad quem accedentibus Legatis Regis Christianissimi, & aliorum Principum, de Germaniæ, & Italiæ pace tractatum est, atque pro Italia conclusum, Ducem Sabaudum, & Mantuanum sua recepturos, & quòd inuestitura Mantuano concederetur. Concordiæ verò conditiones ibi agitatæ cùm non potuissent concludi inter Duces Gallos, Sabaudum, & Gallaltum ab ineunte Septembris vsque ad medium Octobrem in gratiam Casalis arce à Spinola obsessi pactæ sunt induciæ: inter quas 25. Septembris Spinola, partim quòd obsidionem non posset persequi, partim quòd apud Regem Philippum calumniis oneraretur, ex infirmitate, & phrenesi mortuus est, cuius locum Marchio

chio Sanctæ Crucis, quamvis ægrè acceptauit.

Iam induciæ finiebantur, nec dum Ratisbonensis conclusio venerat, cùm Santacrucius earum prorogationem postulauit. Sed Galli Ducibus Marescallis Schombergo, Fortio, & Marillaco cum Hispanis numero, & viribus longè superioribus ad manus venire decreuerant, cùm Mazarinus effecit, vt præcipui terdeni ex vtraque parte, vt erant cataphracti, inter vtraque castra in vnum conuenientes 26. Octobris pacem magna Gallorum gloria, nec parua Hispanorum ignominia firmarent.

Quod pacem verò Germaniæ, Ratisbonæ tractatam, multis de more controuersiis & dissensionibus de religione, & Statu; sed præcipuè de truculentia Gothi Gustaui Regis Sueciæ actum est, qui prætextu protectionis Stralsundæ ciuitatis Pomeraniæ, ac defensionis Protestantium, omnia populabatur, multásque vrbes inuadebat: nec prohiberi potuit, quin teterrimum in Germaniam incendium immitteret, quod post tot annos, necdum extinctum est.

Hoc anno, mense Iunio decreto Consistoriali Romæ constitutum est, vt Cardinales Eminentissimi dicerentur, prohibitúmque, ne qui alij Ecclesiastici illum titulum vsurparent, præterquam Ecclesiastici Romani Imperij Electores, ac Magister Hospitalis Ierosolymitani

Mortuo Duce Venetiarum, Francisco Contareno, successit mense Ianuario ex eadem familia Nicolaus Contarenus.

Mense Martio Brasiliæ metropolis Olinda Fernambuci à Batauis expugnatur, & munitur: Vrbs Mexica nouæ Hispaniç opulentissima mense Octobri aquis penitùs submergitur. Insula S. Michaëlis, vna ex Azoribus, Septembri igneo fluuio è terra

 sulphu

sulphurea erumpente horribiliter infestata fuit.

Eadem tempestate multorum millium cæde à Babylonis obsidione Persæ Coseronum, magnum Turcarum Vizirem, deiecerunt: qui propterea Constantinopolim regressus est.

A Christo nato anno MDCXXXI.

Regina mater Regis Ludouici maleuolis inuidorum suggestionibus aures præbens, Cardinali Richelio admodum infensa, ipsum regni administratione deiicere, quantum apud Regem potuit, omni studio contendit: quod cùm ab eo non potuisset obtinere, Iulio clam, Regéque inscio in proximum Belgium recessit, ibi ab infanta honorificè recepta; cùm & priùs Dux Aurelianensis, frater Regis, paruo quorundam domesticorum, aliorúmque seditiosorum persuasu, & inductu, tacitè ad Martij principium abiisset: qui primùm Aurelianum, inde Burgundiam, postmodúmque Lotharingiam profectus demum Ianuario sequenti Bruxellas, ad matrem accessit, vbi maximis honoribus ab Infanta prosequutus est. Exinde multæ ab ipso, & Regina quærelæ, multáque è contra edicta à Rege, propter talem indignitatē commoto; necnon etiam scripta in defensionem Cardinalis in lucem prodierunt. Ad cuius exaltationem Rex, mense Augusti, Richeliam ditionem eius paternam in Ducatum, & Pariatum Franciæ erexit, (vnde *Cardinalis Dux* nuncupatus:) de quo in Senatum Parium diploma Lutetiæ promulgatum fuit quinto Septembris; eodémque mense Britaniæ Armoricæ maximi momenti præfecturam eidem contulit.

Cæterùm hoc anno, mense Februario, Lipsiæ in

in Germania omnes Principes, acq; ciuitates Protestantes conuenerunt, vbi nouos militum delectus pro defensione, & conseruatione suorum Statuum decreuerunt. Quod audiens Imperator, his delectibus omninò prohibitis rebelles armis coërcere perseuerauit. Inter quos, Mugdeburgenses, iam triennio bellum tolerantes & mense Maio à Tillio, & Pappenhemio expugnatos, plùs afflixit incendium variis in regionibus ciuitatis celeberrimæ, siue per hostes, siue per ipsos ciues excitatum, quo viginti quatuor horis vniuersa penè conflagrauit; quàm Duces illi, qui eam nihilominùs validè munire non emiserunt.

Quod vt audiuit Succiæ Rex, truculentus Gothus, ac ferus Vandalus, qui in eius auxilium accurrebat, eam vt vlcisceretur, præter Pomeraniam, & Ducatum Megalopolitanum suæ iam ditionis multas alias vrbes Brandeburgicas, & Saxonicas occupauit, auctusque copiis Anglicis, & Saxonicis, Septimo Septembris, inclytam Tillio, & Papenhemio retulit, vnà cum Electore Saxonico, victoriam, apud Lipsiam, quam Tillius poct Conuentum supradictum ceperat, qui prælio duobus vulneribus acceptis fuga sibi consuluit, Suecus autem victoriam prosecutus, Erfordiam, aliásque multas in Franconia, Francofortum ad Mœnum, plurimas in Palatinatu superiori: denique traiecto Rheno Moguntiam, & alias vrbes cepit. Exinde verò Elector Saxonicus Boëmiam ingressus, minoribus aliquot locis occupatis, Pragam ipsam mense Nouembri, tota Germania Catholica tam immanibus hostilitatibus, sacrilegiis, & populationibus oppressa, reclamante, gementéque, ad suam ditionem adiunxit; harum calamitatum culpam in Domum Austriacam, atque

Hiſpanos conferens. Catholici quamplurimi Regis Chriſtianiſſimi conſiliorum ignari grauiter tulerunt, quod ipſe cum illo ſocietatis vinculo ſe obſtrinxiſſet: ſed in grauibus de cauſis, ſapientérque factum fuiſſe, nullus, niſi parum in rerum cognitione verſatus dubitauerit.

Hæc inter, menſibus Aprili, & Iunio, ſingularum Italiæ partium Delegati apud Chieraſcum regionis Subalpinæ conuenientes Mantuã cum omnibus oppidis, & locis illius principatus, & Montisferrati Niuernenſi adſcripſerunt, corúmque inveſtituram Imperator conceſſit, exceptis nonnullis locis Montisferrati Sabaudo, & Mantuani principatus Guaſtellenſi reſeruatis, & aſſignatis: Sabaudia, Pinerolum, & alia loca in Pedemontio in Gallorum ditionem redacta Sabaudo pariter reddita ſunt. Obtinuit tamen Rex Galliæ à Duce Sabaudiæ, pecuniâ numeratâ, Pinerolum cum valle Peroſa, vt tranſitum in Italiam liberum haberet, auctore huius vtiliſſimi Conſilij Cardinale Richelio. Vallis-telina etiam Griſonibus reſtituta eſt, eiúſque propugnacula, & arces deſtruendas eſſe decretum. Genuenſium porrò cum Sabaudo conciliatio tractata, nonniſi anno ſubſequenti ab infante Cardinali ad exitum perducitur.

Hac eadem tempeſtate Rex Ludouicus Commendatorem Razillium in Africam ad Regem Marroci Mulei Qualid, vt Gallos ibi magno numero in captiuitate detentos liberaret, delegauit, menséque Septembri de libero commercio, commeatûque fœdus cum eo ſancitum eſt.

Demum decimoquinto Decembris in ciuitate Neapolitana horribilis terræmotus factus eſt. Non longè ab ea mons Veſuuius Sommæ vulgò dictus, tonitruis, flammiſque terrorem incutiens: cine-

rem

rem ventis vsque ad Archipelagum deferens, saxa verò ad centum milliaria eiaculans, immensam bituminis copiam influxit in mare, obuia quæque comburens secúmque trahens, inque ipso mari per duodecim dies ardens. Ex opposito montis, torrens feruentis aquæ multa loca inundauit. Mare à littore recedens Neapolitanas naues in sicco reliquit. Quam cladem mense Februario anno proximè sequentis renouatam Reliquiæ S. Ianuarij, Neapolis Patroni, publica supplicatione delatæ, penitùs depulerunt: aliis proximis locis domuum, personarum, brutorum bonorúmque incredibilem iacturam facientibus.

A Christo nato anno MDCXXXII.

LVdouicus Rex Christianissimus Metis legationes Principum Catholicorum fœderatorum, & Electorum Imperij, pro auertendo Rege Sueco accepit, quibus neutram in partem inclinare persuasit. Attamen Philippus Christophorus, Archiepiscopus Treuerensis, & Elector, proximorum calamitatibus commotus, sibique timens, Regis patrocinio sese subiecit, traditóque Hermensteino, voluit etiam vrbem ipsam Treuerim consignare, ni Capitulum, præsidium Hispanicum requirens, ab eo defecisset: propter quod eam ab exercitu regio obsessam, atque ad deditionem coactam, sub Archiepiscopi auctoritate, viri iam ætate prouecti, tenuit cum præsidio Dux quidam Gallus.

Vrbanus porrò pontifex; hæc iniquo animo ferens, nullum non mouit lapidem, vt seditiones extinguerentur, atque vt Barbari à Germania deiicerentur, pecuniis etiam subministratis, frequentibúsque

que ad Dei iram placandam Iubilæis indictis,& tamen quasi hæc nihil essent, octauo Martij à Cardinale Borgia nomine Philippi Hispaniæ Regis protestatio ei facta fuit, quidquid detrimenti Religio Catholica pateretur, aut passura esset,non ipsi Philippo; sed Pontifici adscribendum fore.

Cæterùm Dei omnipotentis prouidentia hoc tandem effecit, quod homines non potuerunt:cùm enim Gustauus, Rex Sueciæ; denuò per Alsatiam, Bauariam, Palatinatum, Sueuiam, Vvestphaliam, aliasque prouincias excurrens, eásque vastans,Tillium, qui femore vulneratus paulò pòst Ingolstadij mortuus est, fugasset; Vvalsteinium Frislandiæ Ducem Imperator rogauit ad arma, quibus abdicatis fuerat, contra illum sumenda: cuius optatis annuens, Pragam contra Suecum mouentem recuperauit, póstque aliqua grauia, sed non plena certamina, tandem totis viribus prope Luzenam 16. Nouembris pugna redintegrata fuit, sub cuius initium Rex Gustauus duobus lethalibus vulneribus acceptis animam efflauit. Cui succenturiatus Bernardus Dux Vvimariensis Saxonicus,effecit,ne Sueci victi dici possent:prælióque nocte dirempto Cæsarei Lipsiam, Sueci Naumburgum recesserunt. Ingens fuit vtrinque cædes incertúmque qua parte maior. Inter Cæsareanos duces interiit Pappenhemius Marescallus hæreditarius Imperij, multis victoriis clarus. Cadauer Regis multis vulneribus post mortem confossum, ideóque vix cognitum, primùm Naumburgum, inde Brandeburgum,ac demùm in Sueciam delatum est. Mortuus est anno ætatis 38. vnica relicta filia *Christina* sexenni, ex Eleonora Brandeburgensi, filia Electoris Ioannis Sigismundi,duabus maioribus præmortuis.

Non multò pòst, *Fridericus* Palatinus Rheni, cius

eius nominis V. olim Elector, & electus Rex Boëmiæ, anno ætatis 37. ex morbo pestilenti mortuus est Moguntiæ, qui à Rege Sueciæ se in Statum suum restitui sperauerat.

Anteà verò, scilicet, 29. Aprilis, Sigismundus III. Poloniæ Rex Varsouiæ ex apoplexia susceptis Ecclesiæ Sacramentis decesserat, cui sub principium Octobris, suffectus est ex omnibus competitoribus Vladislaus, filius eius natu maximus, eius nominis Rex IV. ætatis 37. qui mense Februario sequenti coronatus est. Titulos sumpsit Regis Sueciæ, & magni Ducis Moscouiæ. Eius electio propter eius virtutem, pietatem, & intemeratam religionem Vrbano Pontifici gratissima contigit, ita vt eius legatos summa cum beneuolentia susceperit.

In Belgio 23. Augusti Princeps Aurangius Traiectum, vulgò Mastricum, insignem Hispanorum vrbem ad Mosam, trimestri obsidione, ne quidquam succurrere tentantibus tribus exercitibus, cepit.

Intereà Dux Aurelianensis Galliam ingressus est manu armata, à Cardinalis Richelij tyrannide, vt scripto in publicum edito professus est, illam liberaturus. Secretò consilia sua Henrico Duci Monmorancio Occitaniæ præfecto, à quo in prouinciam acceptus est, communicauerat. Sed Marescallo Schombergo iussu Regis Aurelianensem cum exercitu insequente post longas illius non paucas vrbes sibi conciliantis circumcursationes, apud Castrum Arianorum Calendis Septembris, copiis illius duplo regiis maioribus dimicatum est, vbi Monmorancius decem vulneribus prostratus, captus fuit; Comes Morteonius, frater naturalis Regis, occisus, cum Comite Ruisio, aliisque non paucis. Aurelianensis cum maiori parte exercitus absque pugna recessit. Rex in Occitaniam pergens Lugduni

Lugduni victoriæ nuncium accipiens, misericordia erga fratrem motus veniam pollicitus est, modò in posterum quietiùs se gereret. Conuentionem iuramento firmauit Aurelianensis Calendis Octobris, qui etiam beneuolas ad Cardinalem literas scripsit, ac ad Turones se recepit. Rex autem Tolosam progressus, Monmorancium ob rebellionem die penultima Octobris capite minui iussit. Hic admodum decessit vir nobilissimæ, & antiquissimæ totâ Galliâ familiæ Princeps, dignus omninò qui ob præclaras animi, corporísque dotes, & ob egregia pro Rege, & Religione facinora, diem aliter obiret, nisi rebellione præteritam vitam contaminasset. Mortuus est sine liberis, ætatis anno 38. sepultúsque in S. Saturnini Æde, in qua ab omni memoria nullus fuerat tumulo mandatus. Aurelianensis, ex supplicio Monmorancij sumpta occasione quartùm regno exiens, iterum Belgium repetiit, antequàm Rex Lutetiam peruenisset. Nonnulli Episcopi, qui eius conatibus fauerant, accepta à Pontifice facultate, vnus depositus, alius iussus Episcopatum dimittere, cæteri ad suas Ecclesias remissi.

A Christo nato anno MDCXXXIII.

GErmania hoc anno à Ducibus, qui sub Rege Sueciæ militauerant, Bernardo Duce Vvimariensis Saxonico, Gustauo Hormio castrorum Præfecto, Ioanne Banierio peditatus Præfecto, aliisque Ducibus, excursionibus, populationibus, vrbium expugnationibus, & sexcentis aliis modis opprimitur, præcipuo rerum Directore, Aretio Oxenstierno, Sueciæ Cancellario, sub auctoritate Reginæ viduæ, ac *Christinæ* infantulæ, quæ à Suecis magno

consensu

consensu in Reginam recepta est. Ex alia quoque Vualsteinio, aliisque Ducibus Cæsareis, ac fœderis Catholicorum, illam ad pristinum obsequium reducere conantibus, grauissimè vexatur, regibus Daniæ & Poloniæ in cassum pacem inter eos conciliare tentantibus.

Sub idem tempus Rex Ludouicus Carolo Duci Lotharingiæ indignatus, quòd contra pacta delectus habuisset, quòd pro Ducatu Barensi homagiũ negasset, quòd Margarita eius soror Duci Aurelianensi contra regni leges nupsisset, exercitum duxit aduersùs illum: quo territus pro reconciliatione fratrem suum Nicolaum Franciscum Cardinalem obuiam misit. Interim verò apud Pfaffenhouium, non longè ab Hegenoa in Alsatia, cum Suecis congressus, magna clade affectus est. Eius verò malo animo perspecto, Rex Ducatu Barensi sub regia manu posito, Lotharingiam ingressus, multa oppida cepit, ipsámque Nanceiam obsessit, quam mense Septembri Dux, pactis cum Cardinali Richelio factis, Regi consignauit: Margaritam verò sororem, quam eidem tradere promiserat, clam veste mentita in Belgium ad Aurelianensem concedere curauit.

Ad hæc, induciæ inter Hispanos, & Batauos apud Belgium; sed nullo effectu tractatæ sunt. Mors verò Archiducis *Isabellæ Claræ Eugeniæ*, mense Decembri ætatis anno 68. decedentis, ingenti luctu prosecuta est.

Cæterùm Carolus Rex magnæ Britanniæ mense Majo Scotiam profectus solemni pompa 25. Iunij ibi coronatus est. Demum 24. Octobris natus est ei Dux Eboracensis, qui Iacobus nominatus est, illi etiam in publicis Ordinum regni comitiis auctoritas collata fuit, præscribẽdi habitũ omnibus publico officio, seu in republica seu in Ecclesia fungentibus.

Hoc

Hoc anno Duces Regis Poloniæ Vladislai Moscos Smolenskum obsidentes, & Lituaniam inuadentes; Tartaros verò per alias prouincias excurrentes, magnis cladibus affecerunt; ipse autem Rex Smolenskum obsidione liberauit, ingenti prælio Moscis prostratis

Die 19. Iunij Dux Crequius Franciæ Marescallus magno cum apparatu Romam ingressus, Ludouici nomine, Pōtifici obedientiam de more præstitit. Eiusdem etiam mensis die 22. Congregatio S. Officij Inquisitionis: opinionem Galilæi Florentini, quæ fuerat anteà Copernici, quòd Sol sit centrum Orbis, & immobilis; terra autem mobilis, tanquàm fidei, & Scripturæ contrariam damnauit: quod etiàm ipse ore, & calamo fecit, eiusdem Congregationis iussu, tunc ibi, præsens, anno ætatis 70. Denique in pœnam datæ fidei violationis, carcere Inquisitionis ad tempus inclusus est.

Exeunte anno graue dissidium inter Archiepiscopum Burdegalensem, & Prouinciæ Præfectum obortum est quod Pontifex absoluendo pœnitentes reos, Rexque alienatos animos reconciliando, penitùs extinxerunt.

Mense Septembri Cōstantinopolitanæ vrbis tertia pars maximo incendio deflagrauit, quo præter alia plurima damna, Bibliothecæ Muphti, non ita pridē depositi, & eius, qui suffectus fuerat, copiosissimę omniū totius Imperij Ottomanici, cōbustę sunt.

A Christo nato anno MDCXXXIV.

DIe 19. Ianuarij Carolus Dux Lotharingiæ instrumento publico facto Mirecurti omnes suas ditiones Cardinali fratri suo cessit, vt iura familiæ,

miliæ, dum ipse hostiliter contra Regem, eiúsque fœderatos ageret, conseruare posset. Paulò pòst tamen, ne quis fratrem suum Ducem agnosceret, edixit. Posteà Sueci eum cum modicis copiis in Germaniæ interiora penetrare volentem prohibuerunt: quare Vesontione Mediolanum profectus, visitato Cardinale Infante, in Germaniam, præfecturam generalem Fœderis Catholici accepturus se contulit. Cardinalis interim eius frater dispēsatione Pōtificia patruelem suam Claudiam sororem Nicolaæ Ducissæ vxoris Caroli, in vxorem ducens clam cum ea, rustico habitu, Florentiam se recepit, Lotharingia relicta. Mense verò Maij Rex Nicolaam Ducissam magno honore Luteriç recepit, omnia ei necessaria liberaliter suppeditans. Ad hæc, Rex Consilium supremum suo nomine constituit Lotharingiæ, (sicut anno superiori Parlamentum Metis instituerat,) cuius etiam Ordines in eius verba iurauerunt. Maxima quoque Pars Alsatiæ, Episcopus Basileensis, Spira, & alia non pauca loca Regis patrocinio se submiserunt. Aliquæ etiam earum partium munitiones, ac speciatim Castrum Philippi, seu Philisburgū, munitissimū propugnaculū Episcopatus Spirensis ad Rhenū, in eius potestatē venerūt.

In Belgio Hispani Traiectum obsidentes, & Bataui Bredam, vtrique, obsidione soluta, ad sua se receperunt: quem solum effectum magni vtrinque facti belli apparatus sortiti sunt.

Cæterùm Germaniâ crudelissimo ardente bello, Vrbanus Pontifex 23. Martij vniuersale Iubilæum promulgauit. In ea memorabilis fuit Alberti Ducis Frislandiæ, Comitis Vvalsteinij, exercituum Cæsareorū summi Imperatoris exitus, qui cùm hactenus fidelem se Cæsari, Domuique Austriacæ præstitisset, in suspicionem venit deliberatæ cum hostibus

hostibus vsurpationis regni Boëmiæ patriæ suæ: Quapropter à Cæsare armorum præfectura priuatus, sibi timens, & ad Cæsaris hostium partes transiens, nonnullos ipsorum Duce ad se Egram Boëmiæ venire sollicitauit: iis verò de eius fide dubitantibus, tardéque procedentibus, mense Februario in ipso eius cubiculo proditoriè in eiusdē Egræ arce interfectus est. Ad cuius occisionis nuncium Ferdinandus eum, quē ab infima nobilitate ad tantum fastigium euexerat, fortè captiuum magis, quàm mortuum præoptans, illacrymasse dicitur. multi præterea variis locis duces, principésque pariter cæsi, aut in custódias inclusi fuerunt.

Die 26. Iulij Ratisbona honestis conditionibus in deditionem venit, à Ferdinando Hungariæ Rege Ferdinandi Cæsaris filio, & Maximiliano Bauariæ Duce obsessa, duobus mensibus, obsidionémque tanta virtute sustinens, vt quod vix credatur, quadringenties sexagesis quinquies eruperint obsessi, septémque generales oppugnationes repulerint: nec nisi puluis tormentarius eos deiecisset, adhuc dedendi: quibus Vvimariensis, & Hornus nec suppetias ferre, nec Bauarum per aliquorum Bauariæ oppidorum inuasionem ab obsidione auocare potuerunt.

Inde Rex Hungariæ plurimas vrbes occupans Donavverdam etiam subegit. Ad reficiendum verò exercitum ad Vvittembergensem ditionem proficiscens, in itinere Nordlingam à Suecis forti præsidio munitam aggreditur. Ad eam liberandam Vvimariensi. & Hornio copias Suecias vndique comparantibus, Cardinalis Infans Mediolano per Germaniam Belgium versùs cum valido exercitu iter suscipiens, à Bauaro rogatus, ei se coniunxit, cui etiam aderat Carolus Dux Lotharingiæ, Quibus cùm lōgè

gè inferiores essent Sueci, prælium tamen sexto Septembris inierunt, quo ampliùs decem horis durante, partim cæsi, partim fugati, captíque sunt, vnà cum omnibus impedimentis. Inter præcipui nominis captiuos Hornius fuit. Rhingrauius autem Otho, qui Suecis copiis auxilium daturus appropinquabat, audito funesto prælij exitu retrocedens à Duce Lotharingiæ, & Tribuno Ioanne Vverthio Bauaro ingenti clade affectus est: sicque Sueci à Nordlinga, Vvittembergica ditione, Sueuia, Franconia, Bauariáque omni, quas iniustè tenebant, depulsi sunt.

Postmodum Cardinalis Infans iter suum versùs Belgium continuans, apud Iuliacum obuium habuit Thomam suum patruelem, qui Rege Ludouico deserto, à quo fuerat multis honoribus, & donis cumulatus, in Belgium profugerat, missa Mediolanum coniuge, sorore Comitis Suessionensis. Indéque Infans Calendis Nouembris Louanium Brabantiæ peruenit, & triduo pòst Bruxellis receptus fuit summa magnificentia, & splendore.

Anteà Dux Aurelianensis, frater Ludouici Regis, Cardinalis Infantis subiectionem declinans, multis iam post obitum Isabellæ Archiducis, à ministris Hispanicis contumeliis vexatus, nec non aliqua simultatis specie à Regina matre diuisus, ad Regis pietatem recurrens, clam cum eo egit de reditu in patriam; benignissiméque auditus, octauo die Octobris, summo mane, venatum se ire simulans, solis sex secreti participibus comitantibus, incitatis equis, quos binos habebant, vno tractu, nulla interposita quiete, impastíque, peruenerunt nocte Capellam proximum regni Galliæ oppidum, 25. leucis Bruxellis distans: vbi Ducem cum suis, ostensâ regiâ tesserâ Præsidij Præfectus recepit. Indéque

déque ad Regem accedens amantissimè ab eo susceptus, Cardinalíque Duci Richelio recõciliatus fuit.

Nihilominùs tamen Rex fratris matrimonium cum Margareta Lotharingiæ Ducis sorore contractum, in Senatu parisiensi discussum, solemni Senatusconsulto Pronunciato quinto Septembris penitùs irritum declaratum, non approbauit, quod in declaratione pro præteriorum omnium, tam prædicti fratris sui, quàm comitum abolitione, eodem mense Octobri discertè cauit.

Die 18. Augusti Vrbanus Granderius Cenomanensis, apud Loudunum diœcesis Pictauiensis oppidum, viuus combustus est, de magia, multísque aliis sceleribus reus factus; sed præcipuè quòd ab anno 1632. Religiosas Vrsulinas à Dæmonibus obsideri procurasset, eò quòd illum in suum Directorem assumere noluissent.

Cæterùm his conditionibus Poloni, & Mosci pacem inierunt, vt Rex Poloniæ Vladislaus iuribus in Moscouia prætentis Magno Duci Michaëli Federovvitis cederet, ab eiúsque titulo abstineret: Michaël autem Smolensko, Nouogradio, Biala, aliísque arcibus Regi Poloniæ, Ducatuíque Lituaniæ cederet.

Denique, 12. Decembris Vrbanus Pontifex Constitutione publica sub grauissimis pœnis præcepit Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis quibuscunque, ac etiam Cardinalibus, vt intra tempus constitutum ad Ecclesias suas se conferrent, nec inde exceptis casibus necessariis ibi expressis, nisi de licentia Sedis Apostolicæ recederent.

A Christo nato anno MDCXXXV.

Hoc anno, nocte 23. Ianuarij, Gallisius Cæsareus dux, Philisburgum maximi momenti oppidum

oppidum diœcesis Spirensis, quod Gallorum simul, & Germanorum præsidium tenebat, vi cepit.

Sub auroram diei 26. Martij, subdolè vrbs Treueris cum omnium penè præsidiariorum cœde, & præfecti vulnerati captiuitate occupata fuit. Hanc Galli pro Archiepiscopo, sub Regis patrocinio suscepto, contra Suecos & Protestantes, & quibus per Imperatorem, aut fœderatos Catholicos Germaniæ protegi non poterat, defendendo tenebant. Ipse Archiepiscopus, Imperij Elector, inibi captus, confestim Lucemburgum, inde Namurcum, ac demum in arcem Treuorensem iuxta Bruxellas ductus fuit. Rex itaque de eius libertate, vt par erat sollicitus, illam ab Infante Cardinale Belgij Gubernatore postulans, responsum accepit, se nihil super ea absque Imperatoris, Regísque Hispaniæ consilio deliberare posse. Quod responsum petitionis denegationẽ Rex interpretatus, re maturè perpensa, Fecialem solemni pompa, ritúque, Cardinali bellum inducturum mittit: quod 16. Maij Bruxellas appulsus, cùm non potuisset in præsentiam Cardinalis admitti, scripto coram Fecialibus Belgicis intra ipsam vrbem coniecto, & in reditu ad palum iuxta Ecclesiam primi vici Belgici affixo præstitit. Statimque Rex Castillioneum, & Brezeum Marescallos cum exercitu immisit, qui 19. Maij apud Aueinum pagum principẽ Thomam Sabaudiæ, copiarum Infantinarum ductorem ingenti clade affecerunt, quinque millibus cæsis, mille trecentis captis; tormentis, signis & impedimentis relictis victoribus, è quibus ducenti circiter duntaxat occubuerunt. Sexto verò Iunij Rex Declaratione publica multiplices belli causas enumerans subditis suis omni cum Hispanis cõmercio interdixit, bellúmq; iis terra, maríque denunciauit.

Inde post coniunctas copias capto, direptóque

Tilemontio;

Tilemontio; aliisque parui momenti oppidis, obsesso etiam nullo effectu Louanio, nihil aliud præter aliquas excursiones, & debilium locorum inuasiones, populationésque gestum fuit.

Quatuor aliis à Rege comparatis exercitibus quos variis prouinciis assignauit, primùm Dux Carolus Lotharingiæ Ioannes Vverthius Bauarus, aliique tam Cæsarei, quàm Lotharingij, à Lotharingia pellere posse credebant Gallos, quorum plurimi à Rege rebellauerant: qui eò se conferens, aliquos reos puniuit: reliqui duces post Regis, in Galliam regressum, & Lotharingij recessum, cætera recuperarunt, & quædam alia occuparunt. Cardinalis Valeta, & Dux Vvimariensis annonæ penuria medios inter hostes afflicti, ægrè recesserunt, occupsis aditibus, nec nisi cum aliqua iactura. Gallasius postquàm ad Lotharingiam accedens, multa suorum millia morbis, & fame amisit, ab eo dissentiens in Germaniam rediit. Pro libertate Italiæ Crequius vnà cum Duce Sabaudiæ, & Eduardo Parmæ Duce, cuius Rex patrocinium susceperat, captis nonnullis arcibus, Valentiam ditionis Mediolanensis obsederunt, & irrito conatu oppugnauerunt. Rohanensis denique nonnulla loca in Valletelina muniuit; Germanos Mediolanum petentes grandi cæde profligauit; & vnà cum Grisonibus, Serbellonum cum Hispanis Vallem ingressum repulit.

Præter hos quinque exercitus, mense Septembri Hispanis insulas Lirinenses S. Honorati, & S. Margaretæ occupantibus, contra eorum conatus instructa fuit classis in Prouincia.

Ex fœdere 30. Maij Pragæ inito, inter Imperatorem, & Ioannem Georgium Electorem Ducem Saxoniæ Lutheranum, qui anteà Suecorum partes tuebatur, illorum potentia in Germania diminuta, Impera

Imperatoris verò aucta, ad eum plurimæ vrbes, & munitiones redierunt.

Cæterùm, 29. Augusti inter Vladislaum, Poloniæ Regem, & Christianam Sueciæ Reginam in 26. annos pactæ sunt induciæ his conditionibus, vt Prussia Polono, Brandeburgensi pro parte, quæ singulis competebat, restitueretur. Liuonia in manibus Suecorum durantibus induciis permaneret.

Eodem mense Augusti maximi momenti ciuitas Reuanam ab Amurate Turcarum Imperatore in Perside capta fuit.

Die 7. Iulij multi Prælati subscripserunt sententiæ Doctorum Sorbonicorum, ac multorum doctissimorum Religiosorum, in Conuentu quinquēnali Cleri Gallicani Lutetiæ celebrato, in quo decretum est, matrimonia Principum regij sanguinis, Coronæ candidatorum, ac præcipuè proximorum, & hæredum præsumptiuorum, contra voluntatem, & prohibitionem possessoris Coronæ, & non solùm absque illius consensu facta, illegitima, inualida & nulla esse.

Eodem in Cleri Conuentu Franciscus Commartinus Episcopus Ambianensis, Vehementer conquestus est, quòd anni superioris mense Iulio visitans Monstrolium, oppidum suæ diœcesis; in quo tanquam munitiori, S. Vulphagij Confessoris, olim sui parochi nunc Patroni Reliquiæ depositæ fuerant cupiénsque incolis Ruæ, eiusdem diæcesis oppidi, earum aliquam partem concedere, Montrolienses in ipsum, tanquàm in Reliquiarum furem insurgentes, multis eum, asseclásque Ecclesiasticos contumeliis, iniuriis, & percussionibus affecerunt: adeò vt, tametsi præsidij præfecto eos tutante, & ob id de vita periclitante, vix incolumes seruari potuerint. Quamobrem eos, vt ad pœnitentiam

allicerer,

alliceret, præcipuis seditionis auctoribus excommunicatis, interdicto supponens quo primum per mensem, deinde per sex suspenso, ipsis obstinatis persistentibus, causam ad Regem, Ecclesiæ, & Cleri Protectorem detulit, qui delegatis re commissa, post diligentem inquisitionem, in quosdam mortem in alios exiliũ, in alios, verò pœnas alias cõstituerunt; quæ, benignissimo Episcopo veniam petente, & impetrante, mutatæ sunt in leuem pecuniam, vnde aliquibus necessitatibus subueniri, sed præcipuè in Ecclesia ad posteritatis monumentum in marmore regiam, & Episcopalem remissionem incidi curauit. Ad hæc victor Bouthillierius Coadiutor, & successor Episcopi Turonensis, vir prudentia, & ingenio pollens delegatus à Rege, & Clero, Monstrolium profectus ab Episcopo Ambianensi selectas Reliquiarum portiones, Partim ad Ecclesiam Ruensem, partim ad Ambianensem, tradidit Presbyteris deferendas: & postquàm ciuium petulentiam grauiter increpasset, iis gratias cum gaudio agentibus die 28. Septembris absolutionis beneficium impendit.

Die 11. Decembris, *Alignius*, Franciæ Cancellarius è vita migrauit, cui suffectus est *Petrus Seguerius*, nobilissima familia oriũdus cui iam ante trienniũ Sigillorũ Custodis dignitatẽ Rex detulerat.

A Christo nato anno MDCXXXVI.

LVtetiæ summis honoribus, muneribùsque prosequutus est mense Ianuario Rex Eduardum, Ducem Parmæ, ei gratias agentem ob patrocinium contra Hispanos sibi præstitum qui ad suos remeauit mense Martio, quo etiam Bernardus Saxonicus, Dux Vvimariensis; Regem salutatum venit.

Princeps

Princeps Condæus cum exercitu Sequanos, siue Comitatum Burgundiæ hostibus Regis auxiliantẽ adiens, nonnullis captis oppidis Dolam obsedit, à qua ob turbas Picardicas reuocatus est. Nam Cardinalis Infans publicè declarans Imperatoris, Regísque Hispaniæ intẽtum esse pacem Christianæ Reipublicæ conciliare, in Picardiam mense Iulio Principem Thomam & Ioannem Vverthium cum exercitu misit, qui Capella, Castelleto, Corbia, aliisque nonnullis captis oppidis, Regem se eorum conatibus fortiter obiicientem senserunt: quippè eò frater eius Dux Aurelianensis, & Comes Suessionẽsis missi aliquot loca hostibus eripuerunt, ipséque Rex Corbia præcipua captarum circumuallata, oppugnationem Suessionensi commisit, quam decimoquarto Nouembris in deditionẽ redigit. Exinde San. Ioannem de Lucio in finibus regni, & Aquitaniæ occupatum Hispani diripuerunt; sed non multò pòst tempore firmare aggressi, ab eo, nemine cogente, recesserunt.

Scheinkeam in Belgio, dedentibus se Hispanis, Bataui; Magdeburgum in Germania Dux Saxoniæ, Moguntiam 5. Ianuarij Comes Donaus receperunt. Cæsarei demum, ac Sueci hostilia quædam in Germania hinc inde fecerunt. *Thorasium*, verò Franciæ Marescallum in Insubria propugnaculum aliquod ab Hispanis detentum lustrantem glans plumbea non sine Gallorum desiderio, hostiúmque admiratione vita priuauit.

Cæterùm *Martius Ginnetus* Cardinalis in exterorum negotiis versatissimus, & variarum linguarum peritus ab Vrbano Pontifice tot inter Christianos Principes clades ægrè ferente Coloniam missus est, cum Legatis, & Oratoribus Regum Catholicorum de pace tractaturus; multum ad id Eminentissimo Cardinali Lugdunensi Romę præsentia iu-

uante. Huic negotio conficiendo Hamburgum delegerunt. Exeunte Octobri Ginnetus Coloniam ingrediens in ea vltra triennium, nouis semper difficultatibus superuenientibus, & ad bellum potiùs accedentibus, quàm pacem conciliantibus sine vllo progressu commoratus est.

Inter hæc Ferdinandus Imperator Ratisbonam profectus, ibi Electorum, ac Principum imperij conuentum habuit, in quo Germaniæ negotia in alium conuentum tractanda remittens, filium suum *Ferdinandum Ernostum*, Regem Hungariæ, in Regem Romanorum successorem imperij eligendum proposuit. Quod ab Electoribus tam absentibus per Legatos, quàm præsentibus, mense Decembri facilè consecutus, vigesimo octauo eiusdem mensis anno suæ ætatis vigesimo octauo mense quinto coronatus est. Nequidquam obstante; quòd Treuerensis Elector ex Belgio in Austriam translatus, & adhuc sub custodia detentus; nec quòd Bauariæ Duce in Palatini locum substituto, ad eúmque Electoratu pertinente, neuter eorum electionem suffragiis suis comprobauerit.

A Christo nato anno MDCXXXVII.

PAucis pòst diebus à reditu Conuentus Ratisbonensis suprà memorati, Ferdinandus II. ætatis 61. Imperij 19. currente, diem extremum obiit: Eius ergo filius Ferdinandus III. sicut ante obitum patris electus fuerat Imperiũ capessiuit: ad cuius electionem confirmandam Pragæ conuentu celebrato, eò ductus etiam Archiepiscopus Treuerensis eam ratam habuit, acceptauitque præterea in Coadiutorem sui Archiepiscopatus Archiducem Guillelmum fratrem Ferdinandi.

Comes Hungariæ, frater Ducis Ellebouij; è domo

Lotharin

Lotharingica, Archiepiscopi Burdegalensis consilio fretus, Insulas S. Honorati, & S Margaritæ in Provincia, ab Hispanis ante biennium vsurpatas, benéque munitas mensibus Aprilis; & Maij, fortiter occupauit, expugnauitque.

Cæterùm Hispanis cum numeroso exercitu, duce Comite Serbello, Leucatam in Occitania, ab eius Præfecto Barrio fortiter defensam obsidentibus, Dux Halluinus, prouinciæ Præfectus, solis Occitaniæ viribus, 29. Septembris, vallum, aggeremque hostium aggrediens, post eorum plurimam cædem, & turpem superstitum fugam, præda benè opima potitus, illos ab obsidione repulit: quem Rex Marescalli Franciæ dignitate decorauit.

Dum hæc in Occitania geruntur, in Atrebatensibus Landrecium, Castrum Cameraci, Maubugium & quædam alia loca ceperunt, ac etiam Capellam recuperarũt Cardinalis Valeta, & Candalę Dux frater eius. Hispani proditoriè cæso præsidio Iuoium in Lucẽburgo ad Mosam à Marescallo Castillioneo nuper captum, recuperarunt: sed Damuillerium ab eodem expugnatum vigilantiùs seruatur.

Mense Octobri obsidione, ac deditione Bredam Princeps Aurangius recepit: Hispani Venloum, & Ruremundam. In Germania variæ pugnæ commissæ, variáque capta sunt oppida à Cæsareis, & Suecis, istis grauia damna patientibus. Demum Hispani fædere Grisonum ab antiquo Gallico ingratè resilientium validiores, multa, vt assolent, illis promittentes, Vallem telinam eorum potestati reliquerũt.

Mense Septembri *Carolus Gonzaga.* Dux Mantuanus, & Niuernensis Taurini obiens, nepotem suum ex filio circiter octennem successorem reliquit. Posteà verò *Victor Amedeus* Dux Sabaudiæ, mense Octobri vltimum clausit diem, cui subrogatus fuit Ludouicus Amedeus, maior (circiter septennis) duo-

rum puerulorum, quos ex vxore, sorore Regis Christianissimi suscepit, qui vix post annum superstes fuit.

Intereà Rex Scotiæ ritus Anglicanos ferè omnes in regno suo recipi mandauit, quibus Ministri Puritani repugnantes in Episcopos, Proceréſque seditionem excitarunt, qui vix furentis plebis manus, interueniente licèt Senatu, effugere potuerunt. Iidem etiam renouarunt confessionem minorem Scoticam, pro fidei Catholicæ, omniúmque rituum ecclesiasticorum abolitione factam, & se contra omnes, ipsúmque etiam Regem, subsidio sibi inuicem futuros promiserunt. Quod nouum fœdus *Conuenant* nuncupauerunt.

A Christo nato anno MDCXXXVIII.

Bernardus Dux Vvimariensis partium Suecicarum, mense Februario Rhinsfeldiam in agro Basileensi, vt ibi securitatem sibi præstaret, tutiúsque ad propositum sibi Brisacum transiret, obsidere cepit: cui Cæsarei, & Bauarici, illius loci momento perpenso, ducibus Sabello, Ioanne Vverthio, & aliis suppetias ferentes, prima inita pugna, superiores quidem euaserunt: sed quatuor pòst diebus instaurata acriùs, acie cadentes partim cæsi, partim fugati, partim captiui facti sunt, quorum de numero multi Duces Tribunique fuerunt, inter quos Dux Sabellus Lauffemburgũ deductus paulò pòst euasit: Vverthius, & Enckenfordius ad Regẽ in Galliam missi in castro Vicenarum detinentur, Rhinsfeldia igitur, & ab ea Neoburgum, Friburgum, Brisgoiæ, & alia quædam oppida Vvimariensi se dediderunt: qui posteà mense Decembri, postquã sæpiùs cum Cæsareis manus cõseruisset, Gallorũ subnixus auxiliis, Brisacũ, ducentis maioribus tormentis ęreis munitum occupauit.

Cæterùm Ducem Rohannũ, in conflictu Rinsfeldiano vulneratum paulò pòst vita mense Martio defecit. Quo etiam mense Crequium Franciæ Marescallum, dum Bremum oppidum à Marchionis Leganesij, Mediolani Gubernatoris obsidione vindicare conaretur, tormenti globus de vita deturbauit, Inde Bremum in Leganesij deditionem venit, sicut mense Iulio Vercellæ.

Sub eiusdem Iulij initium, Principe Condæo Fontarabiam obsidente, acri, longáque verberatione oppidũ, præsidiúmque ad angustias redegerat, iámque in eius potestatem veniebat, cùm ob quasdam inter se obortas discordias iussis parere omittentes, iterúmque occasione elabente, terrestris Hispanorum exercitus, (classem enim eorum Gallica iam merserat) eos cum ignominia obsidionem soluere compulit: propter quod in quosdam duces animaduersum est. Ad hæc, Marescallum Castillioneum Princeps Thomas, & Comes Piccolomineus, Italus Senensis, tametsi magnis cladibus acceptis, à multùm operosa S. Audomari obsidione deiecerunt: ipse verò cum exercitu in Artesiam tendens, Rantium, & quædam alia opida cepit. Postmodum verò Castelletum in Picardia, solum oppidum ex omnibus, quæ sub Hispanorum potestate in Gallia subiacuerant, nunc tandem ab eorum vsurpatione detractum fuit.

Mense Septembri, Hasfeldius Cæsareus dux principem Palatinum in Germaniam cum exercitu procedentem, capto ipsius fratre Roberto, Viennámque Austriæ ducto fudit, fugauitque. Mense Februario Cæsarei Hannouiã iam à triẽnio obsessũ munitissimum oppidum, clàm occupauerunt. In reliqua porrò Germania, Belgio, Lotharingia Burgundia, aliisque prouinciis dimicatum est multoties.

Die 27. Martij Consentiam, Stilianum, Nicastrum,

ſtrum, aliáſque Calabriæ vrbes, pagos, & oppida horrendus terræmotus cum ingenti hominum ſtrage partim abſorbuit, partim diſrupit.

Cæterùm in comitiis Vvarſauienſibus menſis Maij polliceri coactus eſt Vladiſlaus Poloniæ Rex ſe numquam inſtituturũ Ordinem 72. fratrum: qui pro bono publico præliarentur, quem inſtituere in animo habuerat. Eius demũ frater Cazimirus, electus à Rege Hiſpaniæ in Proregem Portugalliæ, eò pergens, mentito habitu Tolonum, Maſſiliam ac naues regias apud Bucum extremum Prouinciæ portum luſtrare deprehenſus, à Comite Alenſe, Prouinciæ Præfecto, captus, Lutetiámque miſſus, ſub honeſta cuſtodia tandiu detentus fuit, quo vſque Rex, accepta magnifica ab Vladiſlao fratre legatione, quia innocentiam eius cognouit, honorificè ad menſam miſſum, cum muneribus dimiſit.

Hoc temporum tractu Rex Chriſtianiſſimus ſe, totúmque regnum Beatiſſimæ Virginis, cuius opem multoties ſibi adfuiſſe cognouerat, patrociniis ſubiiciens, publicè omnibus regni Epiſcopis præcepit, vt quotannis decimoquinto Auguſti feſto Aſſumptionis eiuſdem Virginis ſolennibus ſupplicationibus inſtitutis, ſe populóſque ſibi commiſſos eius ſeruitio penitus deuouerent. Quod hoc anno primùm fieri cœptum eſt ſummo cum omnium applauſu.

Interim Maria Regina mater eiuſdem Ludouici Brabantia menſe Auguſto diſcedens, & per Hollandiam, Zelandiámque tranſiens, Septembri Angliam, à Rege, Reginâque eius filia, ſummo cum honore, amicitiâque ſingulari recepta petiuit.

Ad hæc Delphinus, poſt viginti tres annos initi inter Ludouicum Iuſtum, Annámque Piam matrimonij, diuinitùs 5. Septembris natus non ſolùm lętitia: exultationéque ſumma Galliam ſed etiam exteras.

exteras regiones compleuit ad quem Summus Pontifex infantiles fascias à se benedictas per illustrissimum N. Sfortiam, Vicelegatum Auenionensem misit: totáque demum Roma vna cum Eminentissimis Cardinalibus lætitiam publica demonstratione testata est.

Mense Octobri admissus est Romæ, post aliquas tamen difficultates, Princeps Eckembertus, Orator Ferdinandi nuper in Imperatorem electi, ad obediétiam Summo Pontifici de more præstandam.

Hac eadem tempestate Scoti per Marchionem Hamiltonium, Caroli Regis magnæ Britanniæ nomine rogati, vt fœdus anno superiori actum abrogarent, hoc illi nequaquam concedere voluerunt, licet se Baptismo renunciaturum, Religionémque Scoticam amplexurum polliceretur Rex. Imo peruicax eorum imprudentia illum impulit ad scriptum in lucem edendum, quo & liceret Ecclesiis in tali statu sibi prouidere, & Ecclesiam posse Synodum indicere, si Magistratus hostis fidei, aut in Ecclesiæ bono procurando negligentior esset, probarunt. Quinimò, licèt Rex vlteriùs multa ipsis concessisset; tamen non solùm illa non admiserunt, sed aduersùs illa publicato prolixo scripto protestati sunt. Satano Caluinistico quippe œstro perciti Episcoporum auctoritatem, noménque ipsum funditus delere, vniuersos Ecclesiasticos amandare, Regémque ex ipsorũ nutu, volũtatéque dependere volebãt.

Adhæc Conuentu Glascuensi ex Comitibus, Baronibus, nobilibus, ciuibúsque, omnibus ex Conuenante Scotico, coacto, reclamante licèt Hamiltonio, Episcopis omnem administrationem ademerunt, multáque alia contra Regem, legitimámque omnem disciplinam statuerunt, Ministris etiam aliquibus depositis qui turbulẽtis eorum decretis subscribere nollent, Arcem prætereà Edimburgensem,

præsidio regio munitam, ita obseruarunt, vt nihil in eam asportari permitterent, atque Lithum oppidulum vicinũ contra eam munitionibus firmarent.

Amurates intereà Turcarum Imperator tercenta millia armatorum Babylonem ducens, vt eam à Persis possessam, toties suis, & paternis auspiciis obsessam subigeret, obuium habuit quendam Cheixum rebellem, qui prophetam ante Antichristum venturum simulans aduersùm se pugnantem exercitum profligauit. Quapropter Imperator sequaces suos proscripsit; vnde iis in posterum diffidens, Amuratémque propterea veniam petiturus, collo laqueo inserto conueniens, hoc eodem laqueo, mense Iunio, spiritu statim intercluso interfectus est. Amurates verò Babylonem obsidens, quadraginta diebus, ea se vniuerso præsidio, populóque, quadraginta autem millibus suorum amissis, sub finem Decembris eam occupauit.

Mense Iunio *Cyrillum* Patriarcham Constantinopolitanum quorundam criminum insimulatum Præfectus vrbis dignitate priuauit, in turrim maris nigri coniecit, ac etiam in mare præcipitem dari iussit. In cuius Sedem alterum *Cyrillum ab Ibernia* ipsi infestum, grauitérque inimicum suffecit.

A Christo nato anno MDCXXXIX.

INeunte hoc anno duo magni libri, inscripti, *Iura, & Libertates Ecclesiæ Gallicanæ*, eorúmque *Probationes* absque Auctoris, & Typographi nomine, & imprimendi facultate, Lutetiæ in lucem editi, quòd multa ad Ecclesiæ seruitutem tendentia, & schismatis occasionem dantia continerent primùm à sacro Consistorio regio vænum exponi prohibiti sunt; deinde verò vnde viginti, tam Eminentissimi Cardinales quàm Illustrissimi Antistites, Lute-

tiæ

tiæ tunc temporis morantes, eos proscripserunt atque damnauerunt.

Grandis etiam liber in Hispania publicam lucem vidit sub titulo: *De supplicatione ad Sanctissimum à Litteris, & Bullis Apostolicis importunè impetratis ad perniciem Reip. regni, aut Regis aut iuris tertij praiudicium, & de earum retentione interim in Senatu* Madriti apud Mariam de Quinones, Auctore *Francisco Salgado de Somoza* Iuris vtriusque Professore. Qui Auctor prætérea dignus iudicatus est, qui *Iudex Regiæ Monarchiæ Regni Siciliæ* crearetur.

Huius anni decursu infestis hostium armis Gallia ferè lacessita non fuit, sed dissoluta propriorum militum consuetudo atque licentia, populorúmque non impunè tamen ferientium, seditiones variis in regionibus illam exagitarunt. In exteros autem quinque exercitibus Rex bellum intulit. Quorum primo vltima Iunij Dux Millereus, Magnus rei tormentariæ Magister, Rege præsente, Hesdinum munitissimum Attrebatum oppidum in deditionem compulit, quem Rex claua, seu baculo, insigni Marescallatus Franciæ summa cum laude prosecutus, donauit, cùm per mediam muri ruinam victor vrbem ingrederetur.

Altero exercitu non æque fortunatus Fequerius versùs Lucemburgum se ad Theonis villæ, prope fluuium Mosellam, obsidionem accingens, à Piccolomineo 5. Iunij adorsus copiis fusis, fugatisque ipse vulneratus in eius potestatem venit. Exinde Vicarium Picolominei victoris cum parte copiarum Moronum Gallicæ ditionis ad Mosam oppidum obsidione cingentem, eo bina tormentorum quassatione verberato ab ea desistere coëgit accessus Marescalli Castillionei, qui cum alio exercitu Iuoium inuasit, ac in pœnam proditionis alterius retrò anni, penitùs deleuit.

præſidio regio munitam, ita obſeruarunt, vt nihil in eam aſportari permitterent, atque Lithum oppidulum vicinũ contra eam munitionibus firmarent.

Amurates intereà Turcarum Imperator tercenta millia armatorum Babylonem ducens, vt eam à Perſis poſſeſſam, toties ſuis, & paternis auſpiciis obſeſſam ſubigeret, obuium habuit quendam Cheixum rebellem, qui prophetam ante Antichriſtum venturum ſimulans aduersùm ſe pugnantem exercitum profligauit. Quapropter Imperator ſequaces ſuos proſcripſit; vnde iis in poſterum diffidens, Amuratémque propterea veniam petiturus, collo laqueo inſerto conueniens, hoc eodem laqueo, menſe Iunio, ſpiritu ſtatim intercluſo interfectus eſt. Amurates verò Babylonem obſidens, quadraginta diebus, ea ſe vniuerſo præſidio, populóque, quadraginta autem millibus ſuorum amiſſis, ſub finem Decembris eam occupauit.

Menſe Iunio *Cyrillum* Patriarcham Conſtantinopolitanum quorundam criminum inſimulatum Præfectus vrbis dignitate priuauit, in turrim maris nigri coniecit, ac etiam in mare præcipitem dari iuſſit. In cuius Sedem alterum *Cyrillum ab Ibernia* ipſi infeſtum, grauitérque inimicum ſuffecit.

A Chriſto nato anno MDCXXXIX.

INeunte hoc anno duo magni libri, inſcripti, *Iura, & Libertates Eccleſiæ Gallicanæ*, earúmque *Probationes* abſque Auctoris, & Typographi nomine, & imprimendi facultate, Lutetiæ in lucem editi, quòd multa ad Eccleſiæ ſeruitutem tendentia, & ſchiſmatis occaſionem dantia continerent primùm à ſacro Conſiſtorio regio vænum exponi prohibiti ſunt? deinde verò vnde viginti, tam Eminentiſſimi Cardinales quàm Illuſtriſſimi Antiſtites, Lutetiæ

tiæ tunc temporis morantes, eos proscripserunt atque damnauerunt.

Grandis etiam liber in Hispania publicam lucem vidit sub titulo: *De supplicatione ad Sanctissimum à Litteris, & Bullis Apostolicis importunè impetratis ad perniciem Reip. regni, aut Regis aut iuris tertij praiudicium, & de earum retentione interim in Senatu* Madriti apud Mariam de Quinones, Auctore *Francisco Salgado de Somoza* Iuris vtriusque Professore. Qui Auctor præterea dignus iudicatus est, qui *Iudex Regiæ Monarchiæ Regni Siciliæ* crearetur.

Huius anni decursu infestis hostium armis Gallia ferè lacessita non fuit, sed dissoluta propriorum militum consuetudo atque licentia, populorúmque non impunè tamen ferientium, seditiones variis in regionibus illam exagitarunt. In exteros autem quinque exercitibus Rex bellum intulit. Quorum primo vltima Iunij Dux Millereus, Magnus rei tormentariæ Magister, Rege præsente, Hesdinum munitissimum Attrebatum oppidum in deditionem compulit, quem Rex claua, seu baculo, insigni Marescallatus Franciæ summa cum laude prosecutus, donauit, cùm per mediam muri ruinam victor vrbem ingrederetur.

Altero exercitu non æque fortunatus Fequerius versùs Lucemburgum se ad Theonis villæ, prope fluuium Mosellam, obsidionem accingens, à Piccolomineo 5. Iunij adorsus copiis fusis, fugatisque ipse vulneratus in eius potestatem venit. Exinde Vicarium Picolominei victoris cum parte copiarum Moronum Gallicæ ditionis ad Mosam oppidum obsidione cingentem, eo bina tormentorum quassatione verberato ab ea desistere coëgit accessus Marescalli Castillionei, qui cum alio exercitu Iuoium inuasit, ac in pœnam proditionis alterius retrò anni, penitùs deleuit.

Mense Iulij Princeps Condæus cum potenti exercitu Septimanorum, & Aquitanorum, Salsulas in agro Ruscinonensi Hispaniæ inexpugnabiles habitas, Gallico adiunxit imperio, vicinisque quibusdam propugnaculis captis proximum Perpinianum non modico terrore percutit. Sed non longo pòst interuallo rursus Salsulæ in ditionem Hispanorum redactæ sunt.

Dux Longauillanus in Italiam profectus est, vt compesceret nefarios conatus Principis Thomæ, qui Hispanorum vt persuasu, sic copiis ditionem nepotis sui inuadens, contra quàm fas esset, iuréque debuisset, omnia pessundans, nonnullorum ciuium proditione Taurinum prouinciæ metropolim ita occupauit, vt Ducissa mater pueri, sororque Ludouici Regis vix in Arcem effugere potuerit, è qua in Sabaudiam concedens, Gratianopolim cum Rege consilia contulit.

Interea Cardinalis *Valeta*, postquam in Italia pro populi rebus tuendis, Thomam cohibuisset, & quædam oppida cepisset, mense Septembri morbo contracto, piè admodum è viuis excessit, cui subrogatus est Comes Harcurius, strenuissimus è domo Lotharingica Princeps, Insulis Lirinensibus nuper ab Hispanis recuperatis clarus.

Duobus ante mensibus, decimo octauo, scilicet, Iulij, interierat Neoburgi morbo pestilenti Bernardus Dux Vvimariensis, bellicosissimus iuxtà ac fortunatissimus Princeps, cuius cadauer Brisacum delatum est. Eius obitus in causa fuit, vt iussu Regis Longauillanus in Germaniam properaret. Solus alicuius nominis supererat Banerius Suecarum reliquiarum sustentator, qui Boëmiam ingressus, nonnulla oppida, aliáque in Silesia, & Saxonia cepit.

Princeps Palatinus Rheni, Vvimariensis morte cognita, Brisaci obtinendi spe, per mediam Galliam

liam absque licētia transiens Molini in Borbonia à Præfecto cōprehensus, Lutetiam Rege tunc absente reducitur: ibique aliquo tempore intra honestam custodiam asseruatus est: posteà Rex eum ad mensam admisit liberalitérque dimisit.

Carolus Rex magnæ Britanniæ Scotorum defectionem vlturus iam cùm illis prælium in regni confinibus commissurus erat, cùm octauo Iulij de concordia tractatum est, quæ certis sub conditionibus hinc inde positis conclusa fuit. At Scoti à conuentis pactis recedentes decreta Glascuæ, de Episcoporum abdicatione, instaurarunt, ac plurima alia statuerunt, quæ Regem contra eos arma resumere coëgerunt.

Patriarchæ *Cyrillo ab Ibernia* Constantinopolitano, pecuniarum extorsionibus subditos vexanti à sede deiecto, carcerique tertio mancipato, *Parthenius* metropolita Adrianopolitanus, vnanimi omnium consensu suffectus est.

A Christo nato anno MDCXL.

AMurates Turcarum Imperator; ab obsidione Babylonica rediens, voto in manibus Muphti, seu Pontificis, abstinentiam vini, qua per legem Musulmanicam obstringebatur, vouit eò quòd ex eius vsu morbum artriticum se incidisse credebat: sed in celebri sectæ festo ad finem Ianuarij apud Visirem primum pransus, tantùm vini contra votum, & aquæ viuæ, hausit, vt inde grauissimo morbo oppressus, paucis pòst diebus octauo, scilicet, Februarij, ætatis 32. Imperij 17. nullis liberis relictis, è vita migrauit. Cui successit frater eius minor *Ibraimus* ætatis 28. qui carcere detentus, breui morte à fratre plectendus erat; nec nisi viso fratris cadauere se ad imperium, non ad mortem

duci.

duci in animum potuit inducere.

Eodem fermè temporis tractu *Scha-Sephi*, Rex Persarum, mortuus est, duobus relictis filiis, quorum maior septennis ei successit. Eius mortis nuncius 16. Aprilis Constantinopolim perlatus, Turcas magna lætitia affecit, quod ob minorem filiorum ætatulam securos se viderent.

Cæterùm mense Martio libellus *Paræneticus* ad Antistites regni, *Optati Galli* nomine *de cauendo schismate*, quod iam instare declarabat, à Francisco Archiepiscopo Parisiensi, & Suffraganeis Episcopis, aliisque multis damnatus, à Senatu etiam igni adiudicatus est.

Hoc temporis curriculo Hispaniam infestare cœpit rebellio Catalanorum, quia militibus Hispanis per vicos, quibus hospitabantur bonorum direptionem, coniugum violationem, multáque alia mala illi hominum generi consueta perpessi, conspiratione facta magnam hospitum stragem fecerunt, alios aduersùm se à Prorege missos fugarunt, & post aliquod tempus recens irritati ipso die festo Sanctissimi Sacramenti Comitem S. Columbæ ipsorum Proregem intra ipsam ciuitatem Barchinonensem crudeliter interemerunt. Cui cùm Rex Ducem Cardonium, Catalanis, vtpote conterraneum, gratum subrogasset, paulò post eo extincto ad seditiones, ad pugnas, & ad vrbium occupationes comparis vtrinque exercitibus, deuentum est.

Intereà Marchio Leganesius Gubernator Mediolanensis, Casalem vrbem Montisferrati obsidens, tanto impetu à Comito Harcurio, minùs eo dimidio armatorum habente, intra vallum aggressus est, vt bis licèt repulsus, tertia impressione, grandi edita hostium stragé die 29. Aprilis vallum superauerit: tertióque iam Hispani obsidionem Casalis auibus malis tentauerunt.

A Casali

A Casali liberato Harcurius Taurinum à Principe Thoma defensum obsidione cinxit: Leganesius verò restaurato exercitu veluti intra vallum Harcurium circuncingens, ne quid commeatus ad ipsum deferretur, à Gallia suppetias venire timens die 11. Iulij tribus partibus vno impetu impressionem faciens, & erumpente eodem tempore Principe Thoma è ciuitate, parum abfuit quin Galli acie cecidèrint: sed animo cum periculo aucti hostes tanta clade affecerunt; vt quatuor eorum millibus cœsis, castris eos exuerint, suppetiis tam hominum, quàm commeatus feliciter acceptis. Quapropter, licèt, multoties in Gallos erumpentibus Thoma, & Leganesio; ad conspectum tamen Leganesij 24. Septembris Thoma se, vrbémque dedente, illam gloriosissimè triumphans dignus omni præconio ingressus est Harcurius.

Alia parte 14. mensis Iunij, Marescalli Cauneus, Castilhoneus, & Milereus Atrebatum obsederunt: cùm simulata aliorum vicinorum propugnaculorum oppugnatione, præfectum vrbis cum maxima præsidij parte in eorum defensionem elicuissent, qui circunclusa subitò ciuitate, eius ingressus prohibitus est. Cardinalis Infans Belgicis, Germanicisque copiis collectis, quantùm potuit, conatus est, vel in vrbem auxilia mittere, vel commeatus in castra importationem impedire. Sed vtrumque frustra. Accesserat Rex Ambianum, vt è propinquo suis animos faceret; & omnia necessaria suppeditari curaret. Singulari demum Cardinalis Richelij vigilantia, & sollicitudine, hostium conatus repressi sunt, non sine magnis vtrinque cladibus, & ciuitas in cōspectu triginta millium armatorū quos Infans ad nouum impetum in castrorum aggeres faciendum paratos habebat, se dedere coacta fuit, 10. Augusti, Festo S. Laurentij Martyris Hispani, qui

prælium

prælium, Sanquintenenum ante 83. annos in Hispanorum fauorem commissum hac gloriosa expugnatione compensauit. Infans igitur in Batauos arma conuertens primùm apud Hulstum illos malè habuit, deinde à Geldria obsidione iam tertiò ab iis incassum suscepta eos repulit. Regi autem in cumulum felicitatis huius anni, nocte diei vigesimæ primæ Septembris, natus est ex Anna coniuge secundus filius Dux Andegauensis, quo mense Gallis faustissimo Rex, Regina, Delphinúsque nati sunt.

In Germania hinc Bauerius Suecorum Dux, hinc Picolomineus copiarum Cæsarearum Imperator, castra in aduersum metantes, sese mutuo veluti ad pugnam conserendam respectabant: quam nihilominùs quia vtrisque periculosa erat, leuibus tantùm velitationibus perstringentes vitarũt. Cæterùm Imperator Ferdinandus, ad procurandam Germaniæ pacem, Electorum, ac Principum Imperii Ratisbonæ Conuentum habuit; in quo quid actum sit, ignoratur. Pontifex autem Martium Ginnetum Cardinalem quem iam à triennio Coloniam miserat, nihil in pacis sollicitatione proficere videns, eum Romam reuocauit, relicto tamen Nuncio Apostolico, qui rem curet.

Carolus porrò Rex magnæ Britanniæ nouas in Scotos copias ducere decreuerat; sed conuocato Parlamento Anglico, maiorem partem Puritanorum illis fauere comperiens, per delegatos satius duxit eorum feroces lenire animos. Qui interim Arcem Edimburgensem adeò strictè obsidebant vt amplius centum tormentis circumcingerent. Illam igitur ad deditionem compulerunt, & cum numeroso exercitu Angliam ingressi Castrum-nouum; & Dunelmum occupauerunt, Rege non valdè remoto, qui cum Anglorum exercitu Eboracum profectus est: vbi cum Paribus, atque Proceribus regni decreuit Parlamentum

ramentum celebrare quo pax vniuersæ Britanniæ restituatur. Ad quæ Rex Londinum reuersus est.

Denique hinc Tartari, hinc Mosci ferociter excurrentes mutuis se cladibus exagitant, in prouincias proximas multa damna inferunt, & innumeram captiuorum multitudinem abripiunt. Nec aliæ Orbis regiones calamitatibus vacant quæ iampridem belli oneribus oppressæ tandem ab iis, pacis solatio leuatæ, respirare vehementer exoptant.

A Christo nato anno M D C X L I.

INsignis fuit huius anni exitus defectione Lusitanorum à Rege Catholico. Sed vt altiùs res deducatur. Philippus secundus cum sibi Lusitaniam armorum vi subiecisset non iisdem artibus quibus obtinentur regna conseruari ratus, Lusitanos maximis beneuolentiæ decreuit demulcere testimoniis, eósque propterea auitorum incremento priuilegiorum sibi strictiùs denunciare putans multa in eorũ concessit gratiam. At tractu temporis fœdifragi Castiliani provt huic hominum generi assolet, contra ius omne & omnia data Sacramenta, eorum priuilegia proculcantes eos non vt deditos, sed tanquam vt expugnatos habere, maximamque in eos sub Philippo quarto in præsentiarum regnante, Oliuaresio comite Duce præcipuo Hispaniarum ministro infœliciter æque ac violenter status & regna Philippi administrante exercere violentiam cœperunt. Quod impatienter ferentes Lusitani dissimulantiâ suis esse consulendũ malis tutius iudicarunt. Verum anno 1636. detractâ laruâ violentum adeo diutius ferre non valentes imperium in ministros Castilianos aperto marte insurgere, & tam durum excutere iugũ statuerunt. Ebora ciuitas toto regno celeberrima & alia quãplurima non inferioris notæ

loca

loca sic ad euidentem inclinabant rebellionem, vt vndique hæ voces personarent: Dux à Brigantia viuat. Cæterum hos motus excitatos penè armorum Philippi timor compescuit & eos populos ad saniorē redire mentem coēgit, datâ priùs à Philippo fide eos cum omni humanitate, regia benignitate & omnimoda clementia excipiendos esse in posterum. Ad quos armis depositis Lusitani omnem præstare obedientiam parati fraudem pro fide, barbariē pro humanitate, vim, contumeliam & vltionē pro clementia sunt experti. Oliuarensis siquidem fortissimis præsidiis omnibus Portugalliæ propugnaculis communitis, Nobiles suis exuit priuilegiis, dignitatibus eos & officiis spoliauit: Plebeios tributis quamplurimis oppressit: Ecclesiasticos denique aliis in aliorum dignitatibus suffectis malè tractauit. Quæ mala & alia quamplurima, velut bonorum direptionem, domorum deprædationem, vxorum oppressionem indignanter perpessi, & proinde mirum in modum exacerbati, seriò de eliminandis Castilianis cogitare cœperunt. Sed matura cum non esset occasio, cunctandum ipsis visum est. Tandem altum prementes corde dolorem, cum omnes Dynastæ & regni Proceres, vnà cum aliquot Ecclesiarū Prælatis, adscitis etiam plebeis nonnullis secretò conuenissent, totum Portugalliæ regnum in libertatem asserendum quâ data via omnes determinarunt. Verùm silentium in tam arduo opere requirebatur. Res mira & propè accedens ad miraculum quòd omnes fuerint elingues Lusitani, quòd cœcutientes fuerint Castiliani, quòd consilium Hispanicum toto orbe famosum hoc in negotio vigilantiâ & prouidentiâ destitutum prorsus extiterit. Admirandum planè diuinæ prouidentiæ monumentum, quæ in tantis mutationibus videntes excæcat, sapientes infatuat, altos ac generosos Regum & Imperatorum

ratorum spiritus frangit. Regebat tunc temporis Portugalliam Proreginæ titulo Margarita à Sabaudia, mulier alioqui suauibus redolens moribus & singulari pollens pietate, iis tamen omnibus quæ in moderamine desiderantur exuta, vtpotè nulla animi dexteritate, nulla in rebus agendis solertiâ, & experientiâ nullâ prædita; sed infœlix potissimum quòd nefandissimum haberet à secretis virum, ad cuius arbitrium omnia decernerentur. Huic nomen erat Michaël Vasconsellius, homo præter cæteros omnes ambitiosus, petulans, diuitiis inhians, versipellis, truculentus demùm. Is in rerum administratione adiunctum habebat Marchionem della Puebla fratrem Marchionis Leganesij eiusdem farinæ virum. Eoque temporis tractu Madriti rerum Portugalliæ cura Iacobo Suaresio Michaëlis Vasconsellij patrueli commissa, & proinde omnimoda penes Vasconsellium potestas erat. Proreginæ nomen habebat Margarita, at personam non agebat; nam sub ipsius authoritate & nomine insciâ ipsâ cuncta gerebantur. Itaque Vasconsellius & alter ad libitum totius regni Portugaliæ moderantes habenas, ita omnium ordinum populos in se cõcitarunt, vt tandem à Rege Catholico desciuerint. Lusitani, ad talem etiam inuitati defectionem; tum exemplo Catalanorum, cum intuitu rerum Hispanicarũ totâ Europâ inclinantium & sensim collabentium Lisbona ciuitas regia, Emporium toto orbe celeberrimum vt defectionis fuit exordium, sic cæteris vrbibus rebellionis extitit exẽplum. Cuius incolæ nulla datâ morâ ad arma prorumpentes & circumquaque per vicos & plateas excurrentes ita furere in obuios cœperunt Castilianos vt eos penè omnes deleuerint, Vasconsellius mortem sibi imminere præuidens in regia absconsus latebat sed mox omni excusso timore & posthabita reuerentia aduolant ipsi

in

in regiam, muros diruunt, Portas euertunt, omnes angulos lustrant, tandémque latitantem Vasconcellium deprehensum, vulneribus confossum è fenestra in plateam deturbant, móxque caput ipsius à ceruicibus abscissum & tota vrbe circumlatum, cadauer in frusta discerptum, postmodum igne absumptum ventis cineres consignant. Furor Proreginam non attigit. Extemplo Regni proceres de sibi eligendo rege prouidentes communi omnium voto Ioannes Dux à Bragantia expetitur. Hic nuncius ad Philippum Hispaniarum Regem perlatus ipsum, totam regiam curiámque tanto stupore cõpleuit, tanto affecit mœrore, tantóque terrore statum Hispanicum perstrinxit vt elingues, immobiles ac penè mortui viderentur omnes. Hæc inter Dux à Bragantia dubiis fluctuans cogitationibus quam in partẽ se verteret à Guastone Catignano qui ad ipsum à regni Portugalliæ proceribus missus incitatis equis ac breuibus temporis momentis accesserat, plurimùm roboratur. Ducis vxor in fœminino pectore cor gerens virile ipsi animos addidit, fecítque ita, vt ipse Lisbonam concedens ab ordinũ populis summo applausu in Regẽ ingenti pompâ inauguratus die 15. Decembris ipsáque 27. eiusdem mensis coronâ regiâ fuerit insignita.

Monoëci Princeps, quæ Arx ad Ligusticum mare tutissima; diu pertæsus Hispaniæ præsidium expulit, Francísque euocatis se tradidit; momento inuigilans, quo magna euertũtur, & magna condũtur.

Rapta & in Belgio Hispanis Aria Milleræi industriâ atque constantiâ erectísque munimentis; per quæ mox ipsa vrbs recepta à Belgis, tantum vulnus persanare curantibus. At hæc expeditio Cardinali Hispano vitâ stetit, morbo ex ærumnis contracto; an veneno, vt volunt. Sanè iuuenis indolis celsæ & planè regiæ, dignus abauo Carolo, diúque ruen-

tem

tem fortunam sustinuit, magnis dotibus ad regnum praeditus.

Franciae felicitati naeuum aspergebat Comes Suessionensis, priuatus hostis Richelij, imò iam publicus, lecto exercitu, collectísque armis; quibus ipse victor, sub ipsa lauri gloria, minima glande perimitur. Facti auctor latuit, nemine auso magni Principis sanguinem iactare, vel Richelio.

Germania excusso Bannerio respirauit. Is dum Ratisbonae habentur comitia, circùm omnia loca populatus; Picolominij arte tantum non oppressus militari modo in Misniam se recepit; an fugit! sanè fuga eiusmodi vel aequanda victoriis, eritque in monumentis historiae; támque laudabitur Bannerius fugiens, quàm triumphans. Postquam euasit, morbo assumptus est; obiitque hoc solatio, quod saluo exercitu, suo iam fato, non hostium ferro, animam traderet.

A Christo nato anno MDCXLII.

CVpressos hic annus lauris palmisque immiscuit. Ludouico in Catalauniam properanti, Perpinianum obiicit claustra mox quidem captum, & per lusum propè; fame militem depascente, & propugnaculorum robur eruente. Verum in hoc lusu fortuna Richelij facta propemodùm; praepollente Cimmartij gratiâ, ac potentiam veterem deturbante. At repente prodit Richelij fauor, aemulumque perdit; truncato Cimmartij capite: Regisque sui potens, per totam Franciam duxit triumphum in ferro: Sic enim eius lecticam appelles, quâ aeger vectus; Parisiis postmodùm animã posuit. Vir cui Francia parẽ non habuit; stupor sui sęculi; futurorũ amor, vbi inuidia deferbuerit tẽpore, & quaedã vitia summę virtutes oblitauerint: nec enim vnquam

Heroum

Heroum animis infirmitas humana nocuit.

Sane fuit Richelius vtriusque Palladis amor & præmium, quo supra ipsam penè mortalitatem omnia summa, ingenium disciplinarum singularum capax, scriptis etiam in rerum mole, seu in otio libris; & Academiam condidit quæ litteras studiumque gentis promoueret. Animus in prosperis & aduersis quibus tam depressus est quam erectus, sui semper tenax; Indoles qualis Heroum fuit ambitiosior, sed à recto non deuia: de quo laborabit imposterum fides, extitisse talem quem audient.

Richelium Maria Medicæa paulò ante præcesserat, quæ tot Regum mater, obiit in alieno: ingens nostræ fragilitatis exemplum, exul & extorris vitam clausit Coloniæ; Regis filij laude an probro, æstimant qui Regem seponunt à filio, & patrem patriæ à Mariæ partu seiungunt.

Perpiniano præluserat Guebriani victoria, quâ Lamboij copiæ cæsæ & fugatæ. Isque est Guebrianus, qui Atlas Veymari, Franciæ Rhenum asseruit, obiitque postea laude & gloria cumulatissimus, Veymaro clarior, quod temperabat pietate militiam, tam sui rector quàm aliorum.

Et hunc Suecus consignauit annum victoriis. Dux Torstensonius; qui primâ Lauemburgicum pugnâ, Leopoldum altera ad Lipsiam, magnosque exercitus fudit, Quò loci dixeris Gustaui genium decertasse, sanè Lipsia, capta & excitata memoria Gustaui; cuius è schola tot prodibant duces quot milites, tot laureati quot duces.

A Christo nato anno MDCXLIII.

LVctuosissimus Franciæ fuit, priorúmque dona morte corrupit. Ea raptus Ludouicus Rex, natus cum sæculo; Princeps ornatissimus priuatis

dotibus,

dotibus, nam religio, pietas, temperantia; castimonia, tam propriæ sunt Ludouico, vt iis vnis instructus vicerit mortem; (hæc vna nempe vincenda supererat) si qui exarmat mortem, profligat, metumque ipsius vertit in votum. Obiit itaque morbo, in apice vitæ, victoriarum, & gloriæ; & quod maximum est, pietatis in Christianâ demissione quàm maximus Bonorum omnium compos, præter pacem, quàm cùm in terris nequiret assequi, fugitiuam cœlo sequutus est. Et regis insignis virtutibus, quæ splendidius claruissent, si à puero ductu suo potius quàm alieno regere doctus esset. At sic palmis natus, vt in iis decesserit.

Nam ipso agente animam cùm occasioni imminens hostis expugnaret Rocroium, pugna conseritur, quâ victi Hispani, Enguiennio Duci prærogatiuam palmam obtulerunt, victoriâ prosequente Regis vel pheretrum. Et Enguiennij tirocinium vltra protensum est; perque ingens spatium Thionuilla quæsita quæ caperetur; ita deleta ignominia prior, & rectum Franciæ munimentum firmissimum.

Eodem anno Bauaria, cladem passa, mox intulit. Vincebat Guebrianus, Rotueilam admissus, sed saucius: moxque expirauit, nec vir militaris nisi vulnere desiit; & in hostico quidem sed subacto. Ducis iactura militem perdidit; cùm Franci securiùs agerent, à Bauaris Hasfeldio Duce inuasi, nullâ ferè clade, socordiâ suâ rapiuntur vt retibus, veteri Francorum malo, quos securitas perdit.

A Christo nato anno MDCXLIV.

VRbanus felix ille, & plurimum annorum Pontifex, pace per Italiam partâ, & sedato Franciæ curâ cum Parmensi bello, emisit animam. Summus omninò, quaquà inspexeris; Apis vere atque Hymettia,

Hymettia, ſuauitate morum, & ſtudiorum amœnitate: quem vel repugnantem iam afflictum ſenio belli lues afflauit; adeò ſæculum ferro compactum eſt, & aculeum vel ab Apibus exerit. Vrbinum Eccleſiæ Ducum ſtirpe deficiente adiunxit; redeuntibus fluuiis, vnde prodierant. Suffectus in Vrbani locum Pamphilius Innocentius X. abſtruſioris doctrinæ multiſque exercitatus muneribus, vegetâ & viridi ſenectute.

Franci in Belgium verſi Grauelingam expugnāt. Obiectum Aurelianenſi Duci Belgium totum, præter ſitum vrbis, & Picolominium longè excitum vrbs tamen impugnantibus patuit, Caleſio tecto, & apertâ ad Dunkerkam viâ.

Et ad Friburgum magnis animis & clade dimicatum: dum in Bauaros, caſtris, munimentis & montibus tectos Franci irrumpunt, & quidem tertiùm, ducente Enguiennio, pugnaciſſimo iuuene, & flagrantiſſimo gloriæ. Bauaros depulit non impetu quidem, ſed penuria victus; permiſſus Francis alueus Rheni, plures vrbes captæ; quarum appendix Philippo burgum; niſi appendix pro prouincia ſit.

Eodem anno bellum nouum naſcitur, quaſi Bellona in Europa ceſſaret, Suecos inter & Danos; illi vlturi iniurias, quà terra quà mari inuadunt Daniam improuiſi, & patentem diripiunt. Sed repentinus impetus citò deferbuit, contracta pace, opera fœderatorum, quorum intererat tam fortes ſocios reddi Germaniæ.

Acrius depugnatum in Anglia, Rege fuſo & victo Eboracum, vrbſque ipſa Parlamentariis, quæ Rebellium factio, dedita; Rex in fugam actus, calamitatem aliò detulit. Moxque Londini Cantuarienſis Archiepiſcopus capite cæſus eſt, iam altera victima rebellionis, odiiſque in Regiis partes lugendum facinus; heu, non extremum.

Hiſpania

Hispania Reginam suam luxit Elisabetam, morte ereptam, quæ Regno regique tota impensa, supra feminã incũbebat publicis rebus, nõ irritâ curâ. Cumulatus mœror anno pòst secundo cum Baltasar filius, fulcrum imperij, in tot regna natus, prima adolescentia, flagrantissima spe, & amor omnium, raptus è viuis, orbum Patrem fecit, imò Hispaniam. Nec tot inter iacturas vlla genti grauior; sceptro in colũ deuoluendo & tot imperiis Rege defuturo.

A Christo nato anno MDCXLV.

TErribilem hostem Venetis, imò Christiano orbi exciuit. Ibraimus classem ingentem expugnandæ Melitæ instruxerat sed paratissimis Melitensibus, & Arpaione magni animi viro propugnante; ne furorem perderet, vertit in Venetos, & incautam raptus in Cretam, vno iniuriæ iure in aliena bona inuadit. Nec vllum hoc sæculo honorificentius gestum est bellum, nec fortasse generosius; cùm rogati patres horribilem illam terris potentiam, & minantem spreuerunt, & ruentem tulerunt, & pugnantem fregerunt; vt hoc vno bello priùs à se gestis faciant fidem & sementem posteris æternæ gloriæ.

Idem annus Torstensonio felix, qui Suecos à Danis auersos in Germaniam ducens, Hasfeldium clade magna in Bohemia vicit; captus Hasfeldius, omniaque belli instrumenta. Sed victoriæ leue pretium fuit hærente victore ad Brinnam oppidum, & amplissimos fructus corrũpente, præ vincendi pertinacia. Tanti est vti victoria, & ab Annibale sapere.

Nec in vna pugnatum Bohemia, bis conferto in Bauaria prælio. Primò quidem profligatus Turennius, sparsusque miles clade contractus: ac secundo, Enguienius Turennio Comite, Mercium cædit, & quan

quanquam ſaucius, & imminutus altero cornu, palmam hoſti rapit. Dicas victoriā ætatis flore captā, adamare Iuuenem, & in corona lauros oggerere.

Fauebat eadem in Cathalaunia; Pleſſæo Roſam expugnante, munitiſſimam Arcem; & Harcurtio tranante Sicorim & Hiſpanam aciem perrumpente; cæſi haud pauci capti quàm plurimi in quibus Mortara, moxque Balaguerio deditâ educta, tria Hiſpanorum millia, per Pyrenæos Fontarabiam miſſa, circumduxerunt victoris triumphum. Et Lotharingia Motam, inexpugnabilem propemodùm arcem Villeræo dedit; viro cui Regem ſuum Francia magnam partem debet; quandò inſtitutor pro parente eſt, & in Alumno ſplendet gubernator.

A Chriſto nato anno MDCXLVI.

FAuſtis infauſta tam Hiſpanis quàm Francis miſcuit. Glorioſa Franci, Cortracum, Mardicum, Dunkerka, Belgis ereptæ, pugnantibus Ducibus Aurelianenſi & Enguiennio, & impuberem Regem tutantibus. Et Dunkerka Enguiennij opus, quæ munimentis & portu valida ſub Autumni finem, cùm hybernis locus eſt, præter ſpem omnium victori acceſſit, cui iam inexpugnabile nihil foret. Sed & Hiſpanis allaborauit hic annus. Nam Ilerda & Orbitellum ſolutæ; illa Leganeſij induſtriâ, & Francorum confidentiâ; hæc Breſæi morte, & annonæ penuriâ; vt in extremis laborauerit Francia, febri mox ipſa viſcera correpturâ. Quanquam in Italia ignominiam eluit, captis Plombinio & Portolungone, ducibus Millereio & Pleſſæo, & iacturam vnam lucro gemino ſarcientibus.

Sanè Breſæi mors vulnus inflixit & graue Franciæ. Quippe maritimis rebus præfectus Iuuenis ſic earum peritiam hauſerat, ſic reliquas cumulauerat

dotes,

dotes, vt quo amore viuus, eo dolore mortuus fuerit. Periit glande tormenti; nec vulgari plagâ tam fortis animus prodire debuit.

Et Henrici Condæi mors illacrymabilis fuit ipsimet Franciæ. Is enim postquam deferbuerat iuuentutis æstus, religione in Deum & in Regem fide, intemeratus extiterat. Expeditionibus perfunctus plurimis, sed consilio longè melior, res Franciæ ab Ludouici morte multùm promouerat; auctoritatem regij sanguinis probitate & prudentiâ fulciens.

A Christo nato anno MDCXLVII.

NEapolis, imò regnum totum, seditione succutitur, quæ in bellum flexit, Quis tam multa percurrat compendio? seu mali exemplum, quod à Panormo Siciliæ dimanauit; seu causam, ab immoderatis tributis, & impotentiá plebis; seu auctorem; Thomam Aniellum, qui ex vilissimo piscatore, potentissimæ vrbis repente dominus, intra nouem dies Tragœdiam lusit, incredibilem posteris; seu luem ab vrbe in vniuersum regnum propagatam: seu recenseat Duces; vel Arcosium seditionis impetu pulsum; vel Guisium, tam in carcere fortem quàm in armis; vel Richelium, nauali prælio decertantem; vel Ioannem Austriacum, felicitate summa bellum comprimentem; vel Ognatensem, mali reliquias & in sanis membris exscindentẽ; ne qui hæc percurrerit, is Myrmecidẽ vicerit, cæterosque eiusmodi famæ nominisque artifices.

Henricus Orangius, Mauritij frater, Gulielmi filius, parque tantis nominibus, Batauicâ administratione cessit & vitâ; prudentiâ miliari & fortitudine clarus Gulielmum filium legauit Batauis, affinitate regiâ fultũ; sed & Guilielmus paulò post

raptus est, superstite in cunis infante futuro in secessionis originem genti suæ; his abdicantibus, illis optantibus.

A Christo nato anno MDCXLVIII.

TAndem confecit pacem Germania; mirum, tot bellorum calamitatibus superstes. Conisinarchius cæso apud Augustam Melandro occupauerat Pragam, & imminebat Viennæ; cùm repente Monasterij pax conuenit, Imperatorem inter & Suecos: Germaniæ Procerum habita ratio, Palatinus ditioni suæ restitutus, Alsacia Francis cum Brisaco relicta; & monumento instrumenta Martis in plausum & gratulationem conuersa; ita pax amatur, cùm belli pertæsum, est.

Idem fœdus Hispanis Batauos reconciliauit: multùm retinentibus Francis, ne auctores belli à bello sine fœderatis discederent; sed frustra obsistunt iam præpollente inuidia, & metu à Dunkerca. Quin Hispanos inter & Francos de conditionibus disceptatum diu, parúmque abfuit quin conuenirent; si tamen Portugallia & Catalaunia parui habendæ sunt. Gens Vtraque culpam in alteram confert; sanè ab Historia constat, plura Hispanos instrumentis pacis comparasse quàm belli; & hactenus Francos gladio pugnasse, non calamo. At pòst annis aliquot retroacta Franciæ felicitas, progressa Hispaniæ, instaurauit bellum acerbius: nempe Deo mortalium noxis non placato, suásque iniurias ipsis vindicibus permittente.

Hispaniæ Rex defungitur periculo graui detectâ Procerum coniuratione, qua Ixaro Duci Aragoniæ regnum parabatur, Rei pœnis dati; eluxitque Philippi clementia, permissâ Ixaro vitâ & piâ in alios liberalitate. Et iam ante Oliuarius Comes Aulâ dimissus

missus

missus, Ludouico Haroo gubernaculo cesserat; vir Hispanicæ gloriæ studiosissimus; sed consiliorum præposterus; quæ plerumque damnabat exitus, & tunc prauus regni amor, cùm benè concepta malè patiuntur. Parem erat nactus Cardinalem Richelium, cuius à Genio semper est victus: ambigas vter fine felicior, quod alter in splendore rerũ & gratiæ, deiectus alter & in cœnobio sui compos obierit.

Eodem anno Polonia Regem suum luxit. Is Ladislaus fortitudine & religione percelebris; festinata mors tædio belli in Turcas negati; adeò pium Principem religionis amor altè insederat. Is regno fatalis obitus, Cosaccis Kmienilicio duce rebellantibus, & Poloniam impunè vastantibus. Sed inter has clades regno consultum, Ioanne Casamiro Ladislai fratre in Regem electo; & quidem cædes hac mercede placent; Rege fortissimo ad vindicandum suffecto, qui tirocinium Principis per aduersa posuerat.

Et apud Turcas nutabat Imperium, truncato capite, Ibrahimo Sultano fato Osmanis fratris, deturbato è solio, mox è viuis. Præter regnandi inscitiã, crudelitas barbara ardorque sanguinis ab eo Proceres ipsamque matrem auerterant; quibus instigantibus, Ianissarij cogitatum facinus consummarunt; euanescente in Sultanos veneratione: mox facilè ruituro Imperio, quod iam in fundamentis concutitur. Mahometus septennis in Ibraimi patris thronum euectus est. Et hic vnus tot Imperatorum superstes surculus; huc desiit totius orbis terror & furor, vt Christianos pudeat, se dem etere ferro, quo vnus luis publicæ termes excindendus foret.

A Christo nato anno MDCXLIX.

PArricidium protulit gentibus omnibus, omnibusque sæculis execrandum. Horret calamus

rem vel designare. Postquam Carolus Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Rex nullo in tot regnis ad perfugium loco, à Scotis ad quos confugerat, Anglis est traditus, ab iisdem Anglis damnatus, exhorrescente orbe terrarum, Londini palam, subditorum sententiâ, truncatus est capite. Summum nefas, eò furiosiùs, quo consideratius, Iustitiâ in iniustitiam tantam adactâ. Farfaxius & Cromuellus auctores sceleris, qui Regno præterea infensi, id sustulerunt, inductâ Reipublicæ specie, re ipsâ tyrannide. Nam abrogata Domus superior Parlamenti; Farfaxio dati exercitus cum potestate, Cromuellus in Hyberniam profectus, Regias & Catholicas partes oppressurus. Ita nefarij præmiũ criminis partiuntur; Deo aliquoties conniuente sceleribus; at eò grauiùs exurgente in pœnas, quò seriùs.

Et idem annus grauissimas Franciæ turbas concepit, quæ sequentibus annis prodeuntes in lucem, matrem propemodùm viperini fœtus enecarunt. Sed hæc silentio præstat inuoluere; cui enim gratum sit retegere turpitudinem suam? maximè cùm vulnera iam cicatrix obduxerit, & membra diuulsa coaluerint corpori. At per nostra mala consultum est hostibus; & erepta Grauelinga, Dunkerca, Casalis, Barcino, Deus bone, quæ nomina! imo cætera in lucro habita; tam propè regnum ruinæ admotum est. Credo, Deus iuuenem Principem indurabat aduersis, & qui cœli mos, parabat ad prospera.

Nec Europæ finibus rebellionis furor conscriptus est penetrauit in Asiam, & extremos orbis Sinas peruasit, Regi regnóque à latrone vilissimo vis illata, Rex impar viribus se ipse suspendit; prædoni regnum cessit in spolium, nec Sinarum sanguini parcitum, quorum sexcenta millia vno die necata innumera plusculis; vt iam hostis Tartarus in voto esset. Et is quidem perfosso muro irrum-

pens

pens, existimatus est vindex, non pœna, transmissíque magnam partẽ Siriæ in Regem æternum, beneficium bello debuerunt. Immanis prædo se ipse confodit, nobilissimo crudelitatis operæ pretio.

Quamquam, quæ Dei bonitas! prosperis suis annis non caruit. Nam Casimirus, Mariâ Niuernensi vxore fratris ductâ in coniugem, ab thalamo quem haberet pro altero regno, progressus in bellum, modico sed forti exercitu pugnauit in Tartaros & Cosaccos: hoc est trecenta hostium millia ita armis repulit contudítque vt stupendam sin minus victoriam, saltem pacem retulerit, cui victoriæ seruiunt, nouum Principem inaugurantibus ense & galea, & Sarmatico robore Christianam religionem armantibus Kmienilicio data vt resipisceret venia; si induratis in scelere ad pœnitentiam flexus est.

Sua etiam Venetis palma innata est; Turcis nauali prælio ad Foxiam victis; cæsa sex millia; naues multæ incensæ, captiui plurimi, Iacobo Riuæ plenam victoriam pepererunt; iacturâ suorum leuissimâ. Et Veneti tum terra tum mari sæpius spolia de communi hoste reportarunt, estque vna vrbs adhuc terribilis potestatis meta & scopulus. Quàm melius Chistianus sanguis, tot Bellis effusus; impenderetur Byzantio!

A Christo nato anno M DCLII.

IN Anglos Bataui subito bello exardescunt; causæ, æmulatio, maris imperium, & piscandi quæstus. Ter nauali prælio depugnatum, totoque nisu quæsita victoria, latè Oceano flagrante ignibus. At illa anceps stetit, neutrò conuersa, donec Martis tædium pacem tulit. Tunc Cromuellus rerum potiebatur in Anglia, vltrò cedente Farfaxio, & Syllæ instar secessum petente: isque titulo Protectoris,

& pretexto Reipublicæ nomine, Parlamento euocato ad nutum & abrogato, verè dominus est, totique Europæ timendus incumbit. Dicas Iulium Cæsarem calcatâ patriâ dictatorem; vt ab eo mortem extimescat, quam eiusmodi homines vix siccam incurrunt.

A Christo nato anno M D C L I V.

TANDEM Francia, post ciuilia bella, sanatásque plagas, orbi illuxit. Et Ludouicus Rhemis inunctus cœlesti chrismate, seu robore hausto diuinitus, Stenæum expugnat & Claromontium, in Campaniæ finibus; per Contium Principem in Catalaunia vincit, spémque instaurat, ac demùm Atrebatum præter spem liberat. In obsessa Atrebato cogita tres Principes Belgium totum, inexpugnabilia munimenta; vt in liberata, (post fauentem Deum) Turenium, Seneterrium, Oquincurtium, Meondeiosum, Crequium, plurésque alios, celeberrimos vindices, posteritati tradas & gloriæ.

Anno eodem Christina Succiæ regno se abdicat. Mirum & inauditum populis facinus, vltro mulierem sceptro cessisse. Virgo, ætate florens, prosperrima re, suorum amor, coronam deponit; votúmque omnium à se ablegat. Næ ea Gustaui patris victorias superauit hoc facto; sanè pluris est spernere regnum, quàm parare. Quo pretio commutauerit thronum nondum liquet; an supra sexum doctissima studiorum causa, an quietis & secessus amans, an quid maius & verè regium meditans, tempus disceptabit. In Carolum Gustauum Palatinum affinem transtulit regnum, & viuens vidensque hæreditatem tantam adiri voluit.

At Polonia nouo bello implicita, tota cõcutitur.

Euocatus

Euocatus à Cosaccis Moscouiæ Dux, veteribusque in Poloniam odiis, numerosissimo exercitu Smolenscum cingit. (quæ vrbis olim Moschis à Ladislao detracta,) & Lithuaniam vastat & diripit; dúmque imminet Liuoniæ, Suecum Regem armis lacessit. Noui & difficillimi belli futurus exitus, si ex præteritis æstimetur, Moschum affliget; quid enim Polonis aut Suecis inuictum.

A Christo nato anno M D C L V.

INNOCENTIVS Pontifex, grauem senectutem longo morbo cum vita posuit; vir sententiæ tenax, & seueritatis vel in suos notæ: sanè Ecclesiæ intendens, Ianseniano dogmate perculso, quod cum bello ciuili grassabatur in Francia. Suffectus est in locum mortui Fabius Chisius, Alexander nomine septimus, incredibili populorum omnium plausu; cuius studiis, Deo annuente, optatissimam pacem debebit Europa; vt odiis positis in communem hostem arma vertat. Nam in hac vita rara & breuis pax, perpetuam in Æternitatis gremio sedem fixit.

A Christo nato anno M D C L V I.

BEllum atrox in Polonia sæuiebat, premente Sueco, & æquas conditiones pacis respuente. Sed hoc anno tandem Casimiro Regi bonæ spei lux interfulsit, Poloni sui pristinos animos suscitarunt, & duce Cesarnecio victores Suecos gemino prælio sin minus vicerunt, iam non victi, ad certam victoriam aspirarunt: fide egregia Gedanenses, perire sibi sua suburbia maluerunt, quàm patere Sueco, & seruaturi corpus membrum absciderunt.

runt. Pax cum Moschis parta, & honesta quidem, quæ Sarmatici regni calamitatem non saperet. Sic emergebat Casimirus è naufragio: & fortunæ non amplius pila, Æquitati & Iustitię columnã ponebat.

Veneti claram de Turcis victoriam reportarunt. Mortuo duci Contareno suffecerant Cornarum; sed eo intra vigesimum diem elato, Valerius in dignitatem summam euocatus, classem instruxit, palmæ nobilis campum. Eâ ad Dardanellas profligati Turcæ, nauali prælio, gloriosissima Marcelli præfecti nece, quem fortiter dimicantem tormenti globus oppressit: nec minore Bardoerij fortitudine, qui locum demortuì occupans, confecit victoriam. Tenedos insula victoribus cessit, & ingens gloria fusi hostis sua inter propugnacula.

Francicum in Hispanos bellum varia sorte gestum est. Valencenæ obsessæ geminis castris Scaldi interfluente, ac liberatæ obsidentium clade non modica, sustentarunt collabentem Belgicam laudem. Verùm in Italia Valentia post diuturnam obsidionem tandem expugnata, Belgij seu gloriam seu ignominiam compensauit; ludente Martis genio, & hic fauente, illic aspernante.

Quasi tot inter bella calamitates humanæ deforent; sua etiam gessit Deus, Romam & Neapolim sæuissima lue depascente: cui tamen Deus tam misericors quàm iustus remedium fecit, per sanctorum præces. Duas præterea in Germania vrbes Lupiam & Aquisgranum, de cælo tactas absumpsit incendio; Aquisgrano tam miserè deflagrante, vt vnum Capucinorum cœnobium illibatum à flammis fuerit. Paupertatis hospitium cum opulentiæ tectis perire non debuit.

Eas inter turbas Ioannes quartus Lusitaniæ Rex desiit viuere, auito regno è maiorum cineribus feliciter suscitato. Successit Alfonsus filius, sub tutela

tela matris, fortis supra sexum fœminæ, ac dignæ quam diadema vltro ambiret.

Vnus in tanto Regnantium ac regnorũ tumultu Cromuellus in Anglia pacem obtinebat, ac fallaci titulo Protectoris, geminam insulam administrabat ad votum, potestate supra regiam vsurpata, vt qui Regem abdicassent, Tyrannum susciperent. Trementium sectam, exortam in Anglia, oppressit pari felicitate, Iacobo Naylo institutore turpissimæ hæresis, in pœnam vocato.

Anno MDCLVII.

TVrcæ impressum visceribus ferrum vti educerent, Tenedon insulam impugnant, & multa patientia lassatam recipiunt; imò & Lesbum Venetis adimunt. Qui & ipsi, Alexandri precibus & beneficiis expugnati tandem Iesuitas post diuturnum exilium, postlimonio suam in vrbem suamque in beneuolentiam recipiunt: sic mutua deleta ignominia, tam pellentium quàm exulantium. Et benignitas senatus præclarissimi prælusit victoriæ, qua ad Dardanellas Turcæ profligati, virtute & fortitudine Mocenici: cuius tamen fructum vir eximius non percepit, igne absumptus, quem sua nauis ex puluere pyrio malè conceperat.

At Franci postquam ceciderunt, per Condæi Principis fortem vigilantiam, spe Cameraci expugnandi, versi in Luxemburgium, Mommedium validissimam arcem non increuentis armis subegerunt. Deinde aliquot vrbes in Maritimo Belgio, Leoni detractas adiecerunt Liliis. Porrò in Italia Thomas Sabaudus Princeps, defunctus Ticini oppugnatione improspera, suo fato post diuturnum morbũ extinctus est; vir inter arma natus, educatus & mortuus.

Anno MDCLVIII.

DVm tergemino bello Europa cõcutitur, Turcico Suecico atque Hispanico, etiam Asia in geminum Martem incenditur, felici quidem sorte. dum Turcam in Syria impetit, & hæreticum Batauum in India vincit. Et in Syria quidem res Christiana agebatur eximiè, per Aleppensem Bassam rebellantem, nisi præclarè cœpta corrupisset præfidens sibi prosperitas. Sed id anno proximo. Isto præclarâ victoriâ ad Iconium reportata, multis Satrapis simul conspirantibus, Aleppensis præludebat ad regnum. Simul Ragotzius in Transilvania copias Turcicas delet, fortissimo animo periculosum bellum excîpiens Hæc Ventis fecerunt spatium respirandi, annum decimum tertium in Otomannicam potestatem luctantibus, ita se in futurum accuratius comparant, & in distractum hostem se muniunt. Bella quippe tam apparatu tacito quàm strepitu armorum geruntur.

Carolus Sueciæ Rex, postquam in Polonia res minus succedit, improuisus in Danum conuertitur, Fioniam insulam occupat, Regem ipsum Hafniæ obsidet, ac septentrioni terribilis, ægrè à Germania temperat; pacem tandem post naualem pugnam conficientibus Batauis, & opportunè consulentibus Dano. Interea Leopoldus Ferdinandi tertij filius, & vnicus superstes, Imperator renuntiatur ab Electoribus, accuratâ patris disciplina ad dignitatem summam præparatus. Batavi ipsi ad Goam à Lusitanis magnâ opressi victoriâ, frenum cupiditati suæ iniecerant: & ipsi Lusitani suo bello in Hispania laborabant; soluta post quartum mensem Badaij obsidione; vt exultantes in Asia, in Europa lugerent.

Neque Hispania fortunatior in Belgio extitit: nam

nam Francorum ductor, Turenius, poſt victum Ioannem Auſtriacum Dunquerquam exgugnat, Anglo tamen ex pactis conceſſam; neque multò poſt Grauelingam gemina Belgij ad Oceanum propugnacula: Cromuello triumphante Londini, quod ipſi palmæ naſcerentur in Belgio. Quanquam breui admodùm exultauit gaudio, ſua ſtatim morte raptus è viuis, diuinæ pœnæ ſeruatus, qui tot criminum reus nullam in terra penderet. Ricardo filio tyrannidem teſtamento reliquit; verùm eiuſmodi hæreditas non paſſim aditur; neque eadem fuit fortitudo filio quæ patri fuerat: fuitque huic facilius regnum inuadere, quàm illi ſeruare.

Sed & Ludouico Franciæ Regi tot inter proſperas mors dira nectebat inſidias graui morbo tentatus ac penè oppreſſus, diuinis conſiliis valetudinem debuit, quæ res admirabilis dum per eum deſignant, letalem morbum oppreſſerunt. Ita incolumis ſe Lugdunum contulit, excepit magnificè regiam Sabaudi Principis familiam, Mazarino occultè ad optatiſſimam pacem præludente.

Annus M D C L I X.

IAmque ipſa tandem, poſt omnium gentium vota, cepit ab occidente humano generi illuceſcere. Siquidem ad Pyrenæas fauces, in arcta Vidoſi amnis inſula conuenientibus, pro Franco Rege Mazarino Cardinale, Ludouico Haroo pro Hiſpano, in ea pacta conuentum eſt, quæ diuturnum & moleſtiſſimum bellum, poſt annum viceſimum quintum oppreſſerunt. Pax tamen in proximum annum dilata, interim armis ceſſantibus; nec enim continuò à tempeſtate mare conquieſcit.

Veneti nihilo ſæcius in communem hoſtem depugnabant. Nam Moroſino claſſis præfecto, Methonem

thonem vrbem in Peloponneso munitissimam occupant; tum ad Hellesponti fauces classe deducta, Turcis mare occludunt, & sæuiendi modum eripiunt. Iis tamen euenit feliciter, quod Bassa Alepensis profligatus ac cæsus est; vincentium fraude an fortitudine, incertum. At Carolus Suecus Danicum bellum vrgebat; tandem à Danis ad Fioniam insulam victus, qua coactus decedere ac deferre in Sueciam suam necessitatem quiescendi, perturbator omnium contumax. Necnon Lusitani suo marte pugnarunt, Hispanis ad vrbem Elnam magna clade victis, & ab vrbe pulsis, quam cingebant obsidio, & spe occupabant. Calabria terræ motu ingenti concussa dira clade afflicta est, ruina ædium in pluribus oppidis ciues obruente, quibus tuendis & tegendis exstructæ erant atque instructæ.

Annus MDCLX.

Optatissimus tandem Europæ illuxit, quo sancita pax Reges inter Francum & Hispanum, & coniugio seu adamantino nexu constricta, Ludouicum inter & Teresiam Philippi Regis ex priore vxore filiam, Ipsi Reges in insula Pacis conuenientes, mutuo amplexu & colloquio socer & gener, multis beneuolentiæ signis martis reliquias extinxerunt. Rediitque Parisios Ludouicus, longè opulentior, qui præter pacem & oppida plurima bello comparata; fundum reportaret prosperitatis perpetuæ, præclarissimam & sanctissimam coniugem. Cui honorandæ, instruxit pompam Parisiis tam insignem, qua nihil fingi elegantius possit, aut magnificentius.

Ad pacem conciliandam Europæ non parum contulit mors Caroli Gustaui Suecorum Regis, qui instar fulminis totus in bellicas artes impensus, vicinisque ad mortem infensus, cùm inspexit quiescendi

cendi necessitatem, non inuitus mortem admisit. Filio impuberi paratū regnū cessit; & quod mirum, nullo conturbante gentem tot turbarum artificem.

At Europæ nihil iucundius accidit, nihil honestius, & dignitati Regum nihil commodius, quàm Carolus Angliæ Rex post multas ærumnas grauiâque pericula, regno restitutus. Munkij præclarissimi bello, & consilio prudentissimi, ductu præcipuo res tanta patrata, vt incruenta victoria, post decurrentia sanguinis flumina, Regem pacificum regno vltrò pacifico restitueret. Damnata meritò Cromuelli memoria, cadauer ad furcas raptatū, & aliquot cōscij nefarij parricidij in mortē abrepti.

Attamen qui armorum furor est, pax felicissima Turcicum bellum haudquaquam extinxit. Deflagrat Constantinopolis diro per biduum totum incendio, quo hausta & consumpta septuaginta domorum millia, rapta mortalium capita quàm plura, & innumeræ opes deuoratæ; id restinctum est, adhuc tamen martis incendium perdurauit. Nam in Transiluania bellum acriter gestum in Ragotsium; qui morte præreptus licentiam Turcis fecit capiendi Varadini, arcis validissimæ, & ad Germaniam propius admotæ; vt dirum hoc venenum videretur iam Christianorum viscera corripuisse. Iamque hostis diuisus inuadentibus futurus impar haberi poterat, si ad Candiam vrbem Christiani delibatam victoriam perduxissent ad exitum; sed iam victores, perculsi terrore panico, terga victis præbent; quos victores fugâ efficiunt. Tentarunt quidem Chalcidem & Cytherā, sed Turcis sua fortiter propugnantibus, bellum infructuosius extitit.

In Polonia Moschi & Cosacci gemina clade percelluntur, Casimiri refulgentis auspiciis, & ducum præclara fortitudine, Cæsarnequij & Sapithæ. Cosacci rebelles Moscos ad tutelam suam adduxerant.

Primo

Primo prælio vtraque gens grandi clade prostrata; altero debellata propemodùm; missi sub iugum Cosacci, ac Moschi ad necessitatem pacis compulsi. Sic Poloni gens bellicosissima, postquã ex Suecico bello seu ex letargo reuixit, receptis viribus, se ipsam sibi reddidit, & sopitam ratos ad pœnam vocauit.

Annus M D C L X I. & sequent.

PRæclaram victoriam Venetis peperit, adiunctis Melitensium equitum triremibus: ab iis profligata classis Turcica, plurimi Christiani soluti vinculis, Turcæ capti haud pauci: & debellari poterat, nisi Hydram repullulantem è cladibus virus suum in Christianorum damnum restitueret, ab Hercule Gallico aliquando tandem opprimendam.

Pacis artifices suo fato obeunt, in Gallia Cardinalis Iulius Masarinus, in Hispania Ludouicus Harous; quasi bello confecto, parum esset quod in orbe terrarum gererent; aut post eximium operæ pretiũ Pacis, in cumulo gloriæ ponere vitã amauerint. In Masarino mira fortunæ indulgentia, & cum animi dotibus constans concordia; quæ viro politicis artibus instructo aduersa non intulit, nisi vt altius securiúsque eueheret, & inter æmulos imò hostes capitales, tutum præstaret, odiorúmque victorem. Statim Ludouicus Rex, summa Europæ admiratione regnum administrandum suscepit, promouitque feliciter ad summam gloriam, pacis bellique arbiter: diceres imbutum cœlitus arte regnandi, talem tantúmque Principem, sese exhibuit.

Nec dubium quin à cœlo emanaret prosperitas, quam & præclarissimo dono stabiliuit, nato Regi Delphino, cui postea Ludouici nomen, ex auspicatissimo cum Teresia thalamo. Natus similiter Regi Hispaniæ Infans, qui fratris rapti acerbo funere, lo-

cum

cum impleret; & desiderium solaretur. Ludouicus Fouquetum præpositum ærario, & fortunæ suæ magnificentius indulgentem, coniecit in carcerem, tribunálque instituit, in quæstores pecuniæ publicæ administros, & in plebis hirudines, Publicanos quos vocant. Idem Rex ius suum præclarè sanciuit, ac penè languescens excitauit totique orbi viuum exhibuit, de legati sui, vt appellant, præcedentia, supra cæterorum Regum legatos, maximè Hispanici. Nam violatum in Anglia ius, Madriti in Hispania à Philippo Rege mox persanatum est, & à Ludouico Parisiis, sequenti anno, promulgatum in Europæ conspectu.

Anglia ex intestino seditionum morbo nondum conualescens, vlcus nouum in Fanaticis patitur. Ij duce quodam Venniero doliorum fabro in Regem insurgunt, ac regiam potestatem: se professi lectos diuinitus qui in toto orbe Reges expungerent, & inconditæ plebi regimen traderent. At ij victi, disiecti, aliquot cum duce in iustas pœnas vocati. Turbæ tam multæ religionis specie nascebantur: nam postquam Catholica pollere desiit, spinarum & tribulorum omne genus in siluescente agro enatum est. E squallore & letargo emergebat Polonia, illustri ad Glembokiam Palma de Moschis relata, cæsa multa millia, capta cum tormentis impedimenta; & postmodùm in grandem appendicem victoriæ, arx Vilnæ Polonis reddita, & tota Lituania. Verùm, vt res humanæ sunt, tam prosperam vincentium sortem, eorum leuitas & auaritia corruperunt: Nam milites prætexentes stipendia non soluta, trifariam diuisi, rebellarunt in patriam, ipsámque diu impunè diripuerunt. Reliqua suis annis, si Deus fauerit, attexentur, postquam tempus, veritatis lux, rerum gestarum seriem paulò certiùs, è tenebris politicis eduxerit atque protulerit.

INDEX Librorum Epitomes.

LIBER I.

ADAMVS pag. 1
Enochus. 2
Nembrothus. 3
Abramus. 5
Isaacus. 11
Iacobus. ibid.
Iosephus. 12
Moses. 13
Iosuës 16

IVDICES HEBRÆORVM.

Othoniel. 17
Gedeon. 19
Iephtes. 21
Samson. 23
Samuël. 24

REGES HEBRÆORVM.

Saül. 24
David. 25
Salomon. 27
Roboas. ibid.
Abias. 29
Asa. ibid.
Iosaphatus. 30
Ioras. 32
Ochosias. ibid.
Ioas. 33
Amasias. 34
Ozias. 36
Ioathas. 38
Achas. ibid.

LIBER II.

Romulus. 39
Numa Pōpilius. 41
Tullus Hostilius. 43
Ancus Martius. 44
Tarquinius Priscus. 45
Seruius Tullius. 46
Tarquinius Superbus. 49

LIBER III.

Principium istius Libri Principium Reipublicæ Romanæ & finem continet à pag. 59 ad p. 82
Cæsar. Octauianus 83

LIBER IV.

Iesus Christus natus. 84

Tiberius

Tiberius Nero. ibid.
Cajus Caligula. 86
Claudius Nero. 87
Nero. 88
Sergius Galba, Otho Sylvius Vitellius. 90
Flavius Vespasianus. ibid.
Titus. 92
Domitianus. 93
Nerva Cocccjus. 94
Vlpius Trajanus. ibid.
Ælius Adrianus. 96
Antoninus Pius. 97
M. Aurelius Antoninus Verus. 98
Commodus. 100
Ælius Pertinax. 101
Iulianus Didius. ibid.
Septimius Seuerus 102
Antoninus Caracalla 103
M. Aurelius Antoninus Heliogabalus. 104
Alexander Seuerus. ibid.
Maximinus. 106
Gordianus 107
Philippi, Pater & Filius. ibid.
Decius. 108
Gallus & Volusianus. ibid.
Æmilianus. ibid.
Valerianus & Gallienus 109
Claudius II. 110
Aurelianus. ibid.
Tacitus. 111
Florianus. ibid.
Probus. 112
Carus, Numerianus, Carianus. ibid.
Dioclecianus, Maximianus. 113
Flauius Constantius, Chlorus, Galerius Maximianus 115

LIBER V.

FLauius Constantinus Magnus, Licinius. 116
Constantinus, Constantius, Constans. 119
Iulianus. 120
Iouianus. 121
Valētinianus, Valens. ibid.
Gratianus, Valētinianus II. 123
Theodosius, Valentinianus idem II. 124
Arcadius, Honorius. 126
Honorius Theodosius II. 127
Theodosius II. Valentinianus III. 129
Valentinianus III. Martianus. 131
Leo I. 132

LIB. VI.

ZEno 133
Anastasius Dicorus. 135
Iustinus. 136
Iustinianus. 137
Iustinus junior. 140

Tiberius

INDEX.

Tiberius II. 142
Mauritius. 143
Phocas. 144
Heraclius. 145
Constantinus III. 147
Constans II ibid.
Constantinus IV. Pogonatus. 148
Iustinianus II. Rhinotmetus. 151
Philippicus Bardanes. 153
Anastasius II. ibid.
Leo Isaurus Iconomacus ibid.
Constantinus V. Copronymus. 156
Leo IV. Porphyrogenitus. 159.
Irene, Constantinus Porphyrogenitus. 160

LIB. VII.

CArolus Magnus 161
Ludouicus Pius. 165
Lotharius. 168
Ludouicus II. 171
Carolus Caluus. 175
Ludouicus Balbus. 175
Carolus Crassus. 176
Vido. 177
Arnulphus. 178
Lambertus. 179
Ludouicus III. 181
Berengarius. 183
Otho. 186
Otho. II. 891
Otho. III. 190

LIB. VIII.

HEnricus II. 193
Conradus. 195
Henricus III. 197
Henricus IV. 200
Henricus V. 208
Lotharius II. 210
Conradus III. 212
Fridericus Ænobardus. 215
Henricus VI. 221
Otho IV. 223

LIB. IX.

FEdericus II. 225
Rodulphus. 232
Adulphus 235
Albertus. 236
Henricus VII. 239
Ludouicus Bauarus. 241
Carolus IV. 246
Vencislaüs. 250

LIB. X.

RObertus. 255
Sigismundus. 257
Albertus II. 261
Federicus II. 262
Maximilianus. 270
Carolus V. 274
Ferdinandus. 283
Maximilianus II. 284
Rodulphus II. 288
Clemens Pontifex Rom. 294
Albertus. 297

LIBER

LIB. XI.

Annus 1600. à Christo nato pag. 299
Annus 1601. 301
Annus 1602. 303
Annus 1603. 304
Annus 1604. 307
Annus 1605. 309
Annus 1606. 312
Annus 1607. 313
Annus 1608. 315
Annus 1609. 317
Annus 1610. 318
Annus 1611. 322
Annus 1612. 324
Annus 1613. 326
Annus 1614. 328
Annus 1615. 330
Annus 1616. 333
Annus 1617. 335
Annus 1618. 336
Annus 1619. 343
Annus 1620. 346
Annus 1621. 352
Annus 1622. 359

LIB. XII.

Annus 1623. 363
Annus 1624. 366
Annus 1625. 369
Annus 1626. 373
Annus 1627. 377
Annus 1628. 381
Annus 1629. 384
Annus 1630. 389
Annus 1631. 392
Annus 1632. 389
Annus 1633. 395
Annus 1634. 400
Annus 1635. 404
Annus 1636. 408
Annus 1637. 410
Annus 1638. 412
Annus 1639. 416
Annus 1640. 419
Annus 1641. 423
Annus 1642. 427
Annus 1643. 428
Annus 1644. 429
Annus 1645. 431
Annus 1646. 432
Annus 1647. 433
Annus 1648. 434
Annus 1649. 435
Annus 1652. 437
Annus 1654. 438
Annus 1655. 439
Annus 1656. ibid.
Annus. 1657. 441
Annus 1658. 442
Annus 1659. 443
Annus 1660. 444
Annus 1661 & sequens. 446

SVMMA PRIVILEGII.

LVdouici XIV. Francorum Regis auctoritate sancitum est, & patentibus litteris cautum, nequis in regno suo aliisque locis sibi subiectis, excudendum vendendumque quovis modo curet *Horatij Tursellini Epitomen Historiar.* cum additt. Præter LAVRENTIVM ANISSON, Prohibitum insuper omnibus eundem librum extra regni limites typis edendum curare, idque sub pœnis in originali diplomate expressis contra delinquentes. Datum Parisiis die 8. Maij 1671.

VICTON.

Desiit prælum die 2. Octob. 1673